HISTORIA

SEU

COMPENDIOSA DESCRIPTIO PROVINCIÆ HUNGARIÆ

ORDINIS MINORUM S.P. FRANCISCI,
Strictioris Obſervantiæ, militantis ſub Glorioſiſſimo
TITULO
SANCTISSIMI
SALVATORIS.

AUTHORITATE
NICOLAI V. PONTIFICIS MAXIMI
Olim à Savo Hungariæ fluvio ad Scythiam uſque,
& Mare Tartaricum extenſæ,

IN DUAS PARTES DIVISA

Continens ORTUM, & PROGRESSUM ejusdem,
Conventuúmq; ac Reſidentiarum in q'iibus hodie
Fratres Altiſſimo famulantur.

OPERA, & STUDIO
R. P. F. URBANI FRIDRICH,
Diffinitoris Habitualis, & Provinciæ Chronologi, ex
Bullis Summorum Pontificum, Diplomatibus Regum, & pervetuſtis Manuſcriptis, ac aliis literariis documentis in ut'litatem Fratrum Almæ hujus Provinciæ collecta, & compilata.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

CASSOVIÆ,
Typis Academicis Societatis JESU, Annô M. DCC. LIX.

PROLOGUS
AD
LECTOREM SERAPHICUM.

Multi sunt Lector Seraphice, qui Majorum suorum Ortus, & Progressus sapiam sedulo labore investigant, exquirunt, eorúmque præclarè gestis vasta librorum volumina complent, ut illorum commendationem gratæ posteritati transmittant. Nec alter scopus est Partis primæ hujus Operis, quam ut tibi hujus Almæ Matris tuæ Provinciæ Salvatorianæ Ortum, & Progressum, si non vivido, saltem non obscuro colore delineatam proponat. Quæ sanè quàm plurium Fratrum, Glorioſorum nempe Martyrum, sanguine rigata, devotorúmque Confessorum zelosis, ac assiduis laboribus in animarum ad gremium S. Matris Ecclesiæ reductione, & fructuosa conversione exantlatis, Sanctitatéque illustrata, suos ramos longè, latéque diffudit, Religiosa filiorum suorum Domicilia à Savo Regni Hungariæ famoso fluvio ad Scythiam usque, & Mare Tartaricum extendens, hos eidem limites ampliante Supremo in terris Ecclesiæ Pastore Nicolao V. Pontifice Maximo per Bullam Ineffabilis Providentiæ *annô 1447. emanatam.*

Et quia nihil est tam stabile, & validum, quin illud tempus antiquet, è memoriáque posterorum de facili subducat. Hinc est, quod Provincia hæc Salvatoriana quondam amplissima, ac florentissima antiquorum suorum Conventuum mæsta tantùm rudera cernat, & aliquorum non nisi nuda nomina legat, imò quorundam nec nomina reliquit invida antiquitas. Siquidem anteactis ætatibus non una, at sæpe sæpius iterata Bellorum procella, Infidelium barbara Tyrannis, & insanus hæreticorum furor in Religiosos, & eorum Domicilia nimiùm desæviens, plurima ædificia Personis Deo sacratis erecta expilaverit, ac solo æquaverit, cum nominibúsque unà consepelivit. His itaque, quæ fuerunt, & non sunt altô silentiô prætermissis. Pars secunda hujus Operis tibi Lector Seraphice ob oculos ponit Conventus, & Residentias, in quibus hodie Fratres Altissimo præstant famulatum, ut quorum labore, industriâ, studiô, ac piâ Munificentiâ initium, progressúmque acceperunt, eosdem grata mente recolas, quod & futuri facturi sunt, nominâque, & laudes eorum celebrabunt. Neque mirari pergas, si stylum hìc non ubique sibi concordem repereris, nam hoc diversæ manus effecerunt. Siquidem annô 1753. P. Urbanus Fridrich Chronologus Provinciæ institutus, ex transmissis sibi à Conventibus literariis documentis, & aliis pervetustis Manuscriptis magno cum studio, & diligenti labore Historiam hanc compilaverit, & annô 1758. in finem deduxit, qui & annô eôdem laborum suorum mercedem recepturus ad æternam Provinciam transiit, cujus portio sit in lumine viventium. Opus dein per P. Ministrum Provincialem Bartholomæum Marada fine revidendi, & approbandi secundùm morem Ordinis, submissum est duobus Patribus Theologis hujus Ordinis, & Provinciæ, qui reviderunt, relegerunt, & approbârunt, eâ tamen lege, ut quædam demerentur, & aliqua superadderentur. Hinc contigit, quòd excussis diligentiùs quasi denuò Conventuum Archivis, & literarum scriniis, nonnulla reperta, & subministrata sint, quæ Historiæ per antefatum Chronologum collectæ, ut majorem claritatem adderent, addita sunt. Ac tandem ut publicam lucem videat, prælo, in tui duntaxat Lector Seraphice utilitatem subditum est. Non diffiteor, Opus hoc, licet non immodico labore collectum, Zoilos, & Momos inveniet, qui hic tum Minervæ rudem penicillum, tum Historiæ non servatas leges, & ordinem sugillabunt. Non tamen deerunt boni, & æqua judicantes, qui laborem, & sinceram intentionem Authoris pensantes, in saniorem sententiam abire non erubescent. Tu verò Lector Seraphice Opus hoc, gratô, & benevolô animô lege, & revolve, & si quæ inveneris menda, emendare stude. Vale.

FACULTAS
A. R. P. MINISTRI PROVINCIALIS.

HISTORIAM Provinciæ noſtræ SS. Salvat. in Hungaria per *R. P. Urbanum Fridrich* Prædicatorem, Diffinitorem Habitualem, & p. t. Guardianum Cremniczienſem, ex antiquis Manuſcriptis, & diverſis documentis ſtudiosè compilatam, ac non ſolùm à duobus SS. Theologiæ Lectoribus, & Provinciæ Diffinitoribus actualibus diligenter perlectam, & approbatam, verùm per me quoque in aliqua parte reviſam, pro uſu duntaxat Patrum, & Fratrum hujus noſtræ Provinciæ, de conſenſu, & licentia eorum, quorum intereſt, typis mandari poſſe, præſentibus facultatem impertior. Dedi in Conventu noſtro Caſſovienſi ad S. Antonium Patavinum Die 4. Septembris, Annô Dom. 1758.

Fr. Bartholomæus Marada
Miniſter Provincialis.

Approbationes Theologorum Ord. Prov. Salvatorianæ.

VIdi, & quantùm licuit, attentè revidi Opus hoc, cui Titulus HISTORIA Provinciæ SS. Salvatoris in Hung. à *R. P. Urbano Fridrich* Provinciæ Diffinitore Habituali, ac p. t. Conventûs Cremniczienſis Guardiano magna cum induſtria compilatum, in quo ſiquidem nihil contra Fidem, morúmque candorem repererim, verùm omnia, ordinata methodo conſcripta, quæ de *Ortu*, & *Progreſſu* Almæ hujus Provinciæ SS. Salvatoris, ejúsque viciſſitudinibus, nec non Conventuum Conſtitutionibus, omnibus Superioribus, æquè, ac ſubditis, claram, & genuinam notitiam, eruditionémque, Seraphicæ etiam poſteritati tranſcribendam præbere poſſunt deprehenderim, eapropter, ut publicam lucem aſpiciat, dignum judico. Dabam in Conventu noſtro Caſſovienſi ad S. Antonium Paduanum. Die 2. Septembr. Annô 1758.

Fr. Cajetanus Szalomon
SS. Theol. Lector, Prov. Diffinitor actualis.

OPus hoc ſub Titulo HISTORIA Provinciæ SS. Salvatoris in Hung. induſtriâ *R. P. Urbani Fridrich*, ejusdem Provinciæ Prædicatoris, olim Diffinitoris Actualis, nunc verò Conventûs Cremniczienſis Guardiani ſtudiosè elaboratum, ex commiſſione A. R. P. Miniſtri Provincialis ſatis induſtriosè perluſtravi, atque perlegi, in quo, cùm nihil à Fide ſana, & Catholica, ac bonis moribus alienum invenerim, imò *Ortum*, & *Progreſſum* Provinciæ, Conventúsque exactè referri repererim, proindéque memoriâ, & lectione dignum deprehenderim, ut ad Dei Gloriam, Religionis, & Provinciæ noſtræ decorem typis mandari poſſit, digniſſimum cenſeo. Dedi in Conventu noſtro Caſſovienſi, Divo Antonio Paduano Sacrô. Die 29. Auguſti, Annô 1758.

Fr. Demetrius Hoſzſzúmezei
SS. Theol. Lect. & Prov. Diffinitor. act.

HISTORIA
DE
ORTU, & PROGRESSU
PROVINCIÆ SS. SALVATORIS
IN HUNGARIA.

PARS SECUNDA.
DE
CONVENTIBUS, & RESIDENTIIS.

PROLOQUIUM.

Historiam de Ortu, & Progressu Conventuum scripturus, eos solumodò hic proponere intendo, in quorum possessorio actuali, est Provincia hæc SS. Salvatoris. Et si enim fœcunda hæc Mater, olim, tres supra septuaginta numeraverit Conventus, quia tamen defactô, multorum vix rudera extant, plurimorum solùm fama ampliùs supereſt, è Conventibus item Transylvaniæ, nova, & distincta exurrexit Provincia, hinc oleum, & operam me perdere putarem, si omnium, quos antea incolebamus, originem scrutari pergerem. Cùm igitur, præsentibus magìs afficimur, quam absentibus, præsentium, & actu existentium Conventuum, & Residentiarum, descriptionem accipe benevole Lector, & si quandoque expectationi tuæ minùs satisfactum deprehenderis, primò imbecillitati meæ, quam ingenuè fateor, demum Documentorum (quorum plurima vicissitudine temporum interière) penuriæ, aliquid verò etiam Decessorum in connotando negligentiæ, adscribe.

I. CONVENTUS GYÖNGYÖSSIENSIS AD B. V. ELISABETH VISITANTEM.

§. I.

De Loco Gyöngyös.

Oppidi Gyöngyösi denominatio, & Situs.

Num. 1. OPpidum GYÖNGYÖS, à quernis baccis, viſco coquendo idoneis, quibus locum olim abundâſſe tradunt majores, dictum, ſitum habet ſatis amœnum. Eſt enim locus vineis undequaque, & eminentioribus colliculis ferè clauſus; ad partem Auſtralem fulcitur monte Matra, ad meridiem uſque ad Tibiſcum, & ultra reſpicit planitiem, ad Orientem colles, & ſylvulas Agriam versùs, quatuor milliaribus abinde diſtantem, ad oppoſitam pariter partem, jucunda reſpicit nemora.

Eccleſiæ in eo extantes.

Huic Oppido ornatum conciliant quatuor Sacræ Ædes. Earum princeps, ſeu Parochialis inſignitur Patrociniô S. Bartholomæi Apoſtoli. Altera eſt Conventûs noſtri, de qua infrà. Tertia S. Eliſabethæ Reginæ Hung. aliàs Xenodochialis, in qua diebus Dominicis, & Feſtivis Slavonicæ Nationi, tum ſacrificando, tum prædicando ſervit jam à tempore immemorabili, Slavonicus Concionator Conventûs noſtri. Quarta denique Eccleſia S. Urbani in Tó-Utcza RR. PP. Societatis.

Religioſi in eo degentes.

Duplici item gaudet Religiosâ Familiâ, nempe: Sociorum JESU, qui in palæſtra litteraria juventutem, uſque ad Rhetoricam erudiunt, & Fratrum Minorum de Strictiori Obſervantia. Eſt autem hic locus in Comitatu Heveſienſi Diœceſis Agrienſis ſituatus, olim propter multas devotiones famoſiſſimus, ideoque *Parva Roma* dictus.

§. II.

De Origine, Reſtauratione, & Situ Conventûs.

N. 2. ET ſi ob inopiam Documentorum, probabiliùs injuriâ temporum deperditorum, evidenter minimè demonſtrari poſſit, quô tempore, & à quo Conventus in loco paulò ante brevibus deſcripto, fundatus & ædificatus fuerit; conſtans tamen eſt aſſertio eundem fuiſſe fundatum pro Fratribus Minoribus Regularis Obſervantiæ, & quidem ſub Titulo, & Patrocinio B. Virginis Mariæ Eliſabeth Viſitantis, ab Inclyta Familia Bathoriana, idque probabiliùs circa Annum Domini 1400. Ob quam ſui antiquitatem, tum etiam, quòd à tempore ſuæ primæ fundationis, quaſi ſemper, etiam dum ferè potior pars Hungariæ ſub jugo turcico miſerè gemeret, floruerit, tum denique, quod in hoc Conventu, veluti in ſolido quodam fundamento Provincia hæc Sanctiſſimi Salvatoris, maximorum quoque diſturbiorum temporibus, conſervata fuerit, ob has inquam, & hujusmodi rationes, meritò jam à Sæculo & ultra Conventus hic primum obtinet locum, & pro Matre Provinciæ habetur, & honoratur.

Conventũ fundavit Familia Bathoriana.

Vocatur Mater Provinciæ.

Fatendum quidem eſt, Conventum hunc poſt deplorandum illum Hungarorum in campo Mohách, cum Turcis conflictum, in quo cum ſuo Rege Ludovico flos totius ferè nobilitatis periit, ſortem aliorum ſubi iſſe Conventuum, nimirum à ſupervenientibus Turcis, totaliter exuſtum, non tamen ideò ſimpliciter à Fratribus derelictum, ſed paulò poſt, ex piorum Benefactorum præſertim incolarum, Eleëmoſynis reædificatum, ſicque uſque ad annum 1700. perdurâſſe. Quô annô rurſus de novo exurgere cœpit, & per annos ferè 27. purè ex elëmoſynis hinc inde collectis ædificatus, tandem debitam ſuam accepit perfectionem, atque in tam amplum excrevit ædificium, ut omnes hujus Provinciæ Conven-

Conventus exuſtus, ſed mox reſtauratus.

Iteratò noviter extructus.

ventus magnitudine ſuperet, & pro ſola Fratrum inhabitatione ultra 70. cellas, ſeu cubicula Religioſa numeret, quæ omnia quandoque ſuos habebant inquilinos.

Eſt autem hic Conventus in quadro perfecto poſitus, ad meridiem habens Eccleſiam, de qua mox uberiùs, ad Septentrionem verò hortum ſatis amplum, oleribus, floribus, vitibus, ac arborum varietate, repletum, qui extenſione ſua cingit, etiam ipſam partem Orientalem Conventûs. In medio quoque jucundo ornatur hortulo florum, cum fonte magis irrigandis floribus, quam uſibus humanis idoneo. Tandem verſus Occaſum, reſpicit aream ſatis amplam, cum quibusdam Officinis, tam pro utilitate, quàm neceſſitate Conventûs deſervientibus

Situs Conventûs.

Capitula Provincialia in hoc Conventu olim frequentiſſimè fuiſſe celebrata, ex parte priori hujus Opuſculi clarè deducitur. Quod verò Studium litterarium concernit, Theologia Speculativa multis annis per duos SS. Theol. Lectores tradebatur, quandoque, cum Studio Theologico, etiam Philoſophicum viguit, immò præter hæc Studia, Novitiorum quoque Inſtitutio in ſimul floruit, ut ex Tabulis Provincialibus Anni 1684. & 1685. manifeſtè patet, poſt quos annos, uſq; ad annum 1724. ceſſante Theologiâ Speculativâ, modò Novitiatus, modò Philoſophia, quandoque Studium Caſuum Conſcientiæ habebatur. Denique ab Anno 1724. conſtanter perſeverat Studium Theologiæ Speculativæ, & Sacrorum Canonum.

Capitula frequentes celebrata.

Quale Studiū viguerit.

Quod attinet annuam Religioſorum Fratrum ſuſtentationem, hæc habetur, juxta Teſtamentum S. Fundatoris ex Menſa Domini, ſeu ex Eleëmoſyna oſtiatim emendicata, atque gratuita Beneſactorum oblatione, quæ ſubinde ſeptuaginta prope Fratribus ſufficiebat, licèt anno hoc nempe 1758. nonnisi 56. Perſonæ Religioſæ in hocce Conventu numerentur, ùt ſupra dictum eſt.

Suſtentatio Religioſa.

§. II.

De Statu Eccleſiæ, & Cryptis in ea contentis.

N. 3. EO tempore, quo olim Conventus ædificatus fuerat, Eccleſia quoque ſuam adepta eſt ſtructuram, ac tandem Annô 1700. aucta, & reſtaurata, nec non poſthac Capellis, & ſucceſſu temporis etiam pluribus Altaribus exornata. Tutelarem ſuam Patronam, in Summa Ara reveretur B. Virginem MARIAM Eliſabeth Viſitantem. *Primam* collateralem Aram habet S. Franciſco Seraphico dicatam. *Secundam* ex parte altera S. Antonio Padvano. *Tertiam* in latere Eccleſiæ B. Matri Doloroſæ. *Quartam* in Capella, Sanctiſſimæ Trinitati. *Quintam* S. Petro de Alcantara. *Sextam* S. Roſaliæ. *Septimam* S. Joſepho, *Octavam* Denique S. Annæ honori Sacratam.

Eccleſiæ Structura.

Altaria.

Inſuper Eccleſia hæc decorata eſt Annô 1744. novô chorô ſupra portam Eccleſiæ extructô, in quo mox Officium Divinum perſolvi cœpit, quod priùs ante Altare majus abſolvebatur. Cùm autem Chorus iſte, utpote non juxta debitam artis peritiam ædificatus, minimè ſtabilis foret, ruinatus eſt, & anno 1758. alter extructus. Ad ejusdem latus dextrum, exurrexit Turris nova, & annô 1756. laminâ albâ tecta. Item Domus Lauretana B. Virginis MARIÆ, immediatè penes Turrim, Munificentiâ Spect. D. Joannis Almáſi erecta, una cum Crypta infra dictam Domum Lauretanam, pro ſepultura perennali Familiæ Almaſianæ.

Extruitur novus Chorus. Item Turris altera. Item Domus Lauretana.

De Conſecratione hujus Eccleſiæ, nîl certi conſtat. Conſraternitates, ſeu Congregationes habet binas, videlicet Chordigerorum S. P. N. Franciſci, quæ Annô 1648. erecta, & die 13. Septembr. inchoata eſt, & S. Antonii Padvani, quæ annô 1671. ſuum exordium ſumpſit, utraque ab Ordinario confirmata eſt. Exercitium quoque Viæ S Crucis, jam ab annis pluribus in eadem Eccleſia, cum magna populi devotione practicatur. Conciones ad populum omnibus diebus Dominicis, & Feſtis habentur, & quidem ſolô & unicô idiomate Hungarico, exceptis nonnullis Solemnitatibus, in quibus Slavonicæ quoque Nationi, Verbum Dei proponi ſolet.

Erectæ Confraternitates.

Particula Crucis Christi.

Habetur quoque in hac Ecclesia authentica Particula S. Crucis, in qua Salvator noster pro nobis passus, & mortuus est, quæ certis diebus publicæ Veneration exponi solet. Præter hanc conservantur in Sacristia sequentia. *1mò.* Certa tela oblonga, & duplicata, figuram Salvatoris D. N. J. Christi repræsentans, in qua hæc Scriptura legitur: *Hic pannus attactus est Sudario Christi Domini annô 1512.* *2dò.* Pars Cruris humani, & partes ex Manu, in theca argentea sparsim deaurata, ac per modum manûs elaborata, & quidem in parte majori ossis, hæc Scriptura legitur: *Crus S. Ladislai Regis Hung.* *3tiò.* Quidam lapis niger, thecæ argenteæ inclusus, qui dicitur esse ex lapidibus, quibus S. Stephanus Mart. fuerat lapidatus, vel saltem alicui eorum attactus. *4tò.* Una Calvaria humana integra, quam referunt esse unius ex 11000. Virginum per Hunnos trucidatis. Quia verò rerum istarum veritas nullô authenticô testimoniô remonstrari potest, meritò ab earum cultu externo, & publico, abstinetur.

Res quædã Sacræ, sed non authẽticæ.

Numerus Cryptarũ.

Cryptæ in hac Ecclesia, præter supra dictam sub Laureto, numerantur octo, in Sanctuario quidem quatuor, & totidem in Corpore Ecclesiæ, è quibus una, nimirùm in medio extructa est annô 1715. pro Familia Halleriana, illam verò quæ est ante Altare SS. Trinitatis, Spect. D. Christophorus Steffel fieri curavit pro sua itidem Familia. Porrò è nostris Patribus, & Fratribus non nisi 170. in hac Ecclesia tumulati deprehenduntur, cùm tamen longè plures tumulatos fuisse exinde autumare licet, quòd hic Conventus, à sui primæva erectione, quasi continuò per Fratres inhabitatus fuerit.

§. III.

Adfert Litteras quasdam Protectionales hujus Conventûs.

N. 4. NEmo inficiabitur Patres nostros in hoc Conventu manentes, temporibus revolutionum plurimas passos fuisse tribulationes, & persecutiones, non modò à Turcis, Agriæ, Hatvanii, Fülekini, Szécsénii &c. manentibus, verùm etiam à perversis Christianis, præsertim hæreticis; Quare, ne locum hunc deserere, & populum Catholicum (cui in defectu aliarum Spiritualium Personarum, soli serviebant, Munia etiam Parochialia, præcipuè Gyöngyössini sat longo tempore obeundo) absque servitio, & solatio Spirituali relinquere cogantur, ad eorum patrocinium recurrebant, quorum authoritate, & potentia, se tutos fore existimabant. Plures igitur in Archivo hujus Conventûs reperiuntur Litteræ Authenticæ, Conventûs, & Fratrum Protectionales, ut Ferdinandi I. & II. Imperatorum, & Hung. Regum. Item Joannis Sigismundi Zápolya, Matthiæ Archi-Ducis Austriæ, Principum Gabrielis Bethlen, & Francisci Rákòczi, Joannis item Kutassi Archi-Episcopi Strigon. Alexandri Károlyi, Bassarum Agriensium, & hujusmodi, quas omnes hic apponere, cùm supervacaneum judicem, aliquas tantùm dabo, è quibus, tam persecutiones Fratrum, quàm continua in loco hoc, eorum mansio patere potest.

Variæ litteræ Protectionales in Archivo Conventûs conservatæ.

Litteræ FERDINANDI I. Roman. Imperator.

FERDINANDUS Divinâ favente Clementiâ Romanorum, Hungariæ Bohemiæ &c. Rex semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archi-Dux Austriæ &c. Fidelibus Universis, & singulis Dominis Prælatis, Baronibus, Comitibus, Vice-Comitibus, Capitaneis, Castellanis, Officialibus, eorumque Vices gerentibus, Judicibus, Juratis, quarumcunque Civitatum, Oppidorum, ac Villarum, tam Nostrarum, quàm Fidelium Subditorum Nostrorum, ubivis constitutorum, & existentium, præsentes visuris salutem, & gratiam.

CUm Nos, Religiosos Fratres Minores de Observantia, in Oppido Berény, & Gyöngyös commorantes, qui à plerisque irreligiosis, & violentis hominibus, injurias, & molestias sæpe numerò pati dicuntur, pariter cum cunctis eorum bonis, ac rebus, tam Ecclesia-

cleſiaſticis quàm Sæcularibus, in Noſtram ſpecialem ſuſceperimus tutelam, ac protectionem, Vobisque, & in Perſona Noſtra Veſtræ tuitioni, ac protectioni duxerimus committendos; Fidelitatibus Veſtris propterea, ac Veſtrum ſingulis, harum Serie firmiter præcipimus, committimus, & mandamus, ut eosdem Fratres, omnésque Res, & eorum Bona, tam Eccleſiaſtica, quàm Sæcularia, ubivis exiſtentia, juſta, ut puta, ac legitima, contra quoſvis illegitimos, & irreligioſos impetitores, turbatorésque, tueri, ac defendere, omníq; Eis neceſſario auxilio adeſſe, quo, in Eccleſiis Eorum pacificè, ac ſine moleſtia Divinum Cultum exercere, Fidémque, & Religionem juxta vetera Sanctorum Patrum Inſtituta, Ritúmque Eccleſiæ Romanæ, ubique prædicare, & alia, quæ ad eorum Officium pertinent, liberè, & absque impedimento propagare poſſint, contráque eos, qui ſecùs facerent, & ipſos Fratres, in præmiſſis quovis modo impedirent; Vos, quorum intereſt, ad eorundem Fratrum requiſitionem, debitis pœnis animadvertere debeatis, & teneamini, ſecùs non facturi. Præſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum Viennæ die 5. Aprilis Annô Domini 1552.

FERDINANDUS m. p.

Nicolaus Olahus Epiſc. Agrienſis.

Litteræ MATHIÆ Archi-Ducis Auſtriæ &c.
Contra Hæreticos Gyöngyöſlienſes.

MATHIAS Dei Gratiâ Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Comes Tyrolis. Providi, ac Circumſpecti, Nobis Dilecti.

EXpoſuerunt Nobis gravi cum querela Religioſi Patres, & Fratres Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, Provinciæ SSmi Salv. quòd vos auſu quodam temerario, contra pacta, & conventa, proximè concluſa, non ſolùm Templum Catholicorum majus Cathedrale, quòd inde à memoria hominum, ſemper ab Orthodoxis tentum, & poſſeſſum fuiſſet, alienare, ſed etiam Clauſtrum ipſorum, eliminatis inde, & exturbatis Fratribus ſuis, vi, & potentiâ mediante occupare niteremini. Quod quidem qua ratione, tam audax facinus committere auſi eſtis? non facilè nobis perſuademus. Anne ignoratis, liberum extendere cuique Religionis ſuæ uſum non aliter à Nobis, quàm ut ſine præjudicio Romanæ Eccleſiæ fieret, utque Clerus, & Templa Catholicorum Romanorum intacta permanerent, conceſſum fuiſſe? Qua igitur ratione vos plebei, & idiotæ in negotium Religionis dirigendæ, cùm neque privilegiati ſitis, neque Oppidum iſtud quod inhabitatis, præciſè ad Coronam ſpectet, ingerere audetis? In quantum itaque gravius quidpiam in vos propterea ſtatui cupiatis, hiſce vobis, Nomine, & Authoritate Sacræ, Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis, Domini, & Fratris Noſtri obſervandiſſimi, atque etiam vigore Plenipotentiæ Noſtræ, firmiter committimus, & mandamus, ut non tantùm ejusmodi malignis veſtris conatibus, omnino debeatis deſiſtere, nec quidquam injuriarum, aut damnorum, quantumcunque inſtigemini, prælibatis Fratribus inferre ullatenus audeatis aut præſumatis, ſed etiamſi, alterutrum Templorum ipſorum, perverſo aliorum inſtinctu occupaſſetis, eisdem ſtatim, ſub gravi Suæ Majeſtatis, ac Noſtra indignatione remittere, ac reſtituere, eosdemque impoſterum indemnes ſervare, ac quemadmodùm hucuſque quietè & pacificè convixiſtis, ita dehinc quoque tranquillè vivere, mutuam amicitiam, bonamque vicinitatem colere, omnimodè debeatis, & teneamini. Secùs ſub præſcripta pœna nullatenùs facturi. Datum in Arce Laxenburg 11. die Menſis Januarii, Annô MDCVII.

MATHIAS m. p.

Litteræ Hungaricæ Baſſarum Agrienſium,

quibus conceditur, ut Fratres Noſtri hinc inde commeare poſſint, absque tamen armis, ſolùm cum baculo; quæ cuinam ſcriptæ fuerint non conſtat, ex earum tamen contextu videtur ſcriptas fuiſſe, non ad Fratres noſtros, ſed ad Ducem aliquem Chriſtianorum. Sic autem ſonant:

Mi az hatalmas, és győzhetetlen Cáſzárunk Vig Eger Várában lévő, 's lakozó, Nemzetes, és Nevezetes, Vitézlő, Diványos Urak, és Agák, nevezet ſzerént, Jancsár Vitézek fő Agája, Vitézlő Mehemet Aga. Gömlia Vitézek fő Agája, Vitézlő Mobarim Aga. Vitézlő Záim Iſpájak, Teſter Tihája. Vitézlő Juſzof Aga, Jancsár Vitézek, fő Tihája Bekit. Vitézlő Hacſi Imrahim Aga. Vitézlő Záim Iſpaják fő Olajbekit. Vitézlő Ambet Aga, Vár-béli gyalog Vitézek, fő Porkolábja. Vitézlő Hazan Aga, gyalog vitézek fő Agája. Vitézlő Mehemet Aga, Gömlia Vitézek fő Tihája, Bekit Vitézlő Mehemet Aga, Beslia vitézek fő Agája, Vitézlő Pécſi Mehemet Aga, és közönségeſſen kik vagyunk.

Illendő, és Tiſzteſséges doldokban-való jó akaratunkat ajánlyuk kegyelmednek, mint Vitéz Szomſzéd Ur jó akarónknak. Iſten kiván jókkal áldgya-meg Kegyelmedet.

Mivel hogy Méltóságos Baſa Urunk, minket meg nevezet Vitézlő Diványos Urakat, az kegyelmed hozzánk küldött leveléhez képeſt, Diványban hivatván, és velünk tanácſot tartván, hogy ha ez ideig volt e' ſzokás, hogy mind az két réſzről, az Barátok ſzabadon járhaſſanak? melyre feleletet tévén, hogy volt. Azonban ő Nadsága-is tőn olly parancſolatot, hogy ez után-is úgy légyen, csak az Barátot bocsáſſa bé kegyelmetek, az mely igy lévén, mi-is fogadgyuk, Uri Török hitünkre, emberségünkre, és tiſzteſségünkre, hogy az mi réſzünkről-is ezentúl, kegyelmetek Baráti, meg-nem bántatnak, hanem járhaſſanak, kelheſſenek bottal, fegyver nélkül; haſonlóképpen kegyelmetek adgyon olly hit levelet, hogy az mi Török Barátink-is fegyver nélkül bottal, az hol járnak, kelnek, 's Hocſaink-is az Magyar réſzről, meg-ne bántaſſanak, és igy ebben meg-álván az jó ſzomſzédság közöttünk dicſirtetik. Az melynek nagyob bizonyságára adtuk, ez Divány-béli levelünket Pecsétünkel meg-erősitvén. Ezek után Iſten kegyelmedet élteſſe jó egéſségben. Iratot Vig Eger Várában die 9. Decembr. 1681.

Iidem qui ſumus ùt ſuprà.

His addo Litteras quasdam Senatûs Gyöngyöſſienſis pro innocentia Fratrum Gyöngyöſſienſium Annô 1539. emanatas, & ad hoc uſque tempus in Archivo Conventus conſervatas. Cùm enim circa prædictum annum, actæ fuiſſent variæ detractiones, & peſſimæ de Patribus, & Fratribus hujus Conventûs infamationes per hæreticos illius temporis, eæque in Oppidis, pagis, nundinis, & prophanis quibúsque Conventiculis, nimium divulgatæ fuiſſent, Senatus Oppidi Gyöngyös, non ignorans vitam Fratrum Noſtrorum utique laudabilem, & ab omnis vitii ſuſpicione alienam, in conteſtationem innocentiæ noſtræ, dedit litteras communitatis Sigillo munitas ſequentis tenoris:

Nos Judices, & Jurati Cives Oppidi Gyöngyös. Univerſis, & ſingulis, Reverendiſſimis DD. Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, ac eorum in Spiritualibus Vicariis, Abbatibus, Præpoſitis, Archi-Diaconibus, Plebanis, nec non Magnificis, Egregiis, Nobilibus, ac Circumſpectis Judicibus, Juratisque Civibus, Civitatum, Oppidorum, Villarum, cæterisq; cujuscunque Statûs, Ordinis, & conditionis, intra, & extra iſtud Regnum Hungariæ exiſtentibus, Dominis Nobis gratioſis, præſentes noſtras Litteras inſpecturis, viſuris, & audituris, ſignificamus, inſinuamus, & intimamus: quemadmodùm paucis his anteà evolutis diebus, quidam maligni ſpiritus conſiliô repleti, contra integerrimam vitam, ac bonam famam, & laudabilem converſationem, Ven. Religioſorum Ordinis Fratrum Minôrum S. Franciſci de Regulari Obſervantia, in Clauſtro Oppidi Noſtri præfati degentium,

tium, ac eorum Ordinem, quædam iniqua, linguâ procaci, & ſubdolâ confinxerant, Eosdem, ac Eorum Ordinem falſis infamiis, & libellis famoſis, livore odii impetentes, & maculantes. Quæ quidem infamiæ, ad aures multorum hincinde devolutæ fuerunt, & delatæ, quoniam nihil velocius falſo rumore; quippe ex his nonnulli levitate ducti, falſa pro veris arbitrantes, quæ non non ſolum in Noſtro ipſo Oppido, verùm etiam in nundinis publicis, ac Sedibus Comitatuum DD. Nobilium præfatorum, Civitatibúsque, Oppidis, Villis, & alibi linguis procacibus, & ſubdolis ſeminaverunt, & auxerunt. Quod Nos diligenti examinatione diſcutientes, reperimus illas falſas infamias, quorundam teſtium falſorum, ac malevolorum hominum, Lutheranorúmque fuiſſe, & eſſe adinventas, & fulminatas. Igitur ad deteſtationem horum, qui has iniquas infamias, libellósque famoſos, contra dictos Fratres, & Eorum Ordinem temerariè, & falsè confinxerunt, ediderunt, & promulgaverunt, denique ad eorum indelebilem confuſionem, qui infamias hujusmodi, ac continentias libelli famoſi præfati aſſererent, vel crederent, aut opinarentur fuiſſe, & eſſe veras; Dicimus, & fatemur, dictos Fratres & eorum Ordinem, à prædictis, & aliis quibuscunque infamiis, fuiſſe, & eſſe innocentes, & immunes; Quandoquidem ab initio, à quo iidem ingreſſi ad iſtud Clauſtrum Noſtri Oppidi præfati, non minùs grati, & accepti, quàm neceſſarii, & utiles fuerunt, & ſunt de præſenti, ab eis enim nullus eſt apud Nos, nec dives, nec pauper, qui ſpirituale ſolatium, & animæ levamen non ſuſcipiat. Nihilominùs ſi ipſi, vel aliqui ex Noſtris oppidanis eosdem Fratres, aut Ordinem ipſorum, prætextu dictarum infamiarum, quovis modo verbis, vel factis offendiſſemus, ipſos cum ducentis hominibus, Nobilibus videlicet, & Ignobilibus publicè reconciliavimus, ac eisdem noſtras culpas diximus, & recognovimus, ac cum ipſis Nos hincinde pacificos fecimus. Præterea pari conſenſu ſtatuimus, quòd ſi quis ex eisdem Noſtris Oppidanis, deinceps præſumpſerit aliquas chartulas infamatorias, in infamiam dictorum Fratrum, vel eorum Ordinem conficere, ac illas in Eccleſiis eorum, vel alibi ponere, aut aliter eos infamare, vel eis prædictas infamias falſas objicere, talis legitimè convictus ſecundùm quod inter nos, ac Reverendum P. Miniſtrum eorundem Fratrum, extitit ordinatum, punietur, prout jam nonnulli providè per Nos ſunt puniti, quorum correctio, & alios cautiores effecit, ne de cætero, tales vel ſimiles infamiæ falſæ, & ſubdolæ eisdem Fratribus, vel Ordini ipſorum, aut aliis falsò adſcribantur. In quorum omnium fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras Litteras exinde fieri, Sigillique Noſtri Oppidi jam dicti, fecimus impreſſione communiri; quas poſt earum lecturam, petimus exhibenti reſtitui. Datum in Noſtro Oppido ſæpè dicto Dominicâ Primâ poſt feſtum Epiphaniæ Domini Annô ejusdem 1539.

(L.S.)

§. IV.

De Rebus Memorabilibus hujus Conventûs.

N. 5. PErſuaſum mihi certè habeo, in famoſiſſimo hocce, ac ſimul vetuſtiſſimo Provinciæ hujus Conventu, Res memoriâ dignas, proindéque poſteritati meritò transmittendas, tam multas à ſui prima erectione accidiſſe, ut earum connotationi, plurimæ neceſſariæ forent paginæ; cùm tamen ego Archivum Conventûs iſtius inſpicere non valuerim, nec plura præter ſuprà adducta mecum communicata ſint, exiguum quid memoriâ dignum, jam præattactis ſuperaddere poſſum. Ratio, cur pauca hic referri poſſint.

Igitur in Connotationibus de Rebus Provinciæ P. Chriſtophori Agricola, hujus Provinciæ Religioſi, Annô 1675. factis, hæc lego: Sextus Conventus (Cuſtodiæ Strigonienſis) de Gyöngyös, à Magnificis DD. Bathorienſibus fundatus, ad honorem Viſitationis B. V. MARIÆ. - - - Ibidem Fratres noſtri principalem Cathedram tenent, ab annis immemorabilibus, & in Conventu concionantur; ad Concionem, tanta hominum concurrere ſolet multitudo, quanta vix in aliquo Hungariæ loco, in una Concione videri poſſit, excedit enim ſubinde numerum Relatio ex Connotationibus P. Chriſtoph. Agricola. De Cathedra principali Gyöngyöſſini.

De Cathedra Slavonica.

trium millium. In alia etiam Eccleſia ejusdem Civitatis Xenodochiali nimirùm, tenemus Cathedram Slavonicam, ibidem concionantes cum ſummô animarum fructu, plurimi enim hæretici in dies convertuntur, & ad gremium Matris S. Romanæ Eccleſiæ reducuntur.

De Serviiis Spiritualibus ad extra.

Prætereà in locis circumjacentibus, quantum Fratres noſtri Conventûs Gyöngyöſſienſis, in Vinea Domini impendant laborem, quantúmque faciant fructum, nemo eſt qui edifferat; ſunt Pagi circumjacentes plures quàm trecenti, & ferè nullus Spiritualis, qui incolas illorum locorum, viam mandatorum Dei edoceat, aut pabulo Verbi Divini nutriat, ſoli Fratres cum plurimis, & maximis calamitatibus, Turcorum perſecutionibus, percuſſionibus, quas ſæpè ſæpiùs patiuntur, imò cum manifeſtó ſubinde vitæ diſcrimine, zelô ducti ſalutis animarum promovendæ, prædictos Pagos circumeunt, Catechiſmum docent, exemplo, & verbô inſtruunt, & Sacramenta quæque adminiſtrant. Ex quibus manifeſte deducitur ſi Fratres Noſtri temporibus maximorum diſturbiorum, & belli incommoditatum, Gyöngyöſſini non manſiſſent, hucuſque omnia ferè illa loca, à fide Orthodoxa defeciſſent, ob penuriam fidelium animarum Paſtorum. Hæc ille.

Cæterùm ſi cui dubium occurrat, ubi tanta hominum multitudo, ad audiendum Verbum DEI confluens, contineri potuerit, Eccleſiâ trium millium hominum minimè capaci? illud advertere neceſſe habet: quòd ante annum 1700, quô

Locus pro Concionibus habendis extra Eccleſiam.

ſtructuram moderni Conventûs, inchoatam fuiſſe ſupra relatum eſt, longè alia facies fuerit domûs iſtius Religioſæ; nam ut ex aliis Connotationibus patet, internum Conventûs ſpatium murô intermedio dividebatur, párſque illa Eccleſiæ proxima inſerviebat Auditoribus, Verbum Divinum devotè excipientibus, in quem finem, ex parte utraque fuerat ſtructura quædam lignea, ſcandulis tecta, ſubtus ſedilia pro Auditorum commoditate habens; duæ inſuper Fraxini arbores proceræ, in medio illius ſpatii conſiſtentes, jucundam non paucis Verbo DEI attentis præbebant umbram. Ex quibus patet æſtivo tempore, Conciones rarò in Eccleſia, ſæpiſſimè hoc in loco declamatas fuiſſe.

N. 6. Sed neque pars altera, ſpatii illius interni, murô intermediô ut mox dictum eſt diviſi, omni caruit raritate, in ea námque præter fontem culinæ inſervientem, & hidriam lapideam, veſtium lotioni accomodam, fertur fuiſſe Vitis

Vitis raræ magnitudinis.

quædam ſupra ſtaturam hominis longè elevata, & in palmitibus ſuper ſtructuram ligneam in tanta quantitate extenſa, & diſtributa, ut umbrâ ſuâ facilè homines 30. potuerit protegere, quæ tamen annô 1709. ob intenſiſſimum, & à memoria hominum non auditum frigus interiit.

Addi his poteſt: extitiſſe olim in horto hujus Conventûs Orientem reſpiciente (ad quem per quendam ambitum Sacriſtiam à Conventu ſeparantem ingreſſus patebat) aliquot buxos, duorum hominum altitudinem ſuperantes, ſub quibus, dum Sacer Ordo Fratrum Minorum quintum celebraret Sæculum, præmiſſa ſolemni devotione in Eccleſia, non pauci ejus temporis Officiales Hungarici, aliique Benefactores Noſtri, prandio Franciſcanico ſunt excepti, quæ tamen una cum vîte mox prædicta, ob idem intenſum frigus interiere.

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô

1531. P. Andreas de Rettek.
1533. P. Joannes de Kopácſi.
1537. P. Thomas de Patha Jun.
1539. P. Georgius de Tata.
1542. P. Joannes de Varadino.
1544. P. Franciſcus de Szegedino.
1546. P. Nicolaus de Balatincz.
1548. P. Andreas de Palka.

Annô

1550. P. Joannes de Varadino.
1554. P. Benedictus Cſerögyi.
1558. P. Stephanus de S. Ladislao.
1559. P. Blaſius Zakányi.
1561. P. Ægidius de Thivadar.
1567. P. Nicolaus de Bánya.
uſque ad annum 1574.

Annô

Annô
1574. P. Caſparus Gyulanus.
1576. P. Joannes de Gyöngyös.
1579. P. Mathias de Thárnok.
1581. P. Joannes de Gyöngyös.
1583. P. Emericus de Gyöngyös.
1586. P. Paulus Szelevényi.
1589. P. Andreas de Sajótariány.
1592. P. Petrns de Gyöngyös.
uſque ad annum 1602.
1602. P. Nicolaus Fenemethi.
uſque ad annum 1608.
1608. P. Joannes Porkoláb.
1612. P. Mathias Saári.
1616. P. Andreas Loſonczi.
uſque ad annum 1622.
Poſt hunc nullus videtur inſtitutus Guard. cùm ipſe P. Miniſter Prov. ſuam ordinariam hic habuerit reſidentiam.
1626. P. Emericus de Gyöngyös.
1629. P. Ambroſius de Gyöngyös.
1632. P. Michaël Somlyai.
1635. P. Emericus de Gyöngyös.
1638. P. Andreas Cſoma.
1641 P. Ambroſius Saári.
1644. P. Emericus de Gyöngyös.
1646. P. Jacobus Nitrai.
1647. P. Paulus Szegedi.
1650. P. Joannes Cſiki.
1656. P. Franciſcus Joan. Szegedi.
1659. P. Joannes Cſiki.
1660. P. Franciſcus Szegedi.
1661. P. Joannes Cſiki.
1662. P. Hieronymus Slavik.
1663. P. Caſparus Jászberinyi.
1665. P. Emericus Pásztohi.
1667. P. Nicolaus Baróthi.
1668. P. Franciſcus Joan. Szegedi.
1669. P. Athanaſius Erdöſs.
1671. P. Gregorius Kúcsár.
1672. P. Bartholomæus Koloſvári.
1673. P. Caſparus Jászberinyi.
1675. P Gerardus Kecskeméti.
1676. P. Franciſcus Joan. Szegedi.
1678. P. Andreas Phülöp.
1679. P. Lucas Conſtantini.
1680. P. Ambroſius Ivankovics.
1684. P. Remigius Nyájas.
1685. P. Athanaſius Móra.
1687. P. Andreas Paláſti.

Annô
1688. P. Remigius Nyájas.
1689. P. Andreas Paláſti.
1690. P. Alexius Fekete.
1691. P. Benedictus Sigmond.
1692. P. Gerardus Kecskeméti.
1693. P. Georgius Sera.
1694. P. Caſparus Büzás.
1695. P. Dionyſius Keleffi.
1697. P. Andreas Paláſti.
1698. P. Athanaſius Móra.
1699. P. Remigius Nyájas.
1700. P. Joſephus Fodor.
1702. P. Sylveſter Vaſs.
1703. P. Thomas Kiſs.
1705. P. Alexius Fekete.
1708. P. Blaſius Móra.
1710. P. Alexander Spanik.
1714. P. Bernardinus Biró.
1715. P. Caſparus Szenczi.
1717. P. Bernardinus Biró.
1718. P. Joannes Nagy.
1720. P. Bernardinus Biró.
1721. P. Benedictus Debrödi.
1723. P. Michaël Ferenczffi.
1724. P. Joannes Kutaſſi.
1725. P. Bernardinus Horváth.
1726. P. Dionyſius Paláſti.
1728. P. Michaël Ferenczffi.
1729. P. Clemens Petrik.
1730. P. Dionyſius Paláſti.
1731. P. Daniel Hárai.
1732. P. Michaël Ferenczffi.
1735. P. Remigius Olaſz.
1736. P. Stephanus Fiſſer.
1737. P. Michaël Ferenczffi.
1738. P. Franciſcus Wrancſics.
1741. P. Stephanus Fiſſer.
1742. P. Alexander Badzej.
1743. P. Gregorius Gulyás.
1745. P. Nicolaus Tukinſzki.
1746. P. Paulus Siket.
1747. P. Adalbertus Kalcsó.
1748. P. Sigiſmundus Balás.
1750. P. Paulus Siket.
1753. P. Philippus Kriſton.
1755. P. Vincentius Büki.
1756. P. Alexander Badzej.
1757. P. Gabriel Székeſi.
uſque nunc.

II. CONVENTUS SZEGEDIENSIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ AD NIVES.

§. I.

Brevis descriptio Civitatis Szeged.

N. 7. SZegedinum Libera, Regiáque Civitas, ad ripam Tibiſci ſita, principatum obtinet, non modo in Comitatu Cſongradienſi, verùm in toto ferè illo tractu partium inferiorum, uſque ad Banatum excurrente. Quòd ſi amplitudo ejus conſideretur, vix ullam, vel admodùm paucas è totius Regni Civitatibus ſibi pares habet. In tres namque diviſa eſt Civitates, quarum una Superior, Inferior altera dicitur, Media verò (in qua fortalitium nec inelegans, nec immunitum conſpicitur) Palanka nuncupatur. Civitas hæc olim ad Diœceſim Cſanadienſem pertinebat, deinde ad Colocenſem, nunc ſuum Diœceſanum veneratur Archi-Epiſcopum Strigonienſem.

Amplitudo Civitatis.

Ecclesiæ antiquæ Civitatis.

Ultra vicenas olim fertur habuiſſe Eccleſias, è quibus duæ tantùm ſuperſunt, una in Civitate media Palanka dicta, Parochialis, Divo Demetrio M. Sacra, in qua PP. Piarum Scholarum munia Parochialia obeunt. Altera verò B. Virginis MARIÆ ad Nives in Civitate inferiori, in qua Fratres Minores Strict. Obſerv. Sacra peragunt, de qua tamen plura mox infrà. Porrò præter has antiquas, duæ actu in Civitate Superiori, è fundamentis exurgunt Eccleſiæ, unam in Honorem S. Georgii M. ponunt Cives Szegedienſes, pro commodiori functionum Parochialium executione, alteram verò in Honorem S. Nicolai Epiſcopi, ædificant Fratres Ordinis Minorum Conventualium. Qui plura de hac Civitate ſcire deſiderat, eos conſulat, quorum finis principalis fuit Civitates, Oppida, & alia Regni Hungariæ loca deſcribere, nam ego ad Conventûs noſtri deſcriptionem propero. Sit igitur:

Duæ actu extruuntur.

§. II.

De Conventûs Origine, Deſtructione, & Reparatione.

N. 8. IN loco ſic brevibus deſcripto, exiſtere Conventum Fratrum Minorum Strict. Obſerv. ab annis quàm plurimis certiſſimum eſt; quo tamen tempore, quóve annô, prima pro eodem jacta ſint fundamenta, Fratresque noſtri eundem incolere cœperint, æquè dubium manet, uti de priori.

Synodus Pazman. refert Conventum fuiſſe, fundatum annô 1301. ſed non rectè.

N. 9. In Synodo quidem Pazmaniana, Appendice II. de Monaſteriis Ord. S. Franciſci, ſequentia leguntur: *Szegedienſe* (Monaſterium) *S. MARIÆ ad Nives in Cſanadienſi Diœceſi Annô 1301. fundatum, quòd cùm à Turcis Annô 1525. eſſet exuſtum, reſtauratum eſt ab iisdem Turcis, ad inſtantiam Civium Szegedienſium pro ſex Fratribus.* Quibus ſignificatur: Primum Conventum hoc loco ædificatum fuiſſe, annô 1301. quod tamen ſuſtineri vix poteſt, conſtat enim ex p. 1. hujus Operis: Vicariam Boſniæ, ex qua Vicaria, demùm verò Provincia Hung. SS. Salvatoris pullulavit, erectam fuiſſe per Gerardum Oddonis Miniſtrum Gen. totius Ordinis, primùm, annô 1339. igitur, vel primus Conventus noſter, non annô 1301. vel certè non pro Fratribus Regularis Obſerv. fuit extructus.

Chriſtoph. Agricola de Conventûs origine relatio.

N. 10. Noſter Chriſtophorus Agricola, jam ſuprà in Conventûs Gyöngyöſſienſis Deſcriptione citatus, ait: Conventum Szegedienſem fundatum fuiſſe à Mathia Corvino Rege Hungariæ Annô Domini 1468. cùm tamen bellicoſiſſimus hic Rex, ob continua, quibus diſtrahebatur bella, operi inchoato, ultimam manum,

num, morte etiam præventus, admovere non potuiſſet, tandem ſumptibus Civium Szegedienſium, ad juſtam perductum fuiſſe perfectionem. Cui ſuffragari videtur illud: quod actu etiam extet in eodem Conventu pretioſiſſima quædam Caſula, gemmis, & unionibus copioſiſſimis ornata, quam dictus Rex Mathias huic Eccleſiæ, liberaliter donâſſe perhibetur. Multi, Paludamentum hoc Mathiæ Regis fuiſſe aſſerunt, ſed nunc Caſulam hujuſmodi extare certiſſimum eſt.

11. Denique Annaliſta noſter Waddingus Tom. 15. fol. 169. Num. 42, ad annum 1498. hæc habet: *In Hungaria duas ſub hoc tempore domos ædificâſſe Fratres Obſervantes, unam ſub S. Spiritûs Titulo, in Urbe Varadinenſi, alteram in Oppido Szegedienſi, Diœceſis Colocenſis mihi conſtat ex lite mota per PP. Conventuales. &c.* Cui ex his magis aſſentiendum ſit? determinare nequeo, utrumque tamen, ſic conciliari poſſe judico: Conventum hunc circa tempus à Waddingo relatum, ſeu circa annum 1498. omnino in Opere fuiſſe, cujus tamen fundamenta jam annô 1468. poſita fuerunt, nam & ipſe Agricola fatetur Conventum debitam perfectionem accepiſſe primò, annô 1501. Relatio Waddingi de origine Conventûs.

N. 12. Illud omni dubio caret, quòd annô 1495. Patres Noſtri in hoc loco extiterint, &, ſi non ex omni parte perfectum, certè tamen jam regularem, & formatum habuerint Conventum. Manifeſtè id deducitur ex Decreto Petri III. Archi-Epiſcopi Colocenſis, & Thomæ Epiſcopi Agrienſis, primi quidem Conventualium, alterius verò Obſervantium, Conſervatorum. Cùm enim circa prædictum tempus, lites quædam inter Fratres Conventuales, & Obſervantes exortæ fuiſſent, & in ſpecie de hoc Conventu Szegedienſi, à cujus ædificatione, Fratres Conventuales, Nos impedire nitebantur, tandem mediantibus prædictis Conſervatoribus, annô ut præfertur 1495. pacificatio peracta eſt, cujus pacificationis punctum primum ita ſonat: *Imprimis quod Clauſtro in Szegedino noviter pro Obſervantibus conſtructo, Fratres Conventuales perfectum, & plenum aſſenſum præſtiterint, ſine tamen præjudicio Conventuum eorum, id eſt, ut per hoc Eccleſiæ ipſorum in conquirendis eleemoſynis detrimentum non patiantur, ſed uni parti, ſicut, & alteri eleemoſynas petere, ſine contradictione alterius, ut conſuetudo eſt in tota Italia, licitum ſit.* Demonſtratur Conventũ hunc extitiſſe annô 1495. Punctum Pacificationis.

Quod demum aliis quoque litteris, *Concordia inter Fratres Obſervantes, & Conventuales*, paſſim nuncupatis, & annô 1497. emanatis, ac taliter incipientibus: *Nos Frater Gregorius de Zekehew Ord. Min. S. Franciſci Conventualium --- in Provincia Regni Hung. Miniſter --- & Fr. Oſvaldus de Lasko Ord. Fratrum Min. de Obſerv. profeſſor, Reverendiſſ. in Chriſto P. Miniſtri Gen. quoad Fratres dicti Ordinis Obſerv. Vicarius &c.* Confirmatum eſt ſequenti tenore: *Item quòd Clauſtra in Szegedino, & Varadino noviter pro Obſervantibus erecta, & conſtructa, eisdem Fratribus Obſervantibus libera, & ſalva in perpetuum maneant &c.* Ex quibus id unicum pro hac vice deducitur, quòd circa annum 1495. Fratres noſtri, in jam dicto loco perſtiterint, & Deo, ac animabus ſervierint. Confirmatio paciſcationis.

N. 13. Et quidem incolatus hic eorundem ſatis pacificus perduravit, uſque ad Cladem Mohacſianam, quæ contigit annô 1526. poſt quam Conventus à Turcis incineratus, & ſolo æquatus eſt, ſolâ Eccleſiâ ruinam evadente, unde & Fratres locum deſerere ſunt coacti, tum ob metum Turcarum, tum quòd non haberent ubi caput reclinent. Evolutis autem aliquot annis, & Szegedino, ſub jugo turcico gemente, inſtiterunt Cives apud Hederbekum, arcis Szegedienſis Præfectum, ut pro ſolatio eorum Spirituali, aliquot Patres eis indulgere vellet, qui non ſolùm petitis ipſorum annuit, verùm etiam in eodem loco, quo prior extabat Conventus, Cellas aliquot humiles, pro ſex Perſonis de Ordine noſtro extrui fecit, in quo ædificio Turcico Fratres noſtri jam plures, jam pauciores (annô 1535. quinque Patres, & tres laici fuiſſe in Tabula ejusdem anni leguntur) habitabant, uſque ad annum 1631. Conventus exuritur, & ſolo æquatur. Per Turcas aliquatenus reſtauratur.

N. 14. Succeſſivô dein tempore, ex piorum Benefactorum eleëmoſynis, novus opere lateritio extructus eſt Conventus, ſat amplus, quem uſque nunc

Novus Conventus extruitur.

incolunt Fratres noſtri, licèt vix unquam ab ejus, in partibus reſtauratione ceſſetur. Secundum autem inter omnes hujus Provinciæ Conventus obtinet locum, tum ob ſui antiquitatem, tum quòd ſecundò receptus nunquam poſt hac una cum Gyöngyöſſienſi fuerit deſertus.

In hoc Conventu frequens fuit Studium Sacræ Theologiæ Moralis, aut Philoſophiæ, actu verò omni Studio caret. Habebat quondam etiam hortum ſat amplum, & amœnum, ac variis arboribus fructiferis conſitum, qui magnam Conventûs partem cingebat, ſed ob frequentes aquarum exundationes, jam in vaſtam ſolitudinem eſt redactus.

§. III.

De Eccleſia, Aris, & Cryptis ejusdem.

Eccleſiæ magnificentia, & quantitas.

N. 15. ECcleſia Conventûs hujus, Honori B. V. MARIÆ ad Nives Sacrata, eſt una ex antiquis Baſilicis, ita ut meritò inter celebriores totius Hungariæ Eccleſias connumerari poſſit. Longitudinis tres ſupra triginta, & amplius numerat orgias, latitudinis juxta proportionem, nullis intermediis ſuffulta columnis. A quo autem, aut quando fundata, per quem ædificata? nullum penitus hac de re ſcriptum invenitur, præterquam quòd in utroque latere ejus Eccleſiæ, in lapidibus muro impoſitis talismodi numerus exciſus, ſeu ſculptus legatur: **1103.** quo, annum milleſimum centeſimum tertium exprimi ferè omnes interpretantur, quod ſi ita, clarum eſt antiquiorem eam eſſe, non modo Conventu, ſed ipſo quoque Ordine Seraphico.

Fundata creditur annô 1103.

Conſecrata ab Epiſc. Himeriæ Jacobo Honcarpi.

N. 16. Conſecratam hanc eſſe Eccleſiam patet ex Signis ſeu Crucibus in parietibus ejusdem ab antiquo pictis. A quo vero, & quando, hæc conſecratio peracta fuerit, non ita certum, collimatur nihilominus, conſecratam fuiſſe Annô 1643. die 7. Menſis Julii ab Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Domino Fratre Jacobo Honcarpi Epiſcopo Himeriæ, Diœceſum Hungariæ inter flumina Savi, & Dravi, Danubii & Tibiſci, ſub turcica revolutione Adminiſtratore, & Delegato Apoſtolico, conſtat enim, hunc Epiſcopum, tempore mox prædicto, Altare majus conſecrâſſe, cum impoſitione Reliquiarum, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, S. Mariæ Magdalnæ, SS. Maximi, & Juſti, ac aliorum Martyrum, ex quo infertur, probabiliùs etiam Eccleſiam per eundem fuiſſe Conſecratam.

Numerus Altarium, cum ſuis titulis.

Ornatur defacto hæc Eccleſia Aris numero 10. Major, ſeu Summa dicata eſt Honori B. Virginis MARIÆ ad Nives, & Imagine prodigiis clara eſt ornata, de qua infra uberius. Collateralium verò, *Prima*, Sacrata eſt, Honori B. Virginis MARIÆ Annunciatæ. *Secunda*, Honori B. Virginis MARIÆ Doloroſæ. *Tertia*, Honori S. Joſephi, Caſtiſſimi Sponſi Dei Genitricis Mariæ. *Quarta*, Honori S. P. N. Franciſci. *Quinta*, Honori S. Antonii Padvani. *Sexta*, Honori S. Joannis Nepomuceni. *Septima*, Honori S. Annæ. *Octava*, Honori S. Vendelini. *Nona* denique in memoriam Animarum Purgatorii. Præter poſtremas tres, reliquæ ſex priores conſecratæ ſunt annô 1739. per Excellentiſſimum, & Illuſtriſſimum Dominum S. R. I. Liberum Baronem Adalbertum de Falkenſtein, Epiſcopum Cſanadienſem, cum incluſione Reliquiarum, SS. Verecundi, Fauſtæ, & Romani MM.

Numerus Cryptarū.

N. 17. Cryptæ ſex in eadem numerantur, in quibus multorum Magnatum, & magnanimorum Heroum Corpora ſepulta requieſcunt, ſignanter verò Excellentiſſimorum Dominorum Generalium: Heisler, Boland, Rabata, Mortani, Laverni, & plurimorum Præſidii Szegedienſis Commendantium, in eodem piè defunctorum.

Congregationes.

Duplex in ea viget Confraternitas, ſeu Congregatio, una Chrodigerorum S. P. N. Franciſci ab annis immemorabilibus, ob quam lites quædam exortæ fuerant inter noſtros, & Patres Conventuales recenter in eandem Civitatem inductos, ſeda-

ſedatæ tamen ſunt paulò poſt amicabiliter, ita ut noſtri eam retineant pro Civitate inferiori, PP. verò Conventuales habeant pro Superiori. Altera Congregatio eſt, B. Virginis MARIÆ Natæ annô 1701. erecta, & tandem ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſ. Domino Epiſcopo Cſanadienſi, Ladislao è Comitibus de Nádasd annô 1720. confirmata.

Sacer Tertius Ordo, & Via S. Crucis, initium ſumpsêre, Annô Domini 1744. Dominica Prima Adventûs. Tertius Ordo.

§. IV.

De Imagine Aræ majoris, & viciſſitudine hujus Eccleſiæ.

N. 18. IN Ara ſumma hujus Eccleſiæ, cernitur antiquiſſima quidem, at ſimul gratioſiſſima Icon B. Virginis MARIÆ Auxiliatricis, tum à P. Martino Szentiványio S. J. *Diſſert. Paralip. Rerum memorab. Hung. Cathalogo 9.* tum à pluribus aliis Scriptoribus, inter Imagines Miraculoſas relata. Teſtimonio ſunt Cives Szegedienſes, præſertim ætatis grandioris, qui quoties in neceſſitatibus, & tribulationibus poſiti, ad Auxiliatricem hanc ſeriò confugerunt, toties præſentiſſimum ejusdem Patrocinium, ſe expertos fuiſſe, liberrimè fatentur. In Ara majori Miraculoſa Imago B. V. Mariæ.

N. 19. Origo prodigioſæ hujus Iconis, nullibi chartis notata reperitur. Cives nihilominus veterani Szegedienſes, à ſuis ſe prædeceſſoribus audiiſſe referunt: quòd dum Eccleſiam hanc (poſt cladem probabiliùs Mochácſianam) concremato tecto, Turcæ, omnibus penitus rebus in eadem repertis, vel ipſis ferreis cratibus, quibus fores firmabantur, ſpoliâſſent, atque navi majoris quantitatis, ut aliorſum auferant, impoſuiſſent, reliquis omnibus unâ cum navi, dum vix à rippa ſolveretur, in tibiſco Civitati vicino ſubmerſis, ſola hæc Imago profundum aquarum evaſit, clam à certo Chriſtiano ſubducta. Eccleſia ſpoliatur omnibus, quæ tamen in Tibiſco ſubmerguntur. Imago clam ſubducitur.

Nihilominus cum Chriſtiano illi, quâ viâ, quóve modo eam, ne in manus Turcarum deveniat, occultet, ſubitò non occurreret, lacui cuidam *Cſeperke* dicto involutam injecit, & immerſit. Lapſu temporis dum Turca quidam, eundem lacum equi adaquandi, vel lavandi gratiâ introgreſſus fuiſſet, Imaginem hanc pedibus equi adhærentem extraxit, illæsámque admiratus, & Chriſtianorum Dei Matris, ut ipſe dicebat, Effigiem eſſe agnoſcens, ad Fratres noſtros reportavit, ſicque iteratò Aræ majori illocata eſt, & variis deinceps clarere cœpit prodigiis, quorum non pauca, in libro Conventûs feruntur de mandato Superiorum annotata. In lacunâ demergitur. Equo Turcico extrahitur. Miraculis claret.

N. 20. Illud quoque inter Memorabilia hujus Eccleſiæ refertur: Quod poſt fatalem illam, ſæpiùs dictam Cladem Hungarorum ad campum Mohács, multiplicatis in Hungaria hæreticis, neque hæc Civitas immunis ab eis eſſe potuit, magnô igitur huc numerô concurrentes, primò Cœmeterium Eccleſiæ noſtræ vicinum occupârunt. Hoc minimè contenti, turcica authoritate, etiam Corpus Eccleſiæ ademerunt, aſſignatô noſtris Sanctuariô, in quo apertâ in latere ejus novâ portâ (quæ nunc obmurata eſt) aliquo tempore, Divina peragebant, Calvinianis in Corpore Eccleſiæ ſuas functiones obeuntibus. Sed cùm neque ſic contentum ſuum haberent, herinaceum, vulpem è proprio latibulo excludentem, imitari volentes, mediante quodam Prædicante, ùt fertur Vásárhelyienſi, recenter adveniente, atque aliis longè nequiore, apud Supremum Turcarum Baſſam, munerum præſertim oblatione, ferè effecerunt, ut Nos Sanctuario quoque privaremur, & ipſi integram poſſiderent Eccleſiam. Heretici primò Cœmeterium noſtrum occupant, demum etiam Corpus Eccleſiæ. Totam Eccleſiam occupare nituntur.

N. 21. Tanti periculi, imo jam latæ pro Calvinianis Sententiæ, per Turcam commonefactus Guardianus (fuit pro tunc P. Sebaſtianus de Eſzek) omnes intendit vires, ut heterodoxorum eludat conatus, igitur orat, inſtat, ſupplicat, apud Supremum Turcarum Baſſam, pro Sanctuarii ſaltem retentione, imò ſi fieri poteſt, pro totius Eccleſiæ rehabitione, cujus precibus fatigatus Turca, ut Guardian. pro Eccleſia laborat.

Bassa disputationem de fide determinat.

litem inter nostros, & Calvinianos, sua opinione ex æquo decidat, disputationem de Fide utrisque offert, & diem determinat, insuper referenti ex disputatione Victoriam, integram promittit Ecclesiam. Judices quoque Controversiarum Fidei, designat, & quidem ex Primoribus Turcarum tres, quos Cadios vocant, nimirum Cadi Abdiam, Cadi Achmet, & Cadi Mehemet (præclaros scilicet Controversiarum Fidei Doctores) tres item è numero Civium Szegedienſium, nempe Andream Balogh, Martinum Horváth, & Koncsi Rosa, ut patet ex subscriptione litterarum infra specificandarum.

Nostri cum Calvinianis de fide disputant.

Acceptare necesse fuit ex parte utraque hanc Disputationem, itaque die ad eam determinata, præsentibus præfatis Judicibus, & populô ferè innumerô, acriter concurritur, & disputatur, Sacra Biblia volvuntur revoluntúrque; & ecce sub ipsa Disputatione, Frater quidam noster è gremio laicorum, fors è coquina adveniens, & audacter disputationem eorum interrumpens, ad Prædicantem ait: Non sic, sed dic mihi quot sunt Evangelistæ? pessimè habuit Prædicantem, hæc quæstio, difficilioribus solvendis se parem existimantem, jubentibus tamen Judicibus, ut respondeat, quatuor esse, reposuit & nominavit. Quærit ultro Fr. Laicus, & ubi est quintus? Negat Prædicans dari quintum Evangelistam. Urget Frater: Ubi est quintus Evangelista nomine *Recsep*? Ridet quæstionem Fratris Prædicans, sed ea Judicibus Turcicis summopere placet, quare mox è loco suo surgentes, securos nos de Ecclesia esse jubent dicendo: *Ne félj Pap gazda tiéd a' Templom*, móxque pulsis Calvinianis integram nobis restituunt Ecclesiam, & litteris turcico idiomate exaratis, cum sex præfatorum testium, trium nempe Cadiorum, & trium Christianorum, propriæ manûs subscriptione, anni insuper 1545. quo hæc acta fuerunt annotatione, confirmant. Quæ litteræ actu quoque, in hujus Conventûs Archivo conservantur.

Ecclesia pro Fratribus litteris confirmatur.

Series disputationis relata ex sola habetur traditione.

Duo interim hic observanda erunt. Primum: Seriem disputationis mox descriptam, minimè in allegatis Litteris Turcicis contineri, in quibus id solùm habetur, quod præmissa coram jam dictis Judicibus disputatione, Ecclesia nostris Patribus adjudicetur, uti recentissimè Turca quidam Bosnensis, potens Mercator, litteras illas Patribus nostris interpretatus est, nulla facta mentione sive materiæ disputationis, sive personæ disputantis; nihilominus rem ita ut præfertur, à Majoribus suis Avis nimirum, Proavis, & Abavis se accepisse testantur, plurimi Cives Szegedienses, ætatis provectioris.

Recsep apud Turcas quanti æstimetur.

Alterum est: quod fictus ille quintus Evangelista *Recsep* à Fratre Laico nominatus, tantæ esse feratur apud Turcas post Mahometem authoritatis, quantæ est apud Catholicos, quicunque è quatuor Evangelistis. quod Frater ille (cujus nomen ignoratur) à Turca quodam cujus conversatione frequenter utebatur, didicerat; ejusque interpositione tantum effecit, quantum profundus quicunque Theologus, etiam doctissima argumentatione in hujusmodi nimirum Judicum consessu vix effecisset.

§. V.

De Memorabilibus hujus Conventûs.

DUo præsertim sunt, quæ pro commendatione hujus Conventûs per modum Memorabilium, huc inserenda judicavi; primo quidem loco tribulationes, & persecutiones, quas variis temporibus passi sunt Fratres hic existentes, secundo, quos pertulerint labores in fide Christi, barbaras etiam inter gentes conservanda.

Fratres multas tribulationes passi.

N. 22. Et quidem quod punctum primum concernit, plurimas utique Patres nostros in hocce Conventu subiisse vicissitudines, persecutiones, tribulationes nemo dubitabit, si se ad ea, quæ Parte I. circa finem, de Viris Illustrioribus, & memoriâ dignis, dicta sunt, reflexerit; tum etiam illud, quòd annis ferè 153.

hoc

hoc locō Fratres noſtri, ſub poteſtate Turcica, atque adeo cum ipſis Turcis manſerint, perpenderit. Quis enim ſibi perſuadeat, gentem hanc à natura ſua barbaram, & immitem, ac Chriſtiano nomini infenſiſſimam, ita manſuetè, & modeſtè ſe geſſiſſe, ut ab injuriis inferendis abſtinuerint, neminem unquam læſerint, jus nullius violaverint? Igitur carceres, tunſiones, verbera, aduſtiones, & his graviora, quosdam è Fratribus noſtris hoc loco à Turcis paſſos fuiſſe, cùm jam ſupra ad finem Partis primæ, hujus Operis demonſtratum ſit, hic ampliùs eadem referre non videtur neceſſe.

Turcæ aliquando manſuetiores effecti.

N. 23. Nihilominus, & hoc verum eſt: Turcas tempore diuturniori hic commorantes, nonnihil manſuetiores fuiſſe effectos, ita ut quandóque etiam benefi-cos ſe ſe monſtraverint erga Fratres; patet hoc ex pluribus litteris Turcicis, utpote Imperatoris Turcarum, Chami Tartarorum, Baſſarum Majorum, & Minorum, pro favore Fratrum emanatis, quæ etiam actu in Archivo hujus Conventûs conſervantur. Extant enim litteræ, quibus Eccleſiæ reparatio conceditur, cum inhibitione tamen, ne vel ad unguem augeatur. Extant item aliæ, quibus quaſi *Salva Guardia* Conventui datur, & ne Turcæ, ac Tartari in Conventu hoſpitari præſumant (quod anteà frequenter practicabant) ſub graviſſima Comminatione inhibetur. Extant item aliæ, quibus Fratres liberi efficiebantur à Telonis, & Triceſimis ſolvendis. Aliæ item quibus licentia dabatur, etiam trans Tibiſcum proficiſcendi, eleëmoſynæ conquirendæ gratiâ. Aliæ inſuper, quibus Baſſa, ſeu Præſidii Szegedienſis Præfectus, pratum quoddam Conventui pro falcationè aſſignat, & plures aliæ.

Fratribus beneficia conferunt.

Et, ſi Traditionibus hominum fidem quandoque dare fas eſt, narratur, & illud, quòd Turcæ quidam majoris notæ, Fratres noſtros non rarò in Conventu officiosè viſitaverint, imò ſubinde etiam Miſſæ Sacrificiis interfuerint, ſed quali reverentiâ? faſtu nimirum barbaro, ex lumine Altaris pipam ſuccendentes, & tabacam fumantes, Sacras cum riſu ſpectabant Ceremonias, quæ tamen ſumma cum patientia perferre fuit neceſſe. Et licèt hæc, quidam in Eccleſia Gyöngyöſſienſi accidiſſe referant, alii tamen in hac Szegedienſi contigiſſe memorant.

Soli Fratres noſtri populo ſervient Catholico.

N. 24. Jam verò, quantum in Vinea Domini laboraverint hoc loco, Fratres noſtri, patet vel exinde, quòd turbulentiſſimis illis temporibus, prævalentibus partim Turcis, partim hæreticis, nulla in his partibus exiſtente fama, ſive aliorum Religioſorum, ſive Parochi alicujus, multominùs Epiſcopi, ſoli Fratres noſtri, non modo in Civitate Szegedienſi, ſed in vicinioribus quoque locis, functiones parochiales, imò etiam quaſi Epiſcopales exercebant, ſicque populum fidelem in fide Romano-Catholica conſervabant.

Sigiſmundus Zonger ſe Epiſcop. Cſanad. ſignificat, & Guardian. Conventûs Vicarium Gen. inſtituit.

Facta interim circa annum 1640. tali quali in Regno tranquillitate, cùm Diœceſis hujus Cſanadienſis Epiſcopus factus fuiſſet Sigiſmundus Zonger, hic primò per Litteras propria manu annô 1644. ſcriptas, ſe Epiſcopum factum, Guardiano hujus Conventûs inſinuat, & an Oppidum Mako longè à Szegedino diſtet, ánque in eo Catholici dentur? exquirit, de aliis inſuper Officium ſuum concernentibus informari poſtulat. Annô demum 1648. Guardianum Conventûs, protunc P. Caſparum Jáſzberinyi, iterum per Litteras propria manu die 10. Menſis Maji exaratas, ſuum in Spiritualibus Vicarium Generalem conſtituit, Jubilæum promulgandum, & cætera, ſi quæ emerſerint negotia, authoritate Vicariali componenda, committit.

Guardiani Vicarii Gener. pluriū Epiſcop.

N. 25. Ab hoc igitur tempore, ultra annos 50. Guardiani hujus Conventûs, Officiô Vicarii Generalis in Diœceſi Cſanadienſi fungebantur, ſequentium Epiſcoporum, nimirum Sigiſmundi Zonger, Thomæ Pálffi, Hyacinthi Macripodari, Ferdinandi Pálffi, Joannis Kéri, Georgii Feneſſi, Stephani Telekeſſi, Stephani Dolni, quorum omnium Litteræ, quibus hujuſmodi Officium Guardianis conferebatur, actu etiam in Archivo Conventûs conſervantur. Ex his ſequentes Ferdinandi Pálffi hic inſerendas judicavi, quæ ita ſonant:

Litteræ Ferdinand. Pálffi Epiſc. Cſanad. quibus Guardianum Conventûs Vicarium Gen. inſtituit.

NOs Comes Ferdinandus Pálffi ab Erdöd, Perpetuus de Vereskö, Supremus, ac Hæreditarius Comitatûs Poſony, Epiſcopus Cſanadienſis, Sacræ, Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Conſiliarius. Cùm gravis neceſſitas poſtulet, ac bonus in Eccleſia Ordo exigat, in Diœceſi Noſtra Cſanadienſi conſtituere Vicarium Generalem in Spiritualibus, cujus æquè, ac Epiſcopi eſt reddere rationem de animabus ſibi concreditis; hiſce proinde teſtamur, Nos elegiſſe A. R. P. Guardianum Monaſterii Szegedienſis, ex Ordine S. Franciſci Strict. Obſervantiæ, & conſtituiſſe, juxta antiquam, & laudabilem conſuetudinem Prædeceſſorum noſtrorum, nec non mandamus, ut in Diœceſi refractarios, & nolentes parere eidem in rebus Spiritualibus, & ultra ſine facultate ſe ingerentes, in Diœceſi noſtra, canonicè ſuſpendat, & eliminet ſimiles, niſi velint Diœceſano Vicario legitimè electo obſecundare, in rebus juſtis, & licitis. In cujus rei fidem has Admod. Reverendo Patri Guardiano prænominato, Litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro confirmatas, ac roboratas dedimus, Szuhæ 6. Auguſti Annô Domini 1673.

(L. S.) Comes Ferdinandus Pálffi,
Epiſc. Cſanadienſis. m. p.

Noſtri Parochiam longo tempore adminiſtrant.

N. 26. Quod autem Parochiam Szegedienſem concernit, illud in comperto eſt, quòd ab anno 1530. quo circiter poſt cladem Mohacſianam, connivente etiam Turca, & Conventum reſtaurante, reinducti ſumus, continuò Munia Parochialia obibant Patres noſtri, uſque ad annum 1711. quô demum, per Illuſtriſſ. Comitem Ladislaum de Nádasd Epiſcopum Cſanadienſem, Parochiæ Adminiſtratio à nobis accepta, & Patribus Soc. JESU eſt concredita, qui tamen, cùm vix annô integro hoc munere perfuncti fuiſſent, ſe Nagy-Bányam tranſtulerunt, & Parochiam A. R. Domino Joanni Navai Clerico è Diœceſi Strigonienſi, reliquerunt. Sed & hoc exiguo tempore Szegedini commorante, poſt eum, Parochia data eſt RR. Patribus Ord. S. Pauli I. Eremitæ. Poſt hos iterum præfatus A. R. D. Joannes Navai fuit Parochus, uſque ad annum 1720. quô iteratò valedicente, Patres Piarum Scholarum munus Parochiale ſuſceperunt, & uſque ad hoc tempus in eodem perdurant Officio.

Ladislaus Nádasdi Ep. Cſanad. à nobis accipit adminiſtrationē, & confert aliis.

Servitium in Præſidio per noſtrũ Patrem præſtitum.

Sed in Præſidio quoque Szegedienſi, à tempore, quo illud à Turcis revindicatum eſt, continuò Patrem Ordinis noſtri Servitia Spiritualia præſidiariis præſtitiſſe, pluſquàm certum eſt. Et ſi verò per Comitem Ladislaum de Nádasd Epiſcopum Cſanadienſem, uti & per modernos Parochiæ Szegedienſis Adminiſtratores, plurimum laboratnm ſit, ut Franciſcanus è Præſidio eliminetur, ille nihilominus ad hoc uſque tempus in eodem perſeverat, ſuásque peragit functiones. Et hæc ſunt quæ de Conventûs hujus, antiqua, & nova conſtitutione reſcire potui, forſitan plura deprehenſurus, ſi ejus Archivum ipſe luſtrare potuiſſem. Reſtant Superiores, qui olim uſque nunc Conventum hunc rexerunt.

NOMINA SUPERIORUM HUJUS CONVENTUS.

1533. P. Franciſcus de Debreczen.
1535. P. Petrus de Ujlak.
1542. P. Sebaſtianus de Eſzek.
1548. P. Petrus de Ujlak.
1550. P. Demetrius de Apáti.
1561. P. Thomas de Mohács.
1565. P. Blaſius de Zákány.
1570. P. Mathias de Gyula.
1581. P. Thomas de Mohács.
1583. P. Paulus de Szelevény.
1586. P. Andreas de Sajótarián.
1589. P. Michael de Gyöngyös.
1592. P. Andreas de Remeteháza.
1602. P. Stephanus de Szelevény.
1605. P. Mathias de Saár.
1610. P. Stephanus de Szelevény.
1612. P. Ludovicus de Angyalos.
1616. P. Andreas Remeteházi.

1622. P. Mathias Saári.
1626. P. Joannes Gyöngyöſſi.
1629. P. Petrus Heveſſi.
1638. P. Emericus Gyöngyöſſi.
1641. P. Petrus Heveſſi.
1647. P. Caſparus Jáſzberényi.
1650. P. Accurſius Komáromi.
1651. P. Bartholomæus Koloſvári.
1656. P. Hieronymus ab Alba-Græca.
1659. P. Bartholomæus Koloſvári.
1660. P. Martinus Zſadányi.
1661. P. Paulus Miskei.
1663. P. Franciſcus Várkonyi.
1665. P. Laurentius Jáſz.
1667. P. Michaël Baghi.
1668. P. Gregorius Kultsár.
1669. P. Franciſcus Joan. Szegedi.
1671. P. Bartholomæus Koloſvári.
1672. P. Franciſcus Endréſz.
1673. P. Gregorius Kultsár.
1674. P. Nicolaus Baróthi.
1675. P. Franciſcus Szegedi.
1676. P. Lucas Conſtantini.
1677. P. Gerardus Kecskeméti.
1678. P. Franciſcus Várkonyi.
1679. P. Andreas Phülöp.
1681. P. Lucas Conſtantini.
1682. P. Innocentius Hajdu.
1684. P. Andreas Phülöp.
1685. P. Joannes Nagy.
1688. P. Cornolius Séllyei.
1689. P. Andreas Phülöp.
1690. P. Joannes Nagy.
1691. P. Joſephus Biro.
1693. P. Andreas Phülöp.
1694. P. Bernardinus Somodi.
1697. P. Alexius Fekete.
1698. P. Dionyſius Keleſſi.
1700. P. Bonaventura Cſetö.
1701. P. Georgius Sera.
1702. P. Adalbertus Heténvi.
1703. P. Chriſoſtomus Szalkai.
1705. P. Innocentius Hajdu.
1708. P. Joachimus Molnár.
1710. P. Raphaël Géczy.
1711. P. Hieronymus Ludaſſi.
1712. P. Michaël Jávorſzki.
1714. P. Benedictus Debrödi.
1717. P. Ladislaus Tarnóczi.
1718. P. Caſparus Szenczi.
1719. P. Hieronymus Ludaſſi.
1722. P. Dionyſius Paláſti.
1724. P. Fortunatus Föczén.
1725. P. Alexander Sütö.
1726. P. Andreas Farkas,
1727. P. Joannes Kutaſſi.
1728. P. Felicianus Doroſzlai.
1729. P. Raphaël Cſaſzta.
1732. P. Franciſcus Koós.
1733. P. Raphaël Cſaſzta.
1736. P. Laurentius Papp.
1737. P. Raphaël Cſaſzta.
1741. P. Sigiſmundus Palicſovics.
1744. P. Bernardinus Mocsári.
1745. P. Raphaël Cſaſzta.
1747. P. Michaël Soós.
1748. P. Franciſcus Kovács.
1749. P. Gregorius Gulyás.
1751. P. Mathias Toáſo.
1752. P. Florentius Cſapo.
1753. P. Eliſæus Loſiczki.
1754. P. Paulus Soós.
1755. P. Athanaſius Hihalmi.
1756. P. Antonius Utaſſi.
1757. P. Alexander Makai.
1758. Idem.

III. CONVENTUS SZAKOLCZENSIS AD B. MATREM DE COMPASSIONE.

§. I.

De Origine hujus Conventûs ejusque Calamitatibus.

Origo Civitatis Szakolczenſis.

N. 27. IN Regia Liberáque Civitate Szakolczenſi, quæ in ipſis Confiniis Moraviæ, ab Andrea II. Hieroſolymitano dicto, glorioſo olim Hungariæ Rege inchoata, ac tandem per Belam Regem Hungariæ hoc Nomine IV. Annô Domini 1256. perfecta eſt, Conventus Fratrum Minorum de Obſervantia fundatus eſt à vicinis Benefactoribus, nempe Kropácſionibus, qui fuerunt Domini Berencſienſes, & Czoboronibus, qui fuerunt Domini Saſſinienſes, ac aliis, ut Joanne Tárcſai &c. atque ab eisdem Fratribus Minoribus Annô Domini 1467. ſub Vicariatu R. P. Valentini de Sziget, qui fuit V. Vicarius Vicariæ Hungariæ, acceptatus, mediante P. Nicolao de Moravia, tanquam Primo ejusdem loci Superiore.

Origo ipſius Conventûs ejuſque Fundatores

N. 28. In hoc itaque Conventu, non modico tempore, ſatis pacificè manebant Fratres noſtri, nimirum uſque ad annum 1535. quo tempore, horridè graſſante ubique peſtifera lue, extinctis omnibus Fratribus, unico in vivis Fratre laico remanente, eoque ab inde diſcedente Conventus à Parocho Civitatis eſt occupatus, atque per annos ferè 30. inhabitatus. Qua occaſione omnis Eccleſiæ ſuppellex magnâ Apparamentorum Sacrorum copiâ conſtans, per Cives ad Eccleſiam Parochialem eſt translata, nec unquam ampliùs, ut jam ſupra tactum eſt, reſtituta.

Fratribus peſte extinctis, Cœventum occupat Parochus.

N. 29. Evolutis verò ferè integris 30. annis, Fratres noſtri ad Conventum hunc rediêrunt, annô videlicet 1565, & uſque ad annum 1605. in bona utcunque pace locum incoluerunt; verùm rebellante contra Imperatorem Bocskaiô, cùm ab ejus Aſſeclis Civitas quoque Szakolczenſis occupata, ſed mox à Cæſareis revindicata fuiſſet, ceſſit in prædam militi, cujus rapacitatem nec Conventus evaſit. Unde iteratò tota ſupellex Eccleſiaſtica ablata, libri Chorales, & Gradualia, Antiphonalia, Pſalteria in membrana, antiquo caractere exarata, partim conciſa, & combuſta, partim verò aſportata ſunt, imo & cadavera mortuorum apertis ſepulchris ſacrilego auſu ſunt ſpoliata.

Fratres ad Conventum redeunt.

Iteratò Conventus ſpoliatur.

N. 30. Fratres quoque duriſſimè pro hæretica crudelitate (nam militia Cæſarea potiori ex parte hæreticis conſtabat) tractati, vitæ etiam diſcrimen ſubiêre, & ſine dubio, neque mortem evaſiſſent, niſi per auxiliares Polonos liberati fuiſſent. P. Joannes de Váradino, p. t. Conventûs Præſidens, duriùs præ aliis fuit habitus, hunc enim uſque ad femoralia nudatum, ligatis poſt tergum manibus, crudeliter verberantes, extra Civitatem duxerunt, fors planè enecandum, niſi à quodam Colonello ejus miſerto, è manibus impiorum ereptus fuiſſet. Tandem omnes Fratres è Monaſterio ejecti, quidam migrârunt ad deſertum Conventum Hradiſtienſem, alii aliô, Conventus verò Szakolczenſis, aſſumptus eſt pro domo Annonaria.

Militum erga Fratres crudelitas.

Fratres è Conventu pelluntur.

Cæſareæ hujus Militiæ Duces perhibentur fuiſſe: Princeps Carolus à Liechtenſtein, & Franciſcus à Dietrichſtein Cardinalis, & Epiſcopus Olomuczenſis, qui ex iſto Conventu accepit unam pretioſam Caſulam, tunc ultra mille Imperiales æſtimatam, item duos Calices, quorum unus ex auro fuerat, item unam Crucem argenteam, denique Brachium S. Gerardi Epiſcopi in argento, & res plures alias, quæ quidem tanquam ad manus fideles eidem traditæ fuerant, vix tamen aliquando reſtitutæ. Hæc verò omnia contigerunt Annô 1605.

Duces militiæ.

N. 31.

N. 31. Annô insequenti 1606. vel, ut alii volunt 1607. inita pace, redierunt Fratres nostri ad Conventum desolatissimum. Nec tamen nimis diu cupita pace perfrui licuit, nam rebellantibus successivè contra suos legitimos Reges, Principibus Transylvaniæ, & quidem Gabriele Bethlen annô 1618, Georgio verò Rakoczio annô 1644.. qui postremus usque in Moraviam, oppugnandæ cum Svecis Brunæ causâ ascenderat, in utraque revolutione, plurimas Fratres nostri, sicut in aliis, ita in hoc quoque Conventu passi sunt persecutiones à rebellibus, utpote majori ex parte Calvino, & Luthero addictis, adeoque maximè Viris Ecclesiasticis, & Religiosis infensis. Interim Fratres Conventũ recipiunt.

§. II.

Illustriss. D. Comes Adamus de Czobor Sz. Mihály, hujus Conventûs Fundator declaratur.

N. 32. POstquam Illustriss. D. Comes Adamus Czobor, de Czobor Sz. Mihály, è veteribus Monimentis, Documentis, & testimoniis Virorum omni exceptione Majorum, in cognitionem deveniisset, Illustrissimam Suam Familiam, olim Confundatricem Conventûs Szakolczensis fuisse, emortuis aliis Familiis Confundatricibus, ipse de Illustrissima Prosapia superstes, instituit apud Superiores Provinciæ nostræ, quatenus, & ipse, utpote membrum prælibatæ Familiæ, tanquàm Successor veterum Fundatorum hujus Conventûs agnosceretur, & declararetur. Illustr. D. C. Adamus Czobor se Fundatorem demonstrat.

Cujus justas rationes, & legitima Documenta, videntes Patres Venerabilis Diffinitorii, pro celebrando Capitulo in eodem Conventu Szakolczensi die, & annô infrà notatis congregati, eundem pro Fundatore omnino recognoverunt, & Litteris, Sigillô, tam Provinciæ consuetô, quàm Conventûs, munitis, id ipsum testificati sunt: Quarum tenor talis est:

In Nomine Domini Amen.

CUm antiquissima Monimenta, & Documenta, tam in pariete, quàm in pargamena, ac testimonia Virorum omni exceptione majorum, evidenter demonstrarent, Illustrissimam Familiam Czoborianam esse, & fuisse Confundatricem hujus Conventûs Szakolczensis de Compassione B. V. MARIÆ, Ord. Min. Reformatorum Provinciæ SS. Salvatoris in Hungaria, & alteram Familiam Confundatricem Kropacsianam, totaliter extinctam esse constet: Ven. Diffinitorium, non potuit, nec voluit non annuere piæ, ac justæ petitioni Illustr. D. D. Comitis Adami Czobor de Czobor Sz. Mihály (Tit) proinde prænominutum V. Diffinitorium præmentionatæ Provinciæ, factô debitô examine veritatis, & plenâ, ac maturâ deliberatione, statuit præfatum Illustriss. D. Comitem Adamum Czobor, declarare, agnoscere, & honorare, tanquàm verum, & legitimum Successorem, antiquorum Fundatorum, hujus Nostri Conventûs Szakolczensis, cum omnibus prærogativis, Suffragiis, participatione meritorum, quæ Ordo Noster impertiri consuevit, adeoq; Ipsum ejusque legitimos Successores, tanquàm Fundatores, sæpè mentionati Conventûs, vigore præsentis scripti declaratos haberi, propria manuum subscriptione, & sigillorum Provinciæ, & Conventûs appressione concluſit. Datum in Conventu Nostro Szakolczensi de Compassione B. Virginis MARIÆ die 1. Augusti, Annô 1680. Litteræ V. Diffinitorii quoad hoc punctum.

Fr. Ambrosius Ivankovics Custos Provinciæ. m. p.
Fr. Andreas Phülöp Prov. Pr. m. p.
Fr. Joannes Ziveczki Minister Provincialis. m. p.
Fr. Georgius Gyöngyössi Diffin. m. p.
Fr. Athanasius Erdös Diffin. m. p.
Fr. Arsenius Dióssi Diffin. m. p.
Fr. Daniel Werkai Diffinit. m. p.
Fr. Patritius Pallet Commissarius Visitator Generalis m. p.

L.S. Provinciæ

L.S. Conventûs.

§. III.

Refertur antiqui Conventûs per incendia Ruina, & moderni Erectio ſucceſſiva.

Conventus reſtauratur, ſed rurſus per incendium ruinatur.

N. 33. NImiùm obſcura inter continuas viciſſitudines, & bellicos tumultus, verſabatur hæc Religioſa Domus, de Compaſſione B. V. MARIÆ, uſque ad annum 1693. quam, tam quoad Conventum, quàm quoad Eccleſiam, utcunque reſtauraverat piorum Eleëmoſynis, A. R. P. Sigiſmundus Viebëra, è Miniſtro Provinciali, electus in Guardianum hujus Conventûs. Sed tractu temporis per frequentia incendia, & vel maximè Annô 1729. die 5. Septembr. denuò una cum Eccleſia, Organo Solemni, Gradualibus in membrana ſcriptis, & campanis incineratus eſt.

Inchoatur novum ædificium.

N. 34. Et ſi quidem mox tectis inſtructus fuerit, nihilominùs muris Conventûs, & in ſuperioribus ambitibus Tabulato, admodùm debilibus, Annô 1732, ſub R. P. Antonio Schwab Conventûs Guardiano, initium accepit novus Tractus ab Eccleſia prope Mœnia Civitatis, & ſenſim ad tertiam uſque contignationem elevatus, coctis lateribus tectus eſt, ad prævenienda pericula frequentium in Civitate incendiorum. Quô factum eſt, quòd Conventus, utcunque dilatatus, auctúsque fuerit, cubiculis non paucis, ut, pro Studioſis numerô 16, duabus item pro Patribus SS. Theol. Lectoribus, & Bibliothecâ in tertia, & ſubtus in ſecunda Contignatione Scholâ Theologicâ, in infima denique pluribus Repoſitoriis pro rebus neceſſariis, quod ædificium conſumavit R. P. Ludovicus Danicſek, mediatus Succeſſor P. Antonii Schwab in Officio Guardianatûs.

Annô tandem 1752. viſô, quòd antiqui Conventûs ædificium magis, magſque ruinam minaretur, ulteriùs quoque Conventui huic providendum neceſſe fuit, ne fors collapſis muris, Fratres congerie lapidum tumulentur. Hinc A. R. P. Miniſter Provincialis Modeſtus Trubeczki, facta conſultatione cum Prænobili, ac Gen. D. Antonio Poſtaffka, Amico noſtro Spirituali, & ſuprafati Tractûs Seminarii Studentium Directore, Conventum ultroneè quoque reſtaurandum deliberavit.

Continuatur ædificium Conventûs.

N. 35. Igitur annô mox dicto die 10. Menſis Aprilis cum conſueta Solemnitate, poſitus eſt pro novo Tractu à parte Meridionali primus lapis Angularis, ſeu Fundamentalis, per A. R. P. Joannem Pirold, Collegii Szakolczenſis Societ. JEſu Rectorem, cum incluſis memorabilibus, & Sacris Reliquiis in pixide cuprea, conſequenter etiam fundamenta mox ſunt poſita, pro tribus Contignationibus, uſque ad conjunctionem cum novo, & jam priùs extructo Seminario, quod ædificium mirâ DEI providentiâ aſſurgens, eadem æſtate venit ſub tectum, ac tandem annô 1755. etiam conſummatum eſt.

Denique adjuncto his etiam quarto Tractu, versùs Sanctuarium Eccleſiæ Conventus ad juſtam perfectionem, nullo Fundatore, ſed ſolius DEI providentiâ perductus, habet cubicula Religioſis Patribus, & Fratribus opportuna propè 66, aut 67. uti & Conſervatoria ſufficientiſſima, & commodiſſima.

Studia, & Novitiatus.

N 36. Cæterùm Annô Domini 1610. antiquæ demonſtrant Tabulæ in hoc Conventu inſtitutos fuiſſe Fratres Novitios, ſucceſſivis demum temporibus pro opportunitate, & neceſſitate temporum, Studium jam Theologicum, jam Philoſophicum, quandoque Novitiatum vel ſolum, vel cum Philoſophico Studio viguiſſe. Porrò ab Anno 1699. continuo floret Studium SS. Theologiæ, & quidem à pluribus jam annis unâ cum Canoniſtico.

§. IV.

De Eccleſia eámque concernentibus.

N. 37. QUo tempore, & à quibus Conventus hic fundatus eſt, eodem, & ab iisdem Eccleſia quoque ſuum eſſe, & exiſtere conſecuta videtur, licèt ſucceſſivis temporibus poſt aliquot per hæreticos factas expilationes, & conflagrationes, tam internè, quàm externè, ſæpiùs reſtaurata, & priſtino, vel meliori decori reſtituta fuerit.

Conſecratio Eccleſiæ.

Conſecratam eam eſſe, certiſſimum eſt, & quidem per Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dominum Andream Brunenſem, Epiſcopum Nicopolitanum, & Suffraganeum Olomucenſem die 21. Novembris, Annô Domini 1484. ad laudem, & Gloriam Omnipotentis DEI, ac honorem B. V. MARIÆ de Compaſſione. Poſuit autem idem Illuſtriſſ. D. Epiſcopus diem Dedicationis hujus Eccleſiæ ad Dominicam Secundam poſt Paſcha.

Altaria antiqua conſecrata.

Erecta olim fuerant in hac Eccleſia Altaria quinque: Unum in Sanctuario, & quatuor in Corpore Eccleſiæ, quæ idem Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dominus Epiſcopus præfato die 21. Novembr. conſecraverat; *Primum* quidem Altare in Sanctuario, ad Laudem & Gloriam Omnipotentis DEI, & ad Honorem, & memoriam B. V. MARIÆ de Compaſſione, & Aſſumptione. *Secundum* in Corpore Eccleſiæ, ad partem Auſtralem conſecravit in Honorem S. Joannis Bapt. & OO. Apoſtolorum. *Tertium* prope oſtium à parte ambitûs, ad Honorem, & Venerationem SS. Corporis Chriſti, & Omnium Sanctorum. *Quartum* versùs aquilonem in parte Superiori conſecravit in Honorem S. P. N. Franciſci, S. Antonii, S. Bonaventuræ, S. Ludovici, S. Bernardini, Ord. Minorum; S. Laurentii Mart. & Omnium Sanctorum Confeſſorum. *Quintum* denique à parte inferiori, in Honorem Nativitatis B. V. MARIÆ, & OO. SS. Virginum, & hoc cum Indulgentiis eo die conſuetis.

Altaria quædam ruinata, & nova extructa.

N. 37. Ita olim quantùm ad Aras Eccleſia hæc proſpiciebat, interim ſucceſſu temporis injuria temporum, & bellorum, vel alia de cauſa, quibusdam dirutis, ut patet ex nova quarundam Conſecratione, & novis in eisdem locis extructis, quibusdam verò etiam de novo ſuperadditis, actu Eccleſia hæc octo ornatur Aris.

primum Altare conſecratum.

Quarum *Prima* eſt in Sanctuario, Honori B. V. MARIÆ de Compaſſione dicata. Et hæc noviter Conſecrata eſt, per Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Georgium Draskovics Epiſcopum Quinque-Eccleſienſem, ut patet ex Tabella eidem appenſa tenoris ſequentis:

Teſtimonium Conſecrationis.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater, ac D. D. Georgius Draskovics de Trakoſtyán, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis, Electus in Epiſcopum Vaczienſem, Præpoſitus Poſonienſis, nec non Sacræ Cæſareæ Regiæ Majeſtatis Conſiliarius. Annô 1631. die 3. Menſis Februarii, Conſecravit Altare hoc, in Honorem B. V. MARIÆ Aſſumptæ, & Reliquias Sanctorum Martyrum: Severi, Fortunati, Procopii, Urſulæ, & Sociarum in eo incluſit, & ſingulis Chriſti Fidelibus hodie unum annum, & in die Anniverſaria Conſecrationis hujuſmodi ipſum viſitantibus, 40. dies de vera Indulgentia, in forma Eccleſiæ conſueta conceſſit, quòd propriæ munûs ſubſcriptione teſtatum reliquit. Actum in Civitate Szakolcza, Annô, & die ſuprà notatis.

(L. S.) GEORGIUS DRASKOVICS m. p.

Secundum Altare conſecratum.

Secundum Altare in Corpore Eccleſiæ meridiem reſpiciens, ſeu ex parte ambitûs, Idem Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Epiſcopus conſecravit in Honorem S. Joannis Bapt. & Omnium SS. Apoſtolorum, & Reliquias Sanctorum Martyrum Severi, & Fortunati in eo incluſit. Quæ Ara ob ſuper impoſitam priùs Imaginem S. Antonii Padvani, ejusdem D. Thaumaturgi nomenclaturam accepit.

Tertium consecratum.

Tertium Altare B. V. MARIÆ Cſaſtokovienſis, versùs Septentrionem, ſeu ex parte plateæ è regione ſecundi in Superiori parte Corporis Eccleſiæ ſitum, etiam habetur pro conſecrato, ſed à quo conſecrationem accepit, non reperitur annotatum; ſupponitur tamen à ſupradicto Andrea Brunenſi Epiſcopo Nicopolitano fuiſſe conſecratùm, eſtque Privilegiatum pro ſingula die ex conceſſione Bened. XIV.

Quartum Altare conſecratum.

Quartum ad Septentrionem, ſeu ex parte plateæ in inferiori parte Eccleſiæ S. P. N. Franciſci, pariter habetur pro conſecrato, haud dubiè, ob non violatum Sepulchrum Sacrarum Reliquiarum, à primo Conſecrante Andrea Brunenſi impoſitarum. Et hoc eſt Altare Chordigerorum.

Quintum Altare.

Quintum Altare eſt è Regione hujus, ex parte altera Eccleſiæ versùs Meridiem, dicitúrque S. Joſephi Sponſi B. Virginis Mariæ, quod nondum eſt Conſecratum.

His Aris ab antiquo exiſtentibus, adjectæ ſunt aliæ tres: Prima pro S. Tertio Ordine S. P. N. Franciſci, poſt Aram Majorem in Choro antiquo, & duæ in adjecta Capella ad porticum Eccleſiæ, Una quidem B. Virginis Mariæ cujus gratioſa Imago ex Boſnia, aut Bulgaria allata, & in eadem collocata eſt. Altera verò S. Joannis Nepomuceni Martyris.

Cryptæ.

N. 38. In hac Eccleſia actu extant Cryptæ numerô 16. in quibus ex Fratribus noſtris tumulati ſunt circiter 119. Præter has, in Capella præfata B. Virginis Mariæ, & S. Joannis Nepom. habetur una Crypta, & in Capella S. Crucis extra Eccleſiam altera, adeoque univerſim numerantur Cryptæ, decem, & octo.

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum notabiles quibus publicus Cultus exhibetur nullæ habentur, minores autem extant plurimæ. Nihilominùs conſervatur Particula S. Crucis, in argenteo Monſtratorio incluſa quæ cum authentico aſſervatur, in Tabernaculo Aræ S. P. Franciſci.

Confraternitas S. P. N. Franciſci in hac Eccleſia initium ſumpſit Anno Domini 1632. die 1. Auguſti. Devotio autem Viæ Crucis Annô 1745. Tandem Tertius Ordo S. Franciſci Annô Chriſti 1748.

NOMINA SUPERIORUM HUJUS CONVENTUS.

Annô

1467. P. Nicolaus de Moravia.
Qui fuit Primus Superior, reliquorum uſque ad annum 1531. non habetur notitia.
1531. P. Petrus de Moravia.
1533. P. Martinus de Liptovia.
Hujus tempore amiſſus Conventus per 30. annos non incolebatur.
1565. P. Franciſcus de Barilla.
1567. P. Fmericus de Tövis Exmin.
1570. P. Joannes de Gyongyös.
1574. P. Mathias de Tharnok.
1579. P. Joannes de Gyöngyös.
1581. P. Franciſcus de Gyöngyös.
1586. P. Stephanus de Felnemeth.
1589. P. Venceslaus de Szakolcza.
1592. P. Georgius de Abda.
Hic rurſus deeſt unus vel alter.
1602. P. Michaël Pócſi.
1605. P. Bernardus Maruſi.
1608. P. Ludovicus de Angyalos.
1612. P Joannes de Várad.
1613. P. Caſparus Nadaſi.
1616. P. Joannes de Várad.
1622. P. Michaël de Somlyo.
1626. P. Joannes Szakolczenſis.
1629. P. Michaël à Somlyo.
1632. P. Joannes de Várad.
1635. P. Michaël à Somlyo.
1638. P. Bernardinus Szakolczenſis.
1641. P. Michaël à Somlyo.
1644. P. Bernardinus Szakolczenſis.
1647. P. Baſilius Dezericzki.
1649. P. Michael à Somlyo.
1650. P. Antonius Cſaslavienſis.
1656. P. Paulus Urbanovics.
1657. P. Clemens Pagiela.
1659. P. Paulus Urbanovics.
1661. P. Ægidius Barilovics.

1662. P. Clemens Pagiela.
1663. P. Ægidius Barilovics.
1665. P. Baſilius Dezericzki.
1667. P. Daniel Werkai.
1668. P. Baſilius Dezericzki.
1669. P. Valerianus Cſaslouski.
1671. P. Tiburtius Hermanienſis.
1672. P. Arſenius Dióſi.
1673. P. Timotheus Lopaſovski.
1674. P. Franciſcus Koſſini.
1675. P. Arſenius Dióſi.
1677. P. Michaël Habdelics.
1679. P. Hieronymus Poláſek.
1680. P. Michaël Habdelics.
1681. P. Leonardus Ondrejkovics.
1684. P. Franciſcus Beſſelin.
1685. P. Capiſtranus Koſſulics.
1687. P. Daniel Koricſanſzki.
1688. P. Ladislaus Radoſmi.
1689. P. Franciſcus Beſſelin.
1690. P. Timotheus Girzicſek.
1691. P. Bernardus Nayman.
1692. P. Philippus Bradács.
1693. P. Sigiſmundus Viebëra.
1695. P. Iſidorus Krizidovſzki.
1698. P. Sigiſmundus Viebëra.
1699. P. Joannes Lonſzki.
1700. P. Laurentius Viebëra.
1701. P. Raphaël Samko.
1702. P. Iſidorus Krizidovſzki.
1703 P. Timotheus Girzicſek.
1708. P. Laurentius Viebëra.
1710. P. Godefridus Mayer.
1711. P. Auguſtinus Hamernik.
1712. P. Godefridus Mayer.
1713. P. Bernardinus Ottka.
1714. P. Bartholomæus Rozboril.
1715. P. Philippus Veſzelei.
1716. P. Vitus Vavrinkovics.
1718. P. Bartholomæus Rozboril.
1719. P. Conradus Poloni.
1721. P. Franciſcus Thekal.
1722. P. Philippus Veſzeli.
1723. P. Ludovicus Schmidek.
1724. P. Robertus Sklenar.
1725. P. Conradus Poloni.
1726. P. Euſtachius Sopauch.
1728. P. Joannes Prochaska.
1730. P. Euſtachius Sopauch.
1731. P. Antonius Schwab.
1734. P. Euſtachius Sopauch.
1735. P. Ludovicus Danicſek.
1737. P. Franciſcus Liptai.
1741. P. Matthæus Moczak.
1744. P. Nicolaus Auguſtini.
1746. P. Bartholomæus Marada.
1747. P. Matthæus Moczak.
1748. P. Conſtantinus Vagyovſzki.
1751. P. Stephanus Mazurka.
1753. P. Paulus Szalajka.
1756. P. Donatus Ottka.
1757. P. Paulus Szalajka.
1758. Idem.

IV. CONVENTUS HRADISTIENSIS AD B. VIRGINEM ANNUNCIATAM.

§. I.

Succincta Descriptio Civitatis Hradistiensis, Primordiorum, Statûs, Antiquitatis, ac Viciniæ ejus.

N. 39. ANnô Domini 1257. adhuc ignorabatur Hradistium, sed solùm de loco in quo fundandum erat, memoriâ produntur sequentia: Morava fluvius Marchionatûs Moraviæ principalis (à quo etiam nomenclaturam Moravia trahit) partem dexteram tenendo, & in sinistram tempore accrementi majora emittendo effluvia, peramœnam efformabat insulam, pleno juri ac Dominio Monasterii Wellehradensis, Sacri Ordinis Cisterciensis subjectam, atque antiquitùs à solis nonnisi piscatoribus inhabitatam. Ottacarus, alias Ottogarus II. hujus Nominis Bohemiæ Rex, locum à natura sufficienter munitum comperiens, eidem artem superaddere decrevit, & conventione facta cum PP. Wellehradensibus, fundavit, in eo Civitatem, quæ quia non tantum murô cincta, verùm & mœniis circumdata, in non contemnendi Fortalitii gloriam assurrexit, a Moravis *Hradist* (ducta derivatione à Moravico vocabulo *Hrad*, quod Latinis municipium, Arcem, aut Præsidium significat) à Latinis *Hradistium*, hucusque appellationem sortitur, magnis dein ob constantem in Deum Religionem, erga Reges verò fidelitatem, decoratum Privilegiis, insuper. ab Uladislao, & Mathia Ungariæ Regibus, in numerum Regiarum, Liberarúmque Civitatum aggregatum.

In Insula quondam Piscatorũ.

Bohemiæ Rex Ottocarus fundat Civit. Hradist.

Hradistiũ Regiis annumeratur Civitatibus.

Est autem Hradistium in Moravia, prope confinia Regni Hugariæ situatum, à Szakolcza, Regia pariter Liberáque Regni Hungariæ Civitate versùs Meridiem locata, quatuor tàntùm parvis distans milliaribus. Ad Septentrionem vicinum habet Regium, antiquissimum, ac celeberrimum Monasterium Wellehradense, Sacri, & Exempti Ordinis Cisterciensis, ab Uladislao Marchione Moraviæ, Regisque Bohemiæ Primislai II. (etiam Ottocari dicti, quia Ottoni IV. Imp. charissimus fuit) Fratre, ante annum 1202. fundatum, insuper plurimis prædiis, Villis, ac possessionibus, ab eodem piissimo Principe, dotâtum, ditatúmque.

Vicinam habet Szakolczam.

Item Monasterium Wellehradiense.

N. 40. Civitas ergo hæc, Hradistiensis nempe, estò non adeo ampla, satis tamen decora, hilaris, plano ac amœno in solo fundata consistit, copiosis quibus circumdatur pratis, hortis, vineis, ac fertilibus agris amœnitatem multùm augentibus. Portas in- & egressus numerat duas, totidem, nec plura computat fora, quorum utrúmque sat pulchris ornatur ædibus: in superioris fori à porta Kunovicensi dicta ortum trahentis, medio, Parochialis extat Ecclesia, Honori S. Georgii Mart. dicata, à memorato Bohemiæ Rege Ottocaro fundata, cujus amplitudo sufficienter Regiam commendat liberalitatem.

Duas portas habet & duo fora.

E regione porticûs Ecclesiæ Parochialis, extructum cernitur RR. PP. Societatis JESU Collegium, quod Cremzirio, Episcopali ex Civitate, in qua fundatum erat, circa annum 1643. ob tumultus Suecicos, horrendas vastationes, depopulationes, & crudelia excidia, Hradistium translatum, hucusque potitur sua possessione, adjunctámque habet amplam, ac splendidam Ædem Honori D. Francisci Xaverii consecratam, cujus frontispicium per R. P. Rectorem Matthæum Sexstetter, unà cum duabus turribus sublimatis, & albâ laminâ tectis, non pridem innovatum, toti Civitati gratiosum addit ornatum.

Forum

Forum inferius in sui medio, non contemptibili opere erectam conspicit Statuam, B. Virginis Immac. Conceptæ, quam A. Magistratus cum Civibus erigendam vovit Annô 1715. pestifera contagione, in Civitate, & vicinia non parùm grassante. In eodem foro, ad sinistram mox dictæ Statuæ, situatus jacet Conventus Fratrum Minorum Strict. Observ. S. P. N. Francisci, cujus protectionem experti Incolæ Hradistienses, Annô 1334. voverunt ædificandum in gratitudinis tesseram Monasterium, in quo Fratres Minores collocarentur. Patrocinium autem à S. Francisco, Civitati Hradistiensi exhibitum, quod dicti Voti occasio fuit, exprimit Joannis XXII. Sum. Pontificis, Joanni hujus Nominis Octavo Episcopo Olomucensi transmissum sequens Diploma:

Statua B. V. Mariæ sine macula Conceptæ.

Conventus Franciscanorum.

Diploma Pontificiũ per quod conceditur extrui Monasterium pro Franciscanis.

Magna lætitia fidelium Cordibus affluentet innascitur, cùm Divinæ Virtus Omnipotentiæ, mira, & miranda, plerúmque verè miracula, Sanctorum meritis visibiliter operatur, unde fidelium ipsorum fidei firmitas, dignæ zelo devotionis incenditur, & igne accenditur charitatis, debitúmque, & meritorium opus efficitur, cùm pro donis Cœlestibus, æternæ Majestatis Gloriæ, temporaliter offerunt devotæ gratitudinis holocaustum. Ex tenore siquidem petitionis dilecti Filii Nicolai Ministri Provincialis Ordinis Minorum in Bohemia, & Polonia, nobis oblatæ percepimus, quod olim circa moderna tempora, in die Festivitatis B. Francisci, Oppidum Hraditz tuæ Diœcesis, per inimicos hostiliter vallatum extitit, jámque dictis inimicis, per muros transcendentibus, Incolæ dicti Oppidi resistere non valentes, ad ipsius B. Francisci Patrocinium confugerunt, móxque misericors Deus, præfatos inimicos, taliter perterruit, quòd nullus ipsorum arbum tendere, vel gladium evaginare potuit, sed quasi amentes cæci recesserunt ab inde.

Quô quidem visô miraculô dilecti Filii Judex, Stabini prædicti Oppidi, cum aliis ejusdem Oppidi Incolis voverunt, ad Honorem B. Francisci, locum in dicto Oppido construere, ac in eo Fratres Minores dicti Ordinis collocare, nec non chariſſimus in Christo Filius noster Joannes Rex Bohemiæ illustris, prædictis suum beneplacitum præbuit, gratúmque gerit, ut ipsi Fratres Minores collocentur in loco hujusmodi construendo. Quare nobis dictus Minister humiliter supplicavit, quòd ut hujusmodi Votum executionem debitam, & optatam suscipiat, dignaremur Apostolici favoris impertiri præsidium, & opportunam licentiam elargiri.

Nos igitur, si præmissa veritati nitantur, meritò in Domino exultantes, & cupientes ejusdem Ordinis salubris, & felicis Status, pro cultu Divini Numinis ampliando, & salute Christicolarum assiduum incrementum, hujusmodi etiam supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per Apostolica Scripta committimus, & mandamus, quatenùs si prædicta inveneris ità esse, Fratribus prædicti Ordinis, recipiendi præfatum locum in eodem Oppido, & in eo construendi Ecclesiam, seu Oratorium, & alias neceſſarias Officinas, & in ipso Cœmeterium habendi, nec non in dicto loco Patres prædicti Ordinis deputandi, ad morandum in illo, & Deo perpetuò serviendum, dumodo prædictum Oppidum sit sufficiens ad sustentationem duodecim Fratrum Ordinis memorati, plenam, & liberam licentiam, sine juris præjudicio alieni, Apostolicâ Authoritate concedas, sel. record. Bonifacii P. VIII. Prædeceſſoris nostri, prohibitione: ne loca de novo recipiantur à Fratribus Ordinum Mendicantium, absque licentia dictæ Sedis, faciente plenam & expressam de prohibitione hujusmodi mentionem, & qualibet aliâ Constitutione non obstante. Datum Avenione Annô Domini 1334. Kal. Maji, Pontificatûs nostri Annô 18.

Extructio Conventus differtur.

Ast invida martis tempora, quibus inflammata ab orco hæresis, fomitem subministrabat, tam fervidè concepti præpediebant Voti executionem, donec effluxis triginta uno cum dimidio lustris.

§. II.

De Incremento Conventûs Hradistienſis.

N. 41. ANnô Dom. 1491. Multa inter bellorum disturbia, quibus Sacra prophanis miscebantur, viduatam, suóque Pastore orbatam se se ingemuit Ecclesia Olomuczensis, providente tamen Mathia Corvino Hungariæ & Bohemiæ Rege,

Joannes de Pruis Epis. Varadinen. fit simul Olomucensis.

nacta est in Præsulem Patrem, quem priùs ut Filium spiritualiter genuerat, Joannem de Pruis, hujus Nominis VIII. & in ordine 35. Episcopum Varadiensem, Clarissimum, Prostannæ Patriæ Civem (hoc habet Elogium in Serie Episcoporum Olomucensium) præfulgidum Ecclestici Ordinis Sidus, qui non repudiata Varadinensi Sponsâ, alteram sibi copulavit, vel curandam suscepit Ecclesiam Olomucensem, factus ejusdem in Ordine XXXVI. & hujus Nominis XV. dignissimus Episcopus, ob vigilantissimam in incrementando Divino Cultu curam, meritissimus agnitus, ut plures ei subderentur Sponsæ Ecclesiæ.

Fundat Conv. FF. Minorum.

N. 42. Hic ergo famâ immortalitatis dignissimus Præsul, à Civibus Hradistiensibus, ante unum, & triginta lustra emissum Votum, in effectum deduxit, cùm ex thesauro, in Episcopatu Varadiensi congregato, & in Moraviam allato (ùt Annalium Minorum supplementa referunt) fundavit extruxítque Conventum Fratrum Minorum, quem eodem fundationis annô 1491. susceperunt, & inhabitare cœperunt RR. PP. S. Francisci de Regulari Observantia, Provinciæ Bohemiæ, S. Wenceslai Ducis, & Martyris, cum quibus ipse Fundator residuis vitæ suæ octo annis, assumendo Seraphici P. Francisci Institutum religiosissimè vixit, non solùm habitu, verùm etiam moribus, ac Regulari Observantia unus ex ipsis effectus. Fastidiens enim terrena, & ad Cœlestia aspirans dimisso utroque Episcopatu Varadinensi nempe, & Olomucensi Annô Domini 1491. Wratislaviam se contulit, ubi post decantatum pontificaliter Sacrum in Ecclesia S. Bernardini ab A. R. P. Alexandro de Jaurino, tunc Provinciæ Bohemiæ Ministro Provinciali, habitu S. P. N. Francisci indutus fuit, & emissâ post annum solemni Professione transivit ad Conventum Hradistiensem, à se fundatum, ubi partes zelosi explens Religiosi, Observatorem Sacræ Regulæ, Sanctissimæque Paupertatis, se exhibuit tenacissimum, solertissimum penes agens librorum Choralium conscriptorem; unde hodiedum extant in hoc Conventu magni laboris libri, quos propria ejusdem manu conscriptos fuisse traditio perhibet: Tandem relictis in utroque Statu non parvis Sanctitatis indiciis, à vita monastica, ad Cœlestem transiit Annô Dom. 1500. sepultus in Ecclesia ejusdem Conventûs, ut videre est in lapide polito, & muro pro nunc Sacristiæ imposito, qui ejusdem Effigiem representat, cum hac inscriptione:

Dimittit Dignitates Episcopales.

Fit Fr. Minor,

Ejus Obitus.

Annô Domini 1500. obiit Reverendissimus in Christo Pater Frater Joannes quondam Episcopus Varadinensis. Cujus Anima Deo vivat.

Wladislaus Rex pensionem à Civitate præstari solitam cedit pro ædificio Conventûs.

N. 43. Quamvis autem minimè præsumendum sit, dictum Reverendiss. Fundatorem, paternè non providisse de aliqua, neo-erecto Conventui fundatione, attamen fundationali ejusmodi litterâ in Conventûs Hradistiensis Archivo non existente, hic nihil apponi potest. Hoc solùm in libris Memorabilium Civitatis Hradistiensis adinvenitur, quòd Wladislaus hujus Nominis II. Hung. & Bohemiæ Rex, ad instantiam prælaudati Fundatoris, pro celeriori ejusdem Conventûs structura, Regiâ liberalitate cesserit, aliquot annorum pensionem, quam ab eadem Civitate percipiebat, ut patet ex dicti Regis Epistola, inter Memorabilia Civitatis Hradistiensis asservata, tenoris, & idiomatis sequentis:

Litteræ Wladislai Regis cedentes pro ædificio Conventûs, pensionem à Civibus percipi solitam.

My Wladislaw z Božj Milosti Vhersky/ Cžesky ꝛc. Král/ a Markgrabie Morawsky známo činjme Listem timto; že gakož gsme w predesslem času/ w Městie nassem Hradissti plat náss/ který se nám wodtůd ročně widáwa w stawenj Klásstera Bosacskeho w temž Městě obratili/ aby z toho platu Klásster ten wjzdwjžen byl/ a dostawen. Y poněwáč gakož gsme/ spraweni/ ten čas giž brzo winde/ do ktereho gsme tomu Klássteru plat ten dali. Y chtěge tomu/ aby Stawenj to obmesskano nebilo skrze nedostatek tuto gsme Milosti w prosbe dustogneho Jana Biskupa nekdi Waradinskeho nábožneho/ wierného nasseho mileho Bratržim

tehož

tehoż Klaſſtera nadto včinili/ aby po wigjti prwniho naſſýho danj z wrchu pſani plat z tehoż Měſta naſſeho Hradiſſtě do čtirž lét potom poržád zbiehlich byl pržidan/ a tak gakož ſe z wrchu piſſe na ſtawenj tehoż Klaſſtera obrácen. Pržikazugic Podkomoržimu naſſemu/ neb buducimu/ aby znage to/ tiž Měſſtiani z toho platu až do wiplnenj tiech lét neupomi-nal/ ani ſtaral/ než Klaſſter ten prži tomto obdarowanj naſſem zuſta-wil/ znage w tom konečnu wůli naſſy. Datum Budæ in feſto Pentecoſtes Annô Domini 1507. Regnorum autem noſtrorum Hungariæ xvymô (17mô) Bohemiæ verò xxxvjtô (36tô.)

Zie tento Weypis ſprawim Originalem ſlowo od ſlowa ſe zrownáwa/ toho dotwrzuge naſſe Mnieſtká Pečet. Datum W Mnieſtie Hradiſſti dnie 31. Decembris Annô 1649.

(L.S.) Purgkmiſter a Radda Kral: Mieſta Hradiſſtie.

Annuam hanc penſionem Auguſtiſſimus Imperator, ſimúlque Hungariæ & Bohemiæ Rex Mathias ad inſtantiam Conventûs hujus ceſſit in perpetuum pro ſuſtentatione eorundem Fratrum ſequenti liberalitate dato ad Ampliſſimum Hradiſtienſem Senatum ſcriptô:

Matthias von Gottes Gnaden erwählter Römiſcher Kayſer zu allen Zeiten Mehrer des Reichs.

EHrſame/ Liebe/ Getreue ꝛc. Wir fügen euch hiemit in gnaden zuvernemben/ daß Wir auf unterthänigſtes ánhalten/ und bitten denen Ehrſambẽ Geiſtlichen unſeren lieben ándachtigen N. Franciſcaner Conventualn alda/ zu ihrer unterhaltung/ die jenige dreyſig Ducaten/ welche Ihr Vns jährlich zur neuen Jahrs-zeit für ein ſchwerdt zu geben ſchuldig/ hinfüro jährlich auf Unſer Geiſtes Wolgefallen hienumbfolgen/ und reichen zulaſſen Geiſt verwilliget haben. Und befehlen euch demnach hiemit gnädiglich/ daß Ihr ermehten Ordens Leuthen angeregte dreyſig Ducaten alſo jährlich gegen unſeres Rendt dieners im Mahren/ und getruen lieben Georgen Weysbachers Empfang-Guittung/ und zwar da von alle Wochen dreyßig Weyſ groſchen an fleiſch und Fiſchen/ oder anderen Notheurfften/ wie ſie begehren werden/ gewiß/ und unfálbar/ ohne einigen aufſchub erreichen und erfolgen laſſet/ daran vollziehet Ihr unſeren Geiſten gefálligen willen und Meynung. Geben auf Unſeren König: Schloß Praag den ſechſten tag Monaths Novembr. Annô Sechzehen/ hundert zwelfften/ Unſerer Reiche des Römiſchen im erſten/ des Hungariſchen im Vierdten/ und Behmiſchen im anderten.

MATTHIAS.

Tento Weypis z Originalniho pſanj G. C. M. Nam Hradiſſtjanum učinieneho geſt widan Bratržim Klaſſtera Hradiſtſkeho. Tomu na Swiedomi my Purg-Miſter a Radda Mieſta Hradiſſte Pečet naſſy pržitiſknuti gſme dali. Actum 10. Januarii Annô 1613.

(L.S.) Za mnie Waclawa Rúliſſka Zmorawičan ten čas Primatora w Hradiſſtie m. p.

Hanc donationem 30, aureorum (qui 90. florenos efficiebant) Superiores Prædeceſſores ceſſerunt Monialibus Tertii Ordinis ad Sanctum Joſephum, ùt notata Conventûs tradunt; Tenentur tamen Domini Hradiſtienſes vel Abbatiſſa pro præfatis neceſſitatibus Conventûs Hradiſtienſis; deponere duodecim florenos, quos hodiedum exactè præſtant.

§. III.

Derelictum à Patribus Provinciæ Bohemicæ Conventum Hradiſtienſem, occupant Patres Provinciæ Salvatorianæ.

N. 44. ANnò Domini 1605. Sub Adm. R. P. Georgio de Abda 36to Miniſtro Provinciali hujus Salvatorianæ Provinciæ. Inſinuatô ſuperiùs fundationis Annô, Reverendi Patres S. P. Franciſci de Obſerv. Provinciæ Bohemiæ, occuparunt Conventum Hradiſtienſem, & inhabitationem illius protraxerunt ad quinquaginta, & unum annum, nimirum ab anno 1491. uſque ad 1542. quô per hæreticos expulſi, migrârunt ex eodem Conventu feriâ 2dâ poſt Dominicam SS. Trinitatis. Poſt quorum emigrationem manſit hocce Religioſum habitaculum vacuum, & à Fratribus Minoribus per ſexaginta tres annos non inhabitatum. Quia verô tempore receſsûs Patrum Provinciæ Bohemiæ, Conventus non fuerat in debitam deductus perfectionem, & Corpus Eccleſiæ ſteterit ſinè fornice, utpote improvectas habens debitam in altitudinem columnas, muríque non incruſtati fuerint, ideo per protractum in tot annos deſertionis tempus ædificium, haud parvam pati debuit ruinam; Quare nec Patres, qui illud dereliquerant, de eodem recuperando ſollicitavêre; imò & revocati à Hradiſtienſibus, redire noluêre. Virulenta autem hæreticorum Soboles, quæ Fratres Minores ex hocce Conventu expulit, etiam per Apoſtolicum Hungariæ Regnum copioſè diſſeminata, in tantam prorupit malitiam, quòd pientiſſimo Imperatori Rudolpho refractaria facta, contra Eundem Duce Stephano Bocskay arma ſumpſerit, non intermittens Catholicos, ac Religioſos gravi crudelíque turbare, & diſſipare perſecutione. Videntes igitur Fratres Minores Salvatoriani, florentiſſimam hanc olim Provinciam (quæ in decem diviſa Cuſtodias ſeptuaginta tria Religioſa computabat domicilia per mille quingentos, & plures etiam Fratres inhabitata) prioribus hæreticorum, & Turcarum tumultibus ità labefactatam, quòd tunc temporis in quatuor nonniſi conſiſtens Conventibus triginta ſex tantummodo numeraret Religioſas Perſonas, aliis gladiô, & furore hæreticorum, ac Turcarum, vel necatis, vel diſperſis; formidabant, nè novis his diſturbiis, tam imminutus Salvatoriano-Franciſcanus Grex, ex toto intereat; Quare ad ſalvandas exiguas ejusdem Reliquias varia benevolæ receptionis loca quæſiverunt, & nonnulli eorum ad Moraviam uſque ſe ſe receperunt. Hos inter diſperſos erat memoratu dignus R. P. Ludovicus Angelus, ſeu de Angelis, vel Angyalos, Hungarus Senex Vir egregius Virtutum dotibus, religiosísque moribus præditus, qui cum Fratre Michaële à Szilágy-Somlyo Clerico Hungaro, ad Wellehradenſe Venerabilium Patrum Sacri Ciſtercienſis Ordinis confugit Monaſterium & à Reverendiſſimo, & Ampliſſimo Domino Joanne Skardonidis præfati Monaſterii Abbate, non tantùm benigno ſuſceptus animô, verùm etiam, & in propriæ Conſcientiæ ob doctrinæ integritatem Directorem ab eodem delectus fuit. Ad hunc Religioſum Virum, alii miſerè diſperſi Fratres Spiritualis ſolatii capiendi causâ Wellehradenſe accedebant Cœnobium, & à Reverendiſſimo Domino, cæterisque Religioſis charitativô recipiebantur, fovebantúrque affectu.

PP. Provinciæ deſerunt Conventum.

Noſtri PP. ob tumultus bellicos ſecura quærunt loca.

Prælaudatum Patrem Ludovicum, ejúsq; Socios Catholici Cives Hradiſtienſes, ſæpiùs rogando requirebant, atque cum illis frequentiùs inſtabat Domin. Jannes Purek Primas Civitatis, ut in eorum Civitate Monaſterium, à tot annis deſertum, & vacuum reciperent pro Spirituali populi Chriſtiano-Catholici conſolatione, appromittentes, velle ſe ſuſtentationi neceſſaria promptè ſubminiſtrare, quæ etiam benevolô præſtitêre animô. Suprà fatô igitur annô 1605. die 19. Martii Divo Joſepho Nutritio JESU Chriſti, & Sponſo intemeratæ ſemper Virginis MARIÆ Sacratâ, P. Ludovicus prælibatus cum ſuis Sociis è Nonaſterio Wellehradenſi, per Dominum Joannem Purek Primatem, aliósque Cives Catholicos

Cives Hradiſtienſes rogant noſtros ut deſertum Cœnobium occupemus.

licos (quorum tunc vix 12. fuerunt, aliis hæreticâ Huſſiticâ ſectâ, Communionem utriuſque ſpeciei affectante infectis) Hradiſtium deductus, atque ad capiendam poſſeſſionem Conventûs Hradiſtienſis Annuntiatæ DEI Genitricis MARIÆ inductus fuit, cui ſe ſe adjungentes aliqui Patres, qui è Szakolczenſi, & Galgoczienſi Conventibus exturbati fuerunt, in hocce Hradiſtienſi Conventu declinantes perſequentis hæreſis faciem, nonnihil conquieverunt.

P. Ludovicus de Angyalos occupat Conventum à PP. Bohemis deſertum.

§. IV.

Alma Provincia Bohemiæ cedit Conventum Hradiſtienſem Provinciæ Salvatorianæ.

N. 45. ANnô Dom. 1611. Sub A. R. P. Joanne Váradi 38vô Miniſtro Salvatoriæ Provinciæ. Sopitis tantiſper bellorum tumultibus, & compoſitâ inter Glorioſiſſimum Imperatorem Rudolphum, & refractarios pace, Patres Salvatorianæ Provinciæ, qui ad memoratam ſuprà inſtantiam Hradiſtienſem ingreſſi ſunt Conventum, eundem Patribus Provinciæ Bohemiæ, ad quos anteà pertinebat, reddere ſtatuerunt; Contradicentibus autem Civibus Hradiſtienſibus, ne Patres Salvatoriani contra voluntatem, conſenſum, & ceſſionem Patrum Provinciæ Bohemicæ dictum occuparent, retineréntque Conventum, & ne etiam Civium Hradiſtienſium permanentiam Patrum Salvatorianorum affectantium, favor ſperneretur, A. R. P. Joannes Váradi Salvatorianæ Provinciæ tunc Miniſter, illæſam utrámque partem ſervandi, aptum adinvenit medium, propoſuit, nempe Patres Provinciæ Bohemiæ, Brunæ, pro celebrando circa initium Menſis Sept. Capitulo congregatos, perſonaliter adire, atque Nomine ſibi concreditæ Provinciæ ſupplicare: quatenùs prædictum Hradiſtienſem Conventum, Provinciæ SSmi Salvatoris cederent, & incorporarent; ut Fratres mox nominatæ Provinciæ tutum haberent locum, in quem tempore diſturbiorum ſe reciperent, & in eo Eccleſiaſticam reconderent ſuppellectilem, quod etiam præſtitit. Cujus propoſitæ humiliter inſtantiæ, omnes Patres Provinciæ Bohemiæ in Definitoriali conſtituti Diſcretorio, ultroneè promptè, atque unanimi conſenſu libenter annuerunt, & præſente Eminentiſſimo Domino Cardinale, ac Epiſcopo Olomucenſi, Franciſco à Dietrichſtein, & Præſidente Reverendiſſ. P. Gabriele Bonaventura Daumy Commiſſario Generali harum partium, Conventum Hradiſtienſem Provinciæ Salvatorianæ donaverunt, & incorporaverunt, atque donationem, & incorporationem confirmando, ſcriptô majori ſuæ Provinciæ Sigillô munito, propriarúmque manuum ſubſcriptione corroboratô, Salvatorianæ tradiderunt Provinciæ in forma ſequenti:

Noſtri PP. cogitant Conventum hunc Bohemis reſtituere.

Sed contradicentibus Civibus, noſtri apud PP. Bohemos pro ceſſione inſtant.

CeduntPP. Bohemi Conv. Provinciæ noſtræ quod ſcripto cõfirmant.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Miniſter Provincialis, Cuſtos, & Diffinitores Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Bohemiæ:

NOtum facimus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit Univerſis. Quòd in Noſtro Provinciali Capitulo, in Conventu noſtro Sancti Bernardini extra Brunam, per Reverendiſſimum Patrem P. Gabrielem Bonaventuram Daumium Commiſſariùm harum partium Generalem, die ſextâ Menſis Septembr. hoc 1611. annô legitimè celebrato, ad noſtram venit præſentiam, R. P. Fr. Joannes Varádinus, ejusdem Ordinis de Obſervantia, Provinciæ Hungariæ SS. Salvatoris Miniſter Provincialis, nobísque devotè expoſuit, quòd cùm Monaſterium noſtrum Hradiſtienſe, ad hanc noſtram Bohemiæ Provinciam ſpectet, & ab initio ſemper ſpectaverit, verùm ab aliquot jam annis nobis annuentibus, permittentibus, & concedentibus, per Suæ Provinciæ Fratres inhabitatum fuerit; rogavit nos inſtanter debitâ cum reverentia, ut Nos dictum Monaſterium Hradiſtienſe Suæ Provinciæ concedere, adſcribere, & incorporare dignaremur, quatenus ſecu-

Genuina tranſumptio Originalis litteræ, qua PP. Provinciæ Bohemiæ Conv. Hradiſtienſem Provinciæ Salvat. donant, & incorporant.

rum, & tutum locum, ad quem bellorum, & periculorum tempore Fratres ſuos, & Eccleſiaſtica ſuæ Provinciæ ſuppellectilia, ex aliis ſuis Monaſteriis inter Turcas exiſtentibus, transferre, & ſalvare poſſit, & valeat. Nos itaque Fraternæ charitatis, & dilectionis intuitu, & quia dictorum Confratrum noſtrorum in citerioribus Hungariæ partibus commorantium, manifeſta pericula certò nobis conſtant, piæ eorum petitioni condeſcendere, & annuere volentes, tenore, & vigore præſentium, præfatum Monaſterium noſtrum Hradiſtienſe, ſuprà dictis Patribus inhabitandum, & poſſidendum libenter concedimus, & Authoritate ſuprà dicti Reverendiſſ. P. Commiſſarii Generalis, ſuper id nobis ſpecialiter conceſſa, eorum Provinciæ incorporamus, hac tamen conditione expreſsâ, ut dicti Patres cæterorum Conventuum noſtrorum terminos, quæſtuando attingere non præſumant. Non obſtantibus in contrarium quibuscunque. In quorum omnium præmiſſorum fidem, & teſtimonium, has patentes majori Sigillò Provinciæ noſtræ roboratas, & confirmatas, memoratis Provinciæ S. Salvatoris Patribus dedimus, & aſſignavimus. Datum in Conventu noſtro Brunenſi, ex Diffinitorio dicti Capituli noſtri Provincialis, die nona Menſis Septembris Annò 1611.

L.S. Provinc. Bohemiæ.

Fr. David Hicker Miniſter Provincialis m. p.
Fr. Alexius Emilius Keck Cuſtos, & Min. præteritus m. p.
Fr. Joannes Scorgius Diffinitor primus m. p.
Fr. Wolfgangus Zoch ſecundus Diffinitor.
Fr. Wenceslaus Zakefly Guard. Brunenſis Diffin. tertius.
Fr. Franciſcus Perez Diffinitor quartus.

Confirmamus ſuprà dictam conceſſionem & donationem, ac Sigillò noſtri Officii, & propriæ manus ſubſcriptione corroboramus. Datum Romæ 2. Menſis Junii Anni verò 1625.

(L.S.) (Ejusd.) Fr. Benignus à Genua Commiſſarius Generalis.

§. V.

Authentica Conventûs Hradiſtienſis à Civitate facta Donatio.

N. 46. HAbitô præ manibus ſcriptô, quô Alma Bohemiæ Provincia, omni ſe ſe ſpoliavit prætenſionis jure, reſpectu Conventus Hradiſtienſis, eum Provinciæ Salvatorianæ in perpetuum donando, & incoporando, Idem A. R. P. Joannes Váradi, religiosâ cum modeſtiâ acceſſit Ampliſſimum Magiſtratum Hradiſtienſem, humilíque ſupplicavit prece, quatenùs eundem Conventum Hradiſtienſem, quem à Patribus Salvatorianis acceptandum, poſſidendum, ac retinendum ſuadebant, iisdem authenticâ, legitimâ, ac ſcriptis mandatâ donatione elargiri dignarentur, quam & obtinuit. Eandem donationem Succeſſores in eadem Senatoria dignitate poſt annos tredecim rati habentes, motu propriô confirmârunt, & roborârunt, ipsámque confirmationem primævæ donationi adjungentes, utrámque, authenticô ſcriptô in membrana exaratô, cum propriarum manuum ſubſcriptione, & Sigilli majoris appenſione extra dederunt tenoris ſequentis.

NOs Conſul Totúsque Senatus Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Civitatis Hradiſt in Moravia. Notum facimus tenore præſentium, maximè iis, quibus expedit, quòd cùm annô ſexcenteſimo vigeſimo tertio ſuper milleſimum pridie Idus Julii, fecerimus donationem Conventûs, & Eccleſiæ noſtræ Cæſareæ Civitatis Hradiſt, PP. S. Franciſci Provinciæ S. Salvatoris talis tenoris:

Primæ donationis tenor factæ annô Dom. 1623. ſub Gregorio XV. Pontif. anno ult.

NOs Conſul Totúsque Senatus Cæſareæ Civitatis Hradiſt in Moravia. Notum facimus tenore præſentium, maximè iis, quibus expedit, quòd in pleno noſtro Senatorum Conſeſſu, perſonaliter comparuit R. P. Fr. Joannes Váradi Ordinis Minorum de Obſervantia Provinciæ Hungariæ S. Salvatoris Miniſter Provincialis, unà cum R. P. Fr. Michaële de Somlyo Cuſtode, & Guardiano Szakolczenſi, nominéque Diffinitorum, & reliquorum totius præfatæ Provinciæ Fratrum, inſtanter ſollicitaverit,

atque

atque adeò ante annos novem petitionem habitam rursus reiteraverit, ut cùm ab annis circiter octodecim Patres ejusdem Provinciæ, Monasterium Hradistiense, alioquin desolatum, & ab hæreticis vastatum rursùs subiissent, illúdque tanquam inquilini hucusque inhabitâssent, per Nos tandem legitimè introductis, hanc collationem litteris patentibus contentam, illis imposterum traderemus. Nos itaque debitô Catholicæ Religionis zelô incensi, adeoque pro eorum motivo moti, quòd nempe Monasterium ab antiquo, aliàs Provinciæ Bohemicæ incorporatum, nunc ab annis circiter duodecim Provinciæ Hungariæ S. Salvatoris à Capitulo Provinciali esse concessum, adscriptum, atque incorporatum, & audivimus & vidimus, quarum tenor est: Ferdinand. II. Imperii annô 4tô. ejusdem Reg. Hung. an. 5tô. Bohemiæ an. 6tô. sub A. R. P. Joan. Váradi jam tertiò electo in Min.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOs Minister Provincialis, Custos, & Diffinitores Ordinis Minorum Regularis Observantiæ Provinciæ Bohemiæ. Notum facimus tenore præsentium &c. ùt suprà.

Nos igitur justæ eorum petitioni condescendere, & annuere volentes, eò libentiùs id facimus, quò luculentiùs prospicimus, hanc donationem nostram, in melius ruinosi Monasterii commodum, certiúsque hujus Civitatis, ejúsque Incolarum futurum emolumentum. Quapropter tenore, & vigore præsentium, præfatum Hradistiense nostrum Monasterium à nobis nonnihil restauratum, prædictis Patribus, & Fratribus præsentamus, donamus, & hæreditario jure inhabitandum, possidendum, sumptuosiùs restaurandum & ampliandum cordicitùs concedimus, ea tamen conditione, ut Cæmeterium templo Monasterii proximum, próque humandis fidelium corporibus admodùm necessarium, sub jurisdictione, & arbitrio Catholici Decani nostri perpetuò relinquatur. Et ideò ubi opus fuerit murô deinceps obducatur nostris sumptibus propriis, est necesse. Non obstantibus in contrarium posteris nostris quibuscunque. Sanctæ tamen futurorum Patrum relinquitur discretioni, ut pro modo, & viribus, quantùm necessitas Catholicorum postulabit (quemadmodùm hucusque sinè ulla obligatione consuevit fieri) de maternæ nostræ linguæ genuino Confessario, nobis in futurum benevolè provideatur. In horum fidem, & æternam rei memoriam hasce patentes Sigillô Civitatis Nostræ majori, memoratis Provinciæ Salvatoris Patribus communiri fecimus. Datum è Consilio nostro Hradistiensi, pridie Idus Julii, Annô Sexcentesimô Vigesimô tertiô suprà millesimum.

(Locus Sigilli,)

Albertus Kremer Sacræ Cæsareæ Majestatis Judex Hradiscii m. p.
Laurentius Kozelsky m. p.
Martinus Kuratus Consul m. p.
Joannes Czesky m. p.
Georgius Jacobus Piscula m. p.

Ego Joannes Sidlo præsentavi m. p.
Joannes Menean m. p.
Martinus Koswitz m. p.
Mathias Franciscus Voscinius Judex m. p.
Nicolaus Hlavacsek m. p.

Nunc autem, cùm post nostram donationem præfati Conventûs, & Ecclesiæ Regiæ Civitatis istius Hradist, dictis Patribus Provinciæ S. Salvatoris Reformatorum S. Francisci factam viderimus, conspexerimus, experti fuerimus uberiores fructus, & profectus Spirituales; quos in salutem animarum hujus Civitatis, & totius Districtûs hactenus fecerunt, & continuò facere non cessant, sed magìs de die in diem in Domino proficiant, & Monasterium ruinosum, aliàs suis laboribus, & industriis restaurent, ità Spirituali consolatione gratulamur, quòd volentes præfatis Patribus gratificari, denuò motu proprio, & sponte præteritam nostram donationem dicti Conventûs, & Ecclesiæ Civitatis Nostræ Hradistiensis, præfatis Patribus S. Salvatoris Reformatorum S. Francisci factam tenore præsentium confirmamus, ratificamus, roboramus ad perpetuam rei memoriam, non solùm hoc, sed & omni aliô meliori modô, formâ &c. Non obstantibus in contrarium quibuscunque Posteris nostris. Et hoc eò libentiùs Nos facere devincimur, cùm dicti Patres de Confessariis, & Concionatore

assiduo, & perpetuo, qui tempore necessitatis Dominum Decanum sublevare possit, nostræ linguæ geminæ nobis benevolè providere promiserint. In quorum fidem, & æternam rei memoriam, hasce Patentes, & donationem Sigillô Civitatis Nostræ majori, memoratis Provinciæ S. Salvatoris Patribus Reformatis S. Francisci communiri fecimus. Datum è Consilio nostro Hradistiensi, die vigesimâ octavâ Octobris Annô Sexcentesimô trigesimô sextô suprà millesimum.

Jan Czesky G. M. C. Richtář w Městě Hradissty m. p.	()	Georgius Zabrzesky m. p.
Joannes Menean Primator m. p.	()	Joannes Ostrawsky m. p.
Joannes Michalinus m. p.	()	Joannes Hrunek m. p.
Martinus Kuratus m. p.	()	Joannes Unieticzky m. p.
Bartholomæus Kalipivo m. p.	()	Wenceslaus Malleus m. p.

Sigillum pendens ad extra majus.

§. VI.

Urbani VIII, ac Innocentii XII. Conventûs Hradistiensis pro nostris facta Confirmatio.

N. 47. NE Provincia Salvatoriana cessum â Provincia Bohemiæ, & à Civitate Hradistiensi donatum, ac confirmatum Hradistiensem possideret Conventum, sinè Apostolicæ Sedis concessione, & indulto humiliter supplicavit Sanctissimo Domino tunc temporis Ecclesiam feliciter gubernanti Urbano VIII, quatenus de plenitudine potestatis suæ Conventum præfatum memoratæ Provinciæ Salvatorianæ unire, aggregare, & incorporare dignaretur; Sanctissimus autem humilibus precibus benignum tribuendo annutum præstitit id brevi Apostolicô cujus confirmationem à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XII. impetravit A. R. P. Sigismundus Vibiëra Minister Provincialis, & utrumque breve ità sonat:

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Conventus Hradistiensis incorporatur Provinciæ SS. Salvatoris.

ALiàs à felicis recordationis Urbano VIII. Prædecessore nostro, ad favorem Provinciæ Sanctissimi Salvatoris in Regno Hungariæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, emanarunt Litteræ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet:

URBANUS PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum, Provinciæ S. Salvatoris Regni Hungariæ, quòd ipsi quamdam Domum Regularem, seu Conventum in Oppido Civitate nuncupato de Hradist in Moravia, infrà limites Provinciæ Bohemiæ dicti Ordinis existentem à multis annis possident. Verùm quia dictus Conventus extra Regnum Hungariæ præfatum existit, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut illum dictæ Provinciæ S Salvatoris incorporare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictos Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant,

ad

ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Domum Regularem seu Conventum præfatum à dicta Provincia Bohemiæ, Apostolicâ Authoritate tenore præsentium separamus, & dismembramus, ac illum eidem Provinciæ S. Salvatoris incorporamus, subjicimus, & aggregamus. Decernentes præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujusmodi etiam juramentô, Confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, ac consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die 16. Aprilis MDCXXXVIII. Pontificatûs nostri Annô decimô quintô.

M. A. Maraldus.

Breve Innocentii XII. PP. confirmativum prioris emanatum Pontificatûs an. Imô

CUm autem, sicut Dilecti Filii Minister, Provincialis, Custos, & Diffinitores Provinciæ Sanctissimi Salvatoris præfatæ, Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi præmissa, quo firmiùs subsistant, & inviolabilius serventur, Apostolicæ Confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum Serie absolventes, & absolutas fore censentes, Supplicationibus eorum Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui super præmissis Venerabilem Fratrem nostrum Alderanum Episcopum Ostiensem, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Cybo nuncupatum, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem audiverunt, consilio, præinsertas Urbani Prædecessoris litteras, omniáque & singula in eis contenta, & expressa Authoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus, illísque inviolabilis Apostolicæ Sedis firmitatis robur adjicimus; Salvâ tamen semper in præmissis Authoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes easdem præsentes, & præinserta: litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari; sícque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis Authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Urbani Prædecessoris literis concessa sunt, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 7. Januarii MDCXII. Pontificatûs Nostri Annô primô.

J. Cardinalis Albanus.

Sigillum in utroque Originali Hradistii asservato est more solito appressum.

§. VII.

Auguſtiſſimæ nunc feliciſſimè Regnantis Terrarum noſtrarum Principis, & Reginæ Clementiſſimæ benigniſſima Confirmatio donationis Civitatenſis, & ejusdem Confirmationis à piiſſimæ memoriæ glorioſiſſimo Imperatore Leopoldo factæ approbatio, & ratihabitio exhibetur.

N. 48. OBtentâ itaque à Senatu Hradiſtienſi donationis Serie jam ſuprà de verbo ad verbum expreſſa, & Succeſſoribus ejusdem Senatûs Congremialibus poſt annos 13. denuò ratificatâ, ac firmatâ, lapſu temporis cum hoc Ipſo donationis ſcripto pro majoris roboris firmitate recurrerunt Fratres ad Apicem Supremæ Sæcularis Inſtantiæ, glorioſæ nimirum memoriæ Imperatorem, Regnorum Hungariæ, & Bohemiæ gubernacula feliciter moderantem Leopoldum I. humillimè ſupplicantes pro gratioſiſſima dictæ donationis manutenentia, & acquiſitæ Conventûs poſſeſſionis confirmatione. Annuit petitis Glorioſus Princeps, ac per Diploma Regium in idiomate Bohemico anno 1659. benigniſſimè emanatum, non ſolùm in eodem verbotenùs inſertam donationem ſæpè dicti Senatûs Hradiſtienſis, ſéd & jam captam per plures annos ejusdem Conventus Poſſeſſionem dictis Fratribus Salvatorianis ſuprema Authoritate firmavit, ſolidavítque.

Emenſo poſthac ſat notabili tempore poſtquam Glorioſiſſimi Patris non minus Glorioſus Filius Carolus VI. ante Hiſpaniarum Monarcha in thronum Imperii, Coronásque utriuſque ſuprafati Regni ſucceſſiſſet, motu benevolentiæ propriò petiit à Domibus Religioſis, aliísque Sacris Familiis, ſi quas habuiſſent à Prædeceſſoribus collatas gratias, donationes, aut Privilegia, ea ſibi in Originali communicari, & transmitti, utique aut de novo confirmanda, aut novis gratiis cumulanda. Obſequentes hiſce altiſſimis mandatis Fratres Hradiſtienſes, Confirmationem Leopoldinam Windobonam miſerunt, intereà temporis, antequam res finem optatum ſortiretur, Imperator obiit Annô 1740. die 20. Octobris, orbatus hærede maſculo, ſolùm Filiam natu majorem Mariam Thereſiam Regnorum hæredem relinquens.

Et ſicut in deceſſu ſupremi Capitis communis plebs turbari, æmulæque potentiæ tempora motibus bellicis perturbare aſſolent, ità turbulentis mentibus in turbido piſcandi, nec non Eſau Jacob perſequendi (cùm rara ſit concordia fratrum) occaſio offertur, in ejusmodi ergo viciſſitudinibus temporum de novo infeſtati, & non levem perpeſſi impulſum Fratres noſtri Hradiſtienſes; inſimulati námque ſiniſtrè coram intermediis Regii Tribunalis Inſtantiis ſunt, de notabilibus quibusdam exceſſibus præſertim verò de transgreſſione ſibi deputatorum in colligenda eleemoſyna limitum, tum de adinventione novæ Quæſtuationis rerum priùs mendicari inſolitarum, & quidem in præjudicium non parvum boni publici (ùt excogitabatur) vergentibus, ità ut hæc ipſa inſinuatio, ad aures etiam jam tunc Dominantis Mariæ Thereſiæ pervenerit, ut meritò fratres metuendam haberent, tum gratiæ Leopoldinæ ſuppreſſionem, tum Conventûs dicti amiſſionem & in antiquam poſſeſſionem Provinciæ Bohemiæ iteratam translationem.

Aſt ſapientiſſima Princeps, velut altera Abigail, Deo ſic diſponente primæ delationi plenam fidem non adhibens, Capitaneo Diſtrictûs Hradiſtienſis, eò tum Domino Franciſco Zialkovsky, tum Domino Domino Jacobo Erneſto è Comitibus de Liechtenſtein Cathedralis Eccleſiæ Olomucenſis Infulas gerenti, materna benignitate plenis literis, in delata inquiſitionem gratioſè commiſit; nec feriârunt Fratres, ſed tam ad Officium Diſtrictualis Capitaneatûs, & conſequenter ad Brunenſe Regium Tribunal, tam ad Officium Epiſcopale literas exculpationis ſubmiſsè porrexerunt, his actis, & inquiſitione, quâ nihil ſimile, ùt prætexabatur, repertum eſt, peracta, atque Regiæ Majeſtati porrecta, omnis inſimulati criminis abſoluti ſunt Fratres, & cauſam hujus Conventûs ſollicitè Viennæ agente Dominô

minô Georgiô Formandl, novô Regiô Auguſtiſſimæ Principis MARIÆ THERESIÆ Diplomate Regnorum Hungariæ, & Bohemiæ annô primô emanato, in prima donatione, ac poſſeſſione Hradiſtienſi firmati, & ſtabiliti ſunt. Cujus Diplomatis gratioſiſſimus contextus eſt, ùt ſequitur:

Wir Maria Thereſia von GOttes Gnaden zu Hungarn, Böheimb / Dalmatien / Croatien / und Sclavonien Königin / Ertzherzogin zu Eſtereich Marggräfin zu Mähren Hertzogin zu Lützenburg / und in Schleſien / und Marggräfin zu Laußnitz / Vermählte Hertzogin zu Lothringen / und Groß-Hertzogin zu Toskana.

BEkennen offentlich mit dieſem Brief und thüen künd jedermänniglich / daß der P. Guardianus **und geſambtes** Convent **des Cloſters** Ordinis S. Franciſci Minorum Strictioris Obſervantiæ **in der Königlichen Stadt Hradiſch in ünſerem Erb-Marggrafthümb Mähren allerdemüttigſt** ſupplicando **eingekommen ſeye / und gebetten habe / Wir gerüheten ihnen die Königliche / Gnad zuthuen / und den von dem daſigen Magiſtrat über ihr daſelbſtiges von denen Lutheranern vormahls ruinirtes / und** ad Provinciam Bohemicam **gehörig geweſtes / hernachmahls aber davon** ſeparirtes / **und von der Provintz** Sancti Salvatoris **in unſerem Erb-Königreich Hungarn in beſitz genohmenes auch dahin** incorporirtes **Cloſter** ſub dato **den vierzehenden Julii ſechzehen hundert drey und zwantzig ausgefertigt- und bereits von Unſeres Hochgeehrtiſten Herrn Groß-Vatters weyland Kayſers** Leopoldi **Mayſt. Glorreicheſten andenckens unter fünfften Junii ſechzehen hundert / neun und fünffzig allermildeſt beſtättigten** Traditions- **und** reſpective Incorporations-**brief gleichfals allergnädigſt zu** Confirmiren. **Deſſen inhalt von wort zu wort folgender geſtalten laüthet.**

My LEOPOLDUS z BOžj Miloſti Woleny Kžjmſky Cyſarž po wſſecky časy Rozmnožitel Kžiſſe / a Vherſky / Czeſky / Dalmatſky / Charwatſky / a Slowanſky Král / Arcy-Knjže Rakuszke / Margrabie Morawſke Lucenburſke / a Slezke / Knjže / Luzické Margkrabie. Sub Alex. VII. PP. an. 4. ô. Reverendiſſ. P. Michaële AngeloBona dies Miniſtr Gen. annô 2dô. Adm. R.P. PetroUrbanovics Miniſt. Prov. Salv. Prov.

ZNamugem timto Liſtem naſſym / že gſme od M. Bratrži / a celeho Conventu Kláſſtera Hradiſſtkeho w Margkrabſtwi Morawſkem naſſym dedičným ležjciho / Ordinis Sancti Franciſci Minorum Strictioris Obſervantiæ **Klábožných milých we wſſy poniženoſti proſenj / abychom taů mezy nimi Důchownjmi / też Purg-Miſtrem a Raddaů Králowſkeho Mieſta naſſeho Hradiſſtie / w pričinie tehož Kláſſtera geſtic pod** Datum 14 Julii **Sſeſtacztiſteho dwacateho tržetiho Letha dobrowolnie učinienů** Tranſakcyi / Separacyi / **a oddielenj geho od** Provincyi **Czeſke / a Prživtielenj k** Provincyi SS. Salvatoris **w Králowſtwy naſſem Vherſkem giž prždeſſle** in Capitulo Provinciali **od tehož Kžádu Generala / tak Geho Swatoſti Papeſke** Urbano VIII. ratificirowanů / Schwalenaů / **a tuto Slowo od Slowa wepſanaů:**

Nos Conſul, totúsque Senatus Cæſareæ Civitatis Hradiſt in Moravia notum facimus, tenore præſentium, maximè iis, quibus expedit; quod &c. reliqua ùt ſuprà.

Tolikež miloſtiwie ratificirowati / Schwalowati / **a potwrditi ráčili.**

RGegichžto ponižené / a pokorné Prosbie miloſtiwie naklonenj / ano y w tom dokonalé Informirowanj **gſaůce / že dotčzena** Tranſakcyi **tehož Kláſſtera gak nám / a Regalim naſſym / tak ani žadnemu ginemu na prekažce nenj / nibrž kdiž tak tyž ruinirowany / a zborženy Klaſſter zaſe k wyzdwyženj pržinde / gak Mieſtu naſſemu Hradiſſti a Obywatelum w niem /**

taky ſyce celemu Kragj Hradiſſtkemu k proſpiechu / a wzdielanj Náboženſtwy ſlauźiti / a wſtahowati ſe bude.

Ráčili gſme s dobrim aumyſlem / naſſym giſtim wiedomim Raddu naſſych milých wiernych / a mocy Králowſku w Czechách gakožto dedičny Král Czeſký / a Margkrabie Morawſky nad dotcenu Tranſakcyi a narownánj we wſſem geho znenj / a položenj Miloſtiwie ſchwaliti / a potwrditi / a timto Liſtem naſſym Cyſarzſkym / a Králowſkym (Salvo tamen Jure noſtro Regio, & Tertii) Schwalowati / a Ratificirowati / potwrzowatj ráčime. Chtice tomu konečnie aby oni Bratrži / a Convent tehož Kláſſtera Hradiſſtſkeho při tom wſſem / což taž Tranſactio, y táto naſſe miloſtiwá Confirmacy w ſobie zdržuge / a zawira wždicky ſtále / a nepromiemitedlnie držánj a zachowánj byli nyni y budaucnie.

A protož Heytmanu Naſſemu Zemſkemu też Raddam při Tribunalu w Margkrabſtwy naſſem Morawſkem zřizenim wzlaſſtie pak Purg-Miſtru / a Raddie Mieſta naſſeho Hradiſſtie / y Heytmanu Krage Hradiſſtkeho / nyniegſſym / y budaucym naſſym Milým Wiernym / o tom miloſtiwie porůčime / abyſte giž často pſane Bratři / a Convent tehož Kláſſtera Hradiſſtkeho při tom při wſſem / což ſe nadpiſůge gmieli / drželi / a neporůſſytedlnie zachowali / žádnich gim w tom překázek nečinjce / ani komu ginemu činiti dopáuſſtiegice / a to od uwarowanjm hniewu / a nemiloſti Naſſy Cyſarſke / a Králowſke / a ſkutečneho treſtánj.

Tomu na Swiedomi Pečet naſſý Cyſarſku / a Králowſku wietſſy k Liſtu tomuto přiwieſyti gſme rozkázali / a w niem wlaſtni Ruku podepſati ſe ráčili. Dano w Laxenburku / pateho dnie Mieſyce Czerwna / Leta Panie Seſtnáctiſteho Padeſáteho dewateho / Králowſtwy naſſych Rzimſkeho Prwniho / Uherſkeho Cztworteho / a Czeſkeho Třetiho ꝛc.

LEOPOLDUS.

Benedictus XIV. PP. Annô 3tiô.

Reverendiſſ. P. Cajetan. Politi Min. Gen.

Sub Adm. R. P. Gerar. Pataky Miniſt. Prov. iteratò electo.

WAnn Wir nun nach dem Hier über von gehörigen Orthen eingeholten Gutachtlichen Bericht / und Uns Hierauf beſchenen gehorſambſten Vortrag in ihre dießfällige Allerdemuthigſte Bitte in Königlichen Gnaden gewilliget.

Als haben Wir mit wohlbedachten Muth / guten vorgehabten zeitigen Rath und rechten Wiſſen ſothanen Donations- und reſpective Incorporations Brief Salvo Jure Regio, & cujuſcunque Tertii, und in ſo weit erwehntes Convent in deſſelben Uſu & Poſſeſſione iſt / auch ſolcher der jetzig- künfftigen Landes-Verfaſſung nicht entgegen ſtehet / allermildeſt Confirmiret / und beſtattiget. Thuen das auch hiemit wiſſentlich / und in krafft dieſes Briefs als Regirende Königin zu Boheimb / uud Marggräfin in Mähren. Meinen / ſetzen / und wollen / daß gedachtes Franciſcaner-Convent obinſirirten Donations- und reſpective Incorporations-Brieff / auf die von Uns confirmirte weiß ohne männiglicher hinderung haben / gebrauchen / nnd genieſſen könne / und möge.

Und gebiethen hierauf allen und jeden unſeren nachgeſetzten Obrigkeiten / Inwohnern / und Unterthanen / was Würden / Stands / Ambts / oder Weeſens die in Unſerem Arb / Marg-Graffthumb Mahrn ſeynd / inſonderheit aber Unſerem Königlichen Tribunali daſelbſt hiemit Gnädigſt / daß Sie mehr erwehntes Franciſcaner Convent beyſothanen Donations / und reſpective Incorporations-Brief ſchützen / und handhaben / darwider ſelbſt nicht thuen / noch das jemand anderen zu thuen Verſtatten / als lieb einem jedenſeye unſere ſchwäre Straff / und Ungnad zu vermeiden / das meinen wir ernſtlich.

Zu Vrkund dieſes Briefs / beſiglet mit unſern Königlichen anhangenden gröſſern Inſiegel. Der geben iſt auf unſeren Königlichen Schloß zu Preſpurg

den

den 14. Monaths-tag Septembris nach Christi Unsers lieben Herrn und Seeligmachers Gnadenreichen Geburth im Siebenzehen Hundert / ein und Viertzigsten / unserer Reiche / des Hungarisch und Boheimbischen ersten Jahre ꝛc.

MARIA THERESIA.

L.S. ad extra pendentis.

§. VIII.

Refertur Conventûs Restauratio cum nonnullis intercurrentibus Vicissitudinibus.

N. 49. POstquam Alma Provincia Bohemiæ, Annô videlicet 1611. ùt ex Cessionalibus ejusdem Provinciæ Litteris paulò superiùs relatis, patet Conventum hunc, Provinciæ Nostræ Salvatorianæ cessisset, cœperunt, annò mox sequente, Fratres Nostri ruinatum instaurare Conventum, dùmque priùs Ecclesiam, ùt infra dicetur, ad debitum deducere conantur Statum, à Conventûs instauratione retardantur, imò bellico tumultu superveniente, simpliciter impediuntur. Nostri Cõventum restaurare incipiunt.

Annô enim 1618. Bohemi rebelles facti, postquàm Arcem Pragensem occupâssent, & Consiliarios Sacratissimæ Cæsareæ Majestatis per fenestras (Deo tamen eos illæsos servante) ejecissent, atque in infidelitatis societatem, Nobilitatem Moravicam pertraxissent, tumultibus totam repleverunt Moraviam, ex quo inchoatum Conventûs ædificium interrumpere fuit necesse. Sed bellico tumultu impediuntur.

Utque hujus interruptionis causa magìs cognoscatur, sequentia de statu hujus Civitatis placet inserere: Annô 1619. die 12. Maji, ducenti huc equites advenêre, Duce quodam Stubenfull nominato, qui mox ad instantiam Civium hæreticorum, Primatem hujus Civitatis D. Albertum Kremer, Virum aliàs justum, & litteratum, cum medio Senatu Catholico Officiô privavit, in ejusque locum Fridericum Musik, hominem vafrum, & nequam substituit. Hic verò Officiô potitus, Prædicantem hæreticum Augustinum nomine in Civitatem induxit, atque pro hæreticorum exercitio primò Ecclesiam S. Michaëlis in antiqua Urbe ausu Sacrilego occupavit. Hradistium milites hæretici adveniunt. Ecclesiam in antiqua Urbe occupant. Occupant etiam Ecclesiam Civitatis.

His die 18. ejusdem Mensis superveniens quidam Dominus de Kunovics dictus, cum 200. Valachis pedestribus, etiam Templum Civitatis S. Georgii, præfatis hæreticis attribuit; quæ D. Decanus Hradistiensis Venceslaus Kulissek, & Officiô privatus Primator, videntes sibique parari mala præsentientes, mox ad ingressum hæreticorum fugâ sibi consuluerunt. Parochus Catholicus Civitate excedit.

Hæc dum aguntur, orbatam suo Pastore Ecclesiam Civitatis, jámque in manibus luporum constitutam, videns P. Guardianus Conventûs nostri, Pater inquam Michaël de Somlyo, ac præsertim metuens, ne hæretici quidquam irreverentiæ inferrent Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, religiosô succensus zelô, repletam hæreticis S. Georgii Ecclesiam intrepidè ingressus, reconditum, summa cum reverentia levavit Ven. Sacramentum, ac unâ cum Sacris liquoribus, comitantibus Fratribus, publicè (ipsis hæreticis attonitis, & minimè contradicentibus) ad nostri Monasterii transtulit Ecclesiam, in qua deinceps per Fratres Minores (nullô aliô in tota Civitate existente Sacerdote) Catholicis Civibus, ac vicino populo, Ecclesiastica Sacramenta administrabantur, per duos annos, donec: P. Guardianus ex Ecclesia ab hæreticis occupata Sanctissimũ ad nostram transfert Ecclesiam.

Annô 1620. parta per Cæsareanos ad Pragam solemni Victoriâ, Eximiô D. Decanô, & cum eo, D. Primatore Civitatis, per Excellentiss. D. Generalem

Parochus redit Hradiſtium, & Eccleſiæ recuperantur.

Buquoj, Hradiſtium reductis, utraque ab hæreticis acciperetur Eccleſia, & Catholicis reſtitueretur, quô factô, Prædicans ſibi non parùm metuens, ſponte ſacrilegè uſurpato ceſſit honori, ac muliebri aſſumpto habitu furtivè diſparuit. In tanta igitur rerum perturbatione, nulla promovendi ædificii ratio haberi potuit.

Et licèt præfata Victoria aliqualem Moraviæ attulerit quietem, minimè tamen durabilem, nam annô 1623. Princeps Tranſylvaniæ Gabriel Bethlen. cum magna multitudine inquietorum hæreticorum, Cumanorum, Turcarum, & Tartarorum, partes Moraviæ Regno Hungariæ viciniores invadens. cædibus, exuſtionibus, rapinis omnia complebat, quô tamen, annô 1629. è vivis ſublatô, Catholici nonnihil reſpirare, ac etiam Superiores Conventûs hujus, promovendo ædificio ſedulè incumbere cœperunt.

Conventûs reſtauratio continuatur.

Etſi verò, ob rerum inopiam, bellô cauſatam, lentè admodùm progredi poterant, nihilominùs ſpes non exigua fuerat, Conventum tandem ad juſtam perfectionem deducendi, ſed hanc annô 1646. ortum ex Domini Trumpeta domo incendium, quo Conventus incineratus eſt, prorſus extinxit, & labores Fratrum noſtrorum devoravit, novis igitur opus erat ſumptibus, quibus Conventus ſubſequis annis denuò reſurrexit, & ſcandulis tectus fuit.

Sed paulo poſt exuritur, iterúmque reſtauratur.

Interim hoc ædificiô utpotè minùs ſtabili, non contenti Fratres, operâ, & induſtria A. R. P. Ægidii Barilovics, ex Vicario hujus Conventûs in Miniſtrum Provincialem annô 1653. electi, circa finem ejusdem Miniſterii nova, prô novo Conventu jacta ſunt fundamenta quibus idem A. R. P. annô 1657. in Guardianum hujus Conventûs electus, muros ex parte ea, qua nunc porta Conventûs exiſtit, ſuperimpoſuit, & anno 1658. etiam complevit, ut demonſtrat Inſigne Provinciæ ſupra eandem portam elaboratum, & annum indicans mox ſpecificatum. Continuatum dein eſt pro poſſe per ſubſequos Superiores ædificium.

Novus à fundamentis inchoatur Conventus.

Quia verò, extensô aliquantùm ædificiô, area Conventûs nimiùm coarctaretur, pro hac amplianda Illuſtriſſ. D. Comes Gabriel Serényi, vicinam Conventui partem terræ liberaliter, unâ cum ſua Illuſtriſſima Conthorali annô 1659. ceſſit, ut ex ſequentibus utriúsque litteris patere poteſt.

Litteræ Illuſtriſſ. D. Comitis Gabrielis Serényi.

C. Gabriel Serényi donat nobi partem terræ pro area.

EGo Comes Gabriel Serényi, de Kis-Serény Dominus in Swetlow, Miloticz, Kunwald, Zlin &c. Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliarius, & Marchionatûs Moraviæ Supremus Capitaneus. Memoriæ commendo tenore præſentium ſignificans, quibus expedit Univerſis: Quòd Ego certis bonis reſpectibus, rationabilibúsqu. cauſis ad id moventibus, & inducentibus, Devotionisque zelô, & affectu, quibus erga Sacrum Ordinem Religioſorum Patrum S. Franciſci Strict. Obſerv. hìc in ſuæ Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis, libera Civitate Hradiſcenſi exiſtentem ſincerè afficior; videns etiam ſummam eorundem Patrum Cœnobii, & fundati loci anguſtiam, certum ſpatium Terræ meæ eidem Cœnobio, ſive Conventui proximè adjacens, & vicinum, tam meo, quàm Succeſſorum meorum univerſorum nomine, prænotatis Patribus in dicta Civitate Hradiſcenſi exiſtentibus, modernis videlicet, & futuris jure perpetuo, & irrevocabiliter, nullum jus, nullámque juris, & Dominii proprietatem, in eadem Terræ parte, pro me vel Succeſſoribus meis peramplius reſervando, dedi, donavi, & contuli, imò do, dono, & confero, jure præmiſſo tenendam, poſſidendam pariter, & habendam. In cujus rei firmius robur, præſentes meas Donationales, manûs propriæ ſubſcriptione, & Sigilli mei munimine roboratas, Eisdem Patribus, futura Eorundem pro cautela duxi dandas, & conferendas. Datum Brunæ die 1. Menſis Martii 1659.

(L.S.) Comes Gabriel Serényi m. p.

Denationis confirmatio ab Imp. petitur & obtinetur.

Quæ Donatio, ab Illuſtriſſ. D. Comite Gabriele Serényi facta, ut firmius robur habeat, petiêre Patres Conventûs Confirmationem ejusdem ab Auguſtiſſimo Imperatore Leopoldo, qui intellecto quòd Donatio præfata, Civitati nullô modô præju-

præjudicioſa foret, Regio Diplomate in Archivo hujus Conventûs reperibili omnino confirmavit.

Acceſſit deinde his annô 1731. ab Ampliſſimo Magiſtratu Hradiſtienſi Donatio hortuli cujusdam, noſtro jam priùs habito, ſed valde exiguo, vicini, hac nihilominus ex parte Conventûs obligatione ut quottannis ſex Miſſæ Sacrificia, pro publico Civitatis bono per Fratres abſolvantur, quæ obligatio à V. Diffinitorio quoque annô præfato Galgoczii die 12. Junii Congregato acceptata, & confirmata eſt. Tam Litteræ Ampl. Magiſtratus præfati hortuli ceſſionales, quam prædictæ Obligationis confirmatio, habetur in Archivo hujus Conventûs. Ampl. Magiſtratus donat Conventui hortulum.

In hac autem noviter acquiſita parte horti extructus eſt puteus, è lapidibus, item pro æſtu declinando, & pro Religioſæ Familiæ diverſione, ædificata eſt domuncula vulgò *Philagoria* dicta, & muri quidam ruinæ proximi reſtaurati, denique Conventus ipſe, tam ad intra, quàm ad dextra debitè adornatus, ac neceſſariis Officinis, & Conſervatoriis eſt inſtructus. In parte horti neoacquiſita extruitur fons & Philagoria.

Solius Cellarii apti defectus adhuc fuerat, nam in eo quod infra Conventum ædificatum eſt, propter aquam ferè continuò ſtagnantem, Vinum conſervari minimè potuit, ſed & huic neceſſitati proviſum eſt annô 1737. comparando unum Cellarium majus extra Civitatem ſub pago Marzaticz, in fundo ipſius Civitatis, & hoc quidem cum expreſſa annuentia Ampl. Magiſtratus Lib. Regiæque Civitatis Hradiſtienſis, cujus Facultas in Originali, uti etiam Contractus Domini Syndici Apoſtolici, cum cellarii Venditore initus, ſervatur in Archivo hujus Conventûs. Comparatur novum Cellare extra Civitatem.

§. IX.

Brevis Relatio Eorum, quæ Conventus hic tempore belli Boruſſici Annô 1742. perpeſſus ſit.

N. 50. POſtquàm Fridericus III. Boruſſiæ Rex, pacis in Europa turbator maximus, iteratò, Reginam Hungariæ bello laceſſere cœpiſſet, & ſub ſpecie amicitiæ Marchionatum Moraviæ intrâſſet, occupando Olomuczium, & alia quædam Fortalitia, tandem annô 1742. die 5. Februarii ejus miles etiam Hradiſtium pervenit, & omni prorſus milite, & munitione vacuum reperiens (Commendans enim Civitatis Comes Joſephus à Stuebenberg audita ejus fama, unâ cum ſuis militibus, & omni munitione die 2. Februarii diſceſſit) cùm nemo ei reſiſteret, facilè occupavit. Rex Boruſſiæ novum ſuſcitat bellum. Hradiſtium occupat.

Quingenti tantumodò Boruſſi, Duce Georgio Polſter Supremo Vigiliarum Præfecto, huc primò advenêre, qui per Civitatem, & in Collegio RR. PP. Societatis JEſu inquarteriſati, Conventum noſtrum liberum permisêre; at cùm die 13. ejusdem Menſis, ſuperveniſſet alia Legio 500. Sclopetariorum, ex his (nihil proficientibus precibus Patrum noſtrorum apud Magiſtratum, & Officiales Boruſſicos) 33. Viri ad Conventum quoque noſtrum ſunt intruſi, ac in ambitu inferiori, in Cella Portarii, antiquo item Refectorio, & Fratris Serarii Cella ſunt dislocati. Hi omnes cibo & potu diebus octodecim continuis à Conventu ſuſtentari debebant, præterquam quòd panem ex domo Annonaria accipiebant. 33. Milites Boruſſi, in Conventu hoſpitantur.

Poſt abitum horum alii, & alii ſuccedebant, jam Pedeſtres, jam Deſultorii, ſubinde plures, quandóque pauciores, ſæpè, & Officiales in cellis hoſpitum Superioribus accomodari debuerunt, ad communem tamen Fratrum refectionem nullus admittebatur. Vice quadam 40. Gregarii in ambitu inferiori, manſerunt, altera verò occaſione 126. ad hunc Conventum ſunt collocati; nemo inficiabitur plurimas Fratres noſtros hoc tempore perpeſſos fuiſſe moleſtias, uſque ad diem 10. Menſis Aprilis, hac námque die omnes è tota Civitate, ruinatis, ad portam Kunovicenſem pontibus, acceptis ſecum quibusdam Civitatenſibus tormentis (quæ ſuprà memoratus Commendans reliquerat) reliquis fluvio Moravæ immerſis, Olomuczium versùs emigrârunt. Demum jam plures jam pauciores illocantur.

Hungari Boruſſos inſequuntur.

Sed non ſine comitiva Hungarorum, ipſa enim die, quâ Boruſſus, Hradiſtio valedixit, Domini Hungari per hanc Civitatem tranſeuntes, Cremzirium uſque eundem inſequebantur, atque poſt Quaſiczium ipſum invadentes, licèt numerô pauci parum proficere valebant, nihilominùs Dominum Regium Judicem Hradiſtienſem Joannem Schwartz, D. Primatem Leopoldum Cſerni, & D. Andream Kratochwila Conſulem, plurésque Civitatis Senatores, tanquàm obſides abductos, in libertatem aſſeruerunt, unum item Tormentum hinc avectum eripuerunt, eósque uſque Olomuczium ſunt perſecuti, imò multiplicati demum Hungari, Boruſſos Sileſiam excedere compulerunt, ubi multis velitationibus inter ſe habitis, plurimis cœſis, ſexcentos captivos è Boruſſis huc Hradiſtium die 21. ejusdem Menſis adduxerunt. Eodem annô pax inter Huugariæ Reginam, & Regem Boruſſiæ eſt concluſa, licèt non ſine magno noſtro detrimento.

Abductos Hradiſtio Cives liberant.

§. X.

De Eccleſia, Capellis, & Cryptis hujus Conventûs.

Eccleſia reſtauratur.

N. 51. CEſſione Conventûs hujatis ab Alma Provincia Bohemiæ, ut ſup. jam relatum eſt, acceptâ, primò ea, quæ Dei erant Fratres noſtri ſedulè curabant, quare pro cultu, honoréque Divino ampliando, omnem impendentes conatum, incompletas Eccleſiæ columnas erigere, & fornicem ſuper imponere, Aras, & Ornamenta ejusdem procurare, diligenter cum benevola Benefactorum munificentia, in tantum ſatagebant, ut brevi Eccleſia ſuam ſortita ſit perfectionem. Succeſſivis nihilominùs temporibus, longè aliam, quàm priùs habuerit, accepit formam, præſertim ex quinque intra columnas ejusdem Eccleſiæ noviter extructis Capellis.

Capellis ex parte utraque amplificatur.

Et quidem ex parte Conventûs, Primam Capellam B. V. MARIÆ Gaudioſæ, extrui curavit Annô Dom. 1703. P. D. Adamus Bernardus Antl, Civitatis Hradiſtienſis Judex Cæſareus, cum Fundatione unius Miſſæ, ſingula die annuatim ad intentionem Fundatoris abſolvendæ, & Olei, pro lampade in eadem Capella perpetuò conſervanda. Alterius ex hac parte Capellæ nempe S. Joſephi, quis fuerit Patronus? mihi ſaltem hactenùs non conſtitit.

Alterum verò Eccleſiæ latus, Cœmeterium nempe reſpiciens, tribus eſt adornatum Capellis, nimirum S. Petri de Alcantara, B. V. MARIÆ Doloroſæ, & S. Antonii de Padva. Duæ poſteriores, erectæ ſunt Annô Dom. 1709. Et quidem Capella B. V. MARIÆ Doloroſæ, expenſis Illuſtriſſ. Domini Joannis Franciſci Skidinski, hujus Conventûs Syndici Apoſtolici, ejúsque Chariſſimæ Conthoralis Catharinæ Barbaræ Horzeczka, Capella vero S. Antonii, expenſis diverſorum Clientum eſusdem Sancti.

Ubi advertendum eſt, quòd binis vicibus, in Conſiſtorio Olomuczenſi, repulſam paſſi ſint Patres Hradiſtienſes, quoad erigendas has Capellas, at cùm tertia adhuc vice ſupplices facti fuiſſent, ſequens favorabile, D. Decano Staniſlao Kopinsky directum, accepêre reſponſum.

Facultas erigendi Capellas.

Reverende, & Eximie in Chriſto nobis ſincerè dilecte Domine Decane. Supplicuerunt RR. PP. Franciſcani denuò, ut Capellam, ſeu potius Altare in Eccleſia erigere valeant; cùm autem ultra limites ſuos ad Cœmeterium excedere non velint, ſed intra exteras Columnas Eccleſiæ manere, igitur cenſuimus petito eorum eſſe deferendum, niſi ab ipſo aliquid relevantis in contrarium poneretur. Datum Olomuczii in Curia Epiſcopali 22. Februarii, 1709.

Franciſcus Julianus Comes Brajda
in Spiritual. Gen. Vic. Totúmque
Epiſcopale Conſiſtorium.

D. Dreſner Aſſeſſor, & Notarius.

Terti-

Tertiam denique ex latere hoc, Capellam, seu S. Petri de Alcantara, unâ cum Crypta, & Altari, erigi curavit Annô 1715. jam suprà relatus Illustriss. D. Joannes Franciscus Skidinski, cum sua devota Consorte, pariter suprà nominata, cui lampadem quoque argenteam, cum fundatione Missæ quotidianæ, & olei, pro lumine perpetuò ibidem servando, ac pretiosissimas duas Casulas, unam aurô textam, alteram nigri coloris, cum duobus candelabris, & urceolis argenteis superaddidêre. Capellæ S. Petri de Alcantara Fundator C. Skidinski.

Plures quos sperare ab eis licuit favores, piissima Mors, Benefactoris quidem, an. 1717. die 11. Octobris, Benefactricis verò, an. 1720. die 5. ejusdem Mensis secuta, interrupit, utriusque Ossa in eadem Capella jacent tumulata, animæ verò eorum requiescant in pace. Moritur idem D. C. ejúsq; Conthoralis.

Interim nondum cessatum ab ulteriori Ecclesiæ restauratione: Annô 1716, mox post pestem hac in Civitate grassantem Consultiss. D. Bartholomæus Zelnitius ære suo erigi curavit Capellam, cum Altari S. Rosaliæ Virginis, & Crypta in loco vicino Ecclesiæ nostræ, in qua recurrente ejus Sanctæ die festiva, singulis annis Missa Solemnis decantari consuevit. Eodem annô pro Fratrum majori commoditate, eleëmosynâ Conventûs, erecta est nova Sacristia, cum Choro supra, subtus eam verò Crypta pro Fratribus. Extruitur Capella S. Rosaliæ. Item Sacristia.

Annô 1721. Fornix Sanctuarii est erectus cum Turricula, in qua duæ quoque Campanæ recenter fusæ collocatæ, major duorum centenariorum, & 39. librarum, minor verò centenarii unius cum libra, & hoc relictis expensis suprâ tactæ Illustriss. D. Catharinæ Barbaræ Skidinskin, jam defunctæ. Eodem quoq; annô novum erectum est Altare majus, ex munificentia Illustriss. D. Annæ Franciscæ Horzeczkin Baroniss. de Horka, flor. 1209. constans. Sanctuarii fornitur, & nova turricula erigitur.

Annô 1733. Erecta est Via S. Crucis. Picturæ Imaginum Patrona fuit Illustriss. D. Violanta de Wart, reliquorum Conventus, & pii Benefactores. Sequenti annô Altare S. Joannis Nep. in loco Sacristiæ vicino est positum, & ex eleemosynis Benefactorum picturis necessariis decoratum.

Denique succeſſivis annis Ecclesia hæc mirum in modum est adornata. Annô nempe 1736. sub Guardianatu P. Antonii Schwab, muri Ecclesiæ pluribus Ancris ferreis contracti, & firmati, Ecclesia ipsa noviter tecta, frontispicium renovatum, porticus Ecclesiæ, à fundamentis major ædificata. Annô 1737. Turri majori novus pileus ex lamina datus, Patronis Illustrissimis Dominis Sigismundo, & Amando de Petterswaldt. Nova item Altaria, nempe B. V. MARIÆ in Capella Antliana dicta, & S. Josephi in Ecclesia erecta. Tertium item in ambitu Conventûs B. V. MARIÆ extructum. His A. R. P. Martinus Waczulik an. 1742. novum Suggestum Concionatorium, item R. P. Bartholomæus Marada an. 1751. novum Sepulchrum, ad normam Jerosolymitani, superaddiderunt. Muri Ecclesiæ ferramentis fortificantur. Turris major lamina tegitur.

N. 52. Porro Ecclesia hæc consecrata est, unâ cum quibusdam Altaribus mox specificandis, Annô Dom. 1737. per Illustriss. & Reverendiss. D. Nicolaum Stanislavich, Ord. Min. S. Francisci, habentem ad hoc specialem facultatem ab Ordinario, nimirùm Wolffgango de Schrattenbach S. R. E. Tituli S. Marcelli Presbytero Cardinali, & Episcopo Olomuczensi, cujus Consecrationis Testimonium hic apponere libet: Ecclesia consecratur.

Annô Domini 1737. die 6. Mensis Augusti. Ego Fr. Nicolaus Stanislavich, Ord. Min. S. Francisci Regularis Observantiæ EPISCOPUS NICOPOLITANUS, consecravi hanc Ecclesiam, & Altare majus, in Honorem B. V. MARIÆ Annunciatæ, & alia minora Octo, nimirùm: ex parte Epistolæ, Primum, *in Honorem S. Stephani Proto-Martyris.* Secundum, *In Honorem S. Petri de Alcantara.* Tertium, *In Honorem B. V. MARIÆ Dolorosæ.* Quartum, *In Honorem S. Antonii de Padva. Ex parte Evangelii.* Primum, *In Honorem S. Francisci Seraphici.* Secundum, *In Honorem B. MARIÆ Virginis.* Tertium, *In Honorem S. Josephi.* Quartum *exterius in Capella, In Honorem S. Rosaliæ Virg. ac in eis Reliquias SS. Illuminati, Theodori, & Desiderii* Testimonium Episc. Consecrantis de Ecclesiæ consecratione.

rii MM. incluſi, & ſingulis Chriſti Fidelibus, hodie unum annum, & in die Anniverſaria Conſecrationis hujusmodi, ipſam viſitantibus, quadraginta dies, de vera Indulgentia, in forma Eccleſiæ conſueta conceſſi, atque diem Anniverſariam Conſecrationis, Dominicam Septimam poſt Pentecoſten aſſignavi. Hradiſtii Annô, & die uti ſuprà.

(L. S.) Fr. Nicolaus Epiſcop. qui ſuprà m. p.

Reliquiæ Sanctorum. In Eccleſia hac habentur Sacræ Reliquiæ Sanctorum, ac Sanctarum nrô. 7. *Primò*, habetur Particula authentica S. Crucis. *Secundò*, Crus S. Hilariæ Martyris, cum authentico ſcripto, & reviſione Epiſcopi, & Vicarii Generalis Strigonienſis Pauli Balaſſa, quod A. R. P. Sigiſmundus Viebëra Miniſter Provincialis annô 1705. Româ acquiſitum huic Eccleſiæ obtulit. *Tertiò*, Pollex S. Viti Mart. *Quartò*, Ex Oſſibus S. Antonii de Padva. *Quintò*, S Gregorii Thaumaturgi. *Sextò*, Ex Oſſibus SS. Mariæ Magdal. & Marthæ. *Septimò*, Ex Oſſibus S. Petri Regalati, omnes hæ Reliquiæ authenticæ ſunt.

Numerus Cryptarũ. Cryptæ verò pro ſepulturis habentur undecim. *Prima*, Prope Aram majorem, ſub Sacriſtia pro ſepultura Patrum, & Fratrum. *2da.* In medio ante cancellos. *3tia.* In medio Corporis Eccleſiæ. *4ta.* Ex parte Epiſtolæ in Capella S. Petri de Alcant. *5ta.* Ante Aram B. V. Mariæ Doloroſæ. *6ta.* Ante Aram S. Antonii. *7ma.* Sub Choro in eadem parte. *8va.* Ante Aram S. Franciſci. *9na.* Ante Aram S. Joſephi. *10ma.* In porticu Eccleſiæ. *11ma.* In Capella S. Roſaliæ Zelnitiana cum jure Sepulturæ ejusdem Familiæ. Ex noſtris Fratribus hic tumulati ſunt circiter 98 Sæculares utriuſque Sexûs quàm plurimi, quorum Nomina in libro Conventûs adſcripta reperiuntur.

§. XI.

De Studio Litterali, Novitiatu, Erectione Tertii Ordinis, Confraternitatum, & Panniſicii.

Primum Studium Philoſoph. N. 53. ANnô Dom. 1632. in hoc Conventu Studium Philoſophicum fuiſſe ſub Lectore P. Nicolao Fritſch, reperitur in libro Confraternitatis Chordigerorum S. P. N. Franciſci, quamdiu autem continuatum fuerit, nihil certi habetur, hoc certum eſt, quòd annô 1650. fuerit Novitiatus, uſque ad annum 1668. Novitiatus. quô annô inſtitutum fuit Studium Theologicum Morale, ſeu Caſuum Conſcientiæ, quô per annum abſolutô, continuabatur Novitiatus, uſque ad annum 1676 & iſtô trâdi cæpit Philoſophia, Lectore P. Andrea Paláſti, poſt hunc P. Petro Orlovics. Iteratò Studium Phil. Iteratò autem annis, 1680, & 1681. Novitii inſtituebantur, poſt hos annô 1682, & ſequentibus duobus tradebatur Philoſophia, Lectore P. Sigiſmundo Viebëra, qui abſolutô Curſu Philoſophicô, incepit tradere Theologiam Speculativam, Studium Theolog. nimirùm annô 1685. Verùm anno ſequenti iteratò Philoſophiæ Lector Gyöngyöſſini factus, Theologiam in hoc Conventu continuandam P. Philippo Bradacs reliquit.

Poſt hunc Theologiæ Speculativæ Curſum 4. annis abſolutum, reaſſumptus Conventus pro Novitiatu determinatur. eſt Novitiatus. Rurſus annô 1695. Theologia Speculativa, Lectoribus P. Franciſco Svetlovics, & P. Ludovico Kitska tradebatur ad annum 1699. quô, in Capitulo Galgoczii celebrato, conſenſu totius Diffinitorii, Conventus hic pro Novitiatu partis Slavonicæ determinatus fuit, ut videre eſt in Actis ejusdem Capituli.

Novitiatus Galgocziũ transfertur, ſed & hic cõtinuatur. Et licèt in Capitulo Provinciali, Cremniczii annô 1710. celebrato, decretum fuerit, ut Novitiatus iſte ad Conventum Galgoczienſem transferatur, quod etiam executioni mandatum eſt, quia tamen ſuperveniente ſæviſſima peſte, ex Novitiis quàm plurimi Galgoczii extincti eſſent, ob id in hocce Conventu adhuc continuabatur Novitiatus, uſque ad annum 1712. quô tempore, ſimul habebatur Studium Philoſoph. etiam Studium Philoſophicum, Lectore P. Maximiliano Rösler, quô abſolutô aliud ſucceſſit, Lectore P. Simone Zaſmaſil, & hoc, annô 1713. Pruskam translatô,

latô, novum inchoatum fuit Lectore P. Romualdo Paſtirzik. Tandem Annô 1716. vel ſequenti, initium ſumpſit Studium Theologiæ Speculativæ Lectoribus P. Patritio Habrle, & Simone Zaſmuſil, quod, uſque ad hæc tempora continuatur cum Studio Sacrorum Canonum. Nunc pro continuo habetur Theologia Specul.

De Sacro III Ord. S. P. N. Franciſci hoc ſolum in libro ejus reperitur, quod anno 1703. initium ſumpſerit, ſub quo autem? non extat; nihilominus ad præſens ultra 800, utriúsque Sexûs, Statûs etiam Eccleſiaſtici non paucas, numerat Perſonas. Erigitur III. Ord. S. Franciſci.

Confraternitatem Chordigerorum S. P. N. Franciſci, erexit R. P. Ambroſius Podiebradski Cuſtos Provinciæ Act. annô 1632. die 2. Auguſti, cujus etiam Primus Director fuit. Cui altera quoque Confraternitas nempe S. Joſephi acceſſit, authoritate Innocentii XI. per A. R. P. Joannem Ziveczki Annô 1679. inchoata, & mox annò ſequenti ab Ordinario confirmata. De Pannificii erectione. Vide p. 1. Cap. 5. n. 161. Congregationes S. Franc. & S. Joſephi.

NOMINA SUPERIORUM HUJUS CONVENTUS.

Annô
1605. P. Ludovicus de Angyalos.
1608. P. Petrus de Gyongyös.
1610. P. Mathias Leo.
1616. P. Michael de Somlyo.
1622. P. Caſparus Nádaſi.
1626. P. Franciſcus à S. Benedicto.
1629. P. Bernardinus Szakolczenſis.
1630. P. Ludovicus Gajari.
1631. P. Mathias Leo.
1632. P. Auguſtinus à S. Benedicto.
1635. P. Franciſcus à S. Benedicto.
1638. P. Mathias Leo.
1640. P. Fulgentius Miticzki.
1641. P. Clemens Szakolczenſis.
1644. P. Georgius à S. Cruce.
1646. P. Baſilius Dezericzki.
1647. P. Antonius Cſaslavienſis.
1650. P. Fulgentius Miticzki.
1651. P. Ægidius Schemnicienſis.
1656. P. Tiburtius Hermanienſis.
1657. P. Ægidius Barilovics.
1660. P. Thomas Svetkovics.
1662. P. Baſilius Dezericzki.
1663. P. Tiburtius Hermanienſis.
1665. P. Bernardinus Paulini.
1667. P. Thomas Svetkovics.
1668. P. Joannes Kaderlauff.
1669. P. Benedictus de Andreace.
1672. P. Bernardinus Paulini.
1673. P. Benedictus de Andreace.
1674. P. Bernardinus Paulini.
1677. P. Daniel Wajman.
1678. P. Baſilius Dezericzki.
1680. P. Daniel Werkai.
1684. P. Joannes Ziveczki.
2687. P. Remigius Hadarz'.
1688. P. Emericus Terchovics.
1689. P. Ambroſius Podiebradski.
1690. P. Laurentius Wislai.
1691. P. Remigius Hadarz'.
1694. P. Modeſtus Krſa.
1696. P. Philippus Bradacs.
1699. P. Vitus Hueber.
1701. P. Franciſcus Beſſelin.
1703. P. Sigiſmundus Lunda.
1705. P Franciſcus Beſſelin.
1708. P. Valerianus Kmetovics.
1710. P. Jacobus Hartll.
1711. P. Bartholomæus Rosboril.
1712. P. Philippus Veſeli.
1715. P. Chriſtophorus Nekulni.
1718. P. Ambroſius Gaſtll.
1720. P. Dionyſius Wlcsek.
1723. P. Simon Zaſmuſil.
1725. P. Martinus Waczulik.
1728. P. Valerianus Dedek.
1730. P. Martinus Waczulik.
1731. P. Ludovicus Danicsek.
1732. P. Narciſſus Beneſs.
1733. P. Matthæus Motzak.
1734. P. Innocentius Gajsler.
1735. P. Antonius Schwab.
1738. P. Martinus Waczulik.
1741. P. Robertus Sklenar.
1744. P. Florentius Wlcsek.
1747. P. Marcus Richter.
1750. P. Bartholomæus Marada.
1753. P. Damaſcenus Charvath.
1756. P. Cyrillus Machacs.
Qui uſque nunc continuat.

V. CONVENTUS CASSOVIENSIS AD SANCTUM ANTONIUM PADUANUM.

§. I.

Descriptio Civitatis Cassoviensis.

N. 54. CAssovia, in Comitatu Aba-Ujvariensi, Diœcesi pronunc Agriensi, Liberarum, Regiarúmque Civitatum una, Superioris Hungariæ Metropolis est. Pagum olim fuisse, dein, operâ Saxonum, à Geyza II. circa an. 1142. evocatorum Oppidi formam induisse, testantur non pauci Scriptores. Postquàm verò Rex Bela IV. A. D. 1235. commisso cum Tartaris ad *Sajonem* fluvium infeliciter præliô, Cassoviam fugitivus deveniisset, & ab Oppidanis, humanitate condigna acceptus fuisset, in remunerationis vicem, pacatâ postmodùm Hungariâ, Cassoviam, Civitatem omnino immunem, atque Regiam esse voluit, útque amplificaretur, edixit. Murô circumdari cœpit An. 1290. sub Rege Ladislao IV. perque inter valla temporis, Mœnibus, ac Vallis, diversísque Munimentis in tantum est solidata, ut præcipuum contra hostes in Hungaria Superiori censeretur Præsidium.

Natales Civitatis Cassoviæ.

Ex Pago fit Oppidum, deinde Civitas Regia.

Ejus Munimina.

Situs hujus Metropolis exterior non inamœnus. Hernadus amnis Civitatem ab ortu alluit, quàm ultra nemorosi, vitiferíque colles aspectu jucundam reddunt. A meridie patentes conspiciuntur agri, qui ab occasu in colles procurrunt. Unus horum patientis in carne Dei Theatrum (*Calvariam* dicimus) fustinet, quod an. 1737. inchoatum, coadjuvantibus piorum, quàm maximè Civitatis Munificiæ largitionibus, RR. PP. Soc. JEsu industria, duplici Ecclesiâ, unâ alteri incumbente, elegantíque per latera gyro extulit, ac demum annô 1758. perfecit. Alter collis nonnihil editior, & ad Boream recedens, gloriatur Sacellô, quod D. Virg. Rosaliæ honori, Civium pietas An. 1710. grassante pestifera lue dedicavit, quò bis annuatim, nempe Ascendentis Domini festivitate, & Dominicâ infra octiduum festi S. Rosaliæ, Votiva cum populi frequentia, ducitur Processio. Uterque hic Sacer locus ab Eremicolis incolitur.

Calvaria.

Capella S. Rosaliæ.

A Septentrione Montes mediotenùs vitiferos habet, inter quos medius decurrit amnis *Csermelus* dictus, & Civitatem perlabitur, magno Civium commodo, uti & Domicilii nostri, quòd subteraneô canali An. 1718. paratô traductas è stillicidiis aquas recipiat eísque meditullium liberet. Amplis olim ornabatur Suburbiis hæc Civitas, modo ab eis vix quidquam laudis repetit, nisi quod ad austrum *Hospitale* seu egentium receptaculum, contiguámque Ædiculam SS. Trinitati Sacram, uti & vicinam Sacellani ibidem degentis domum protegat, & vitæ mediis provideat.

Suburbia.

Interior Urbis facies ad Majestatem composita est. Platea una amplissima, à Septemtrione ad Meridiem extenta Urbem inchoat, & terminat, minores plateæ ad Occiduum, Orientémque Solem se recipiunt. In illa ampliore, à porta meridionali, seu inferiore incipiendo, primò visitur satis amplum pro præsidiario milite erectum ædificium (ad Portam quoque superiorem est alterum) non longè ab illo stat vetusta Ædicula D. Michaëli Archangelo Sacra, forsitan dum adhuc Cassovia Pagus foret erecta. Calente hostilitate Lutheranorum usibus serviebat, dein per annos plurimos ferè deserta manebat, pro qua, cùm circa annum 1747. Lutherani Aulam Viennensem multùm fatigâssent, occasionem Ampl. Magistratui dedêre prædictam repurgandi Ædiculam, ac simul constituendi, ut duo hebdomadatim, feriâ nimirùm tertiâ, & quintâ absolvantur in eadem Missæ Sacrificia, sícque spes omnis hæreticis præcidatur eam pro usu suo habendi. Operantur

Interior Urbis facies.

Ecclesia S. Michaëlis Archang.

rantur ad Aram dictis feriis Fratres Minores à 18. Menſis Aprilis Anni 1748. uſque nunc.

Supra hanc vicina extat Parochialis Baſilica, D. Eliſabethæ veteris Hungaraæ pietatis monumentum auguſtiſſimum. Cujus ſive interior, ſive exterior ſtructura, & magnificentia ſpectetur, facilè cum Stephaneo, quod Viennæ Auſtriæ princeps eſt, templo, in contentionem venire poteſt. Eliſabetham Caroli I. Conjugem, Ludovici I. Hung. Regis Matrem prima celeberrimæ hujus fabricæ circa an. 1324. jeciſſe fundamenta veriſimilior eſt opinio, ad coronidem verò perductum opus ſub Rege Mathia Corvino, qui annô 1468, Senatui Caſſovienſi impoſuit, ut Regibus offerri ſolita munera, per ſecuturos quìnque annos, ad continuandam Eliſabethinam applicent fabricam, quod cùm factum fuiſſet debitam tandem accepit perfectionem. Baſilicam hanc in Sacris curat Parochus titulo Canonici, & jurisdictione Vice-Archidiaconi de more decoratus. E duobus Capellanis, unus nationi Hungaræ ab immemorabili tempore, Slavicæ alter non niſi ab anno 1756. miniſtrat Sacra. Prædicabatur hic priùs Verbum Dei linguâ ſolùm Hungarica Dominicis Feſtivísque diebus, jam à 1. Februarii anni modò expreſſi etiam Slavicâ. Baſilica D. Eliſabethæ.

Sequitur deinde forum Civitatis, fornicibus minoribus, ædiculis quoque variis, opificibus accomodis excultum. Tractum eundem occupabat olim *Curia* in quam Senatores Urbis conveniebant, ſitu, & ſtructura nobilis, quæ cùm lapſu temporis neglecta, ruinam per ſe minaretur, disjecta eſt an. 1756. Forum Civitatis.

Præter hæc, & principalem Præſidii ſtationem, arte & pretio ſumptuoſus non longè à foro ſtat Coloſſus Marianus cui extruendo primus lapis ſoppoſitus eſt anno 1720. nitor ejus nonnihil obſcuratus, reſtitutus eſt annô 1757. ſingulari induſtriâ D. Ferdinandi à Flachenfeldt Regiorum Superiore in Hungaria Curſorum Primarii Magiſtri. Miniſter quidam Calvinianus An. 1723. infame ſcriptum pedi Statuæ affixit, deprehenſus perpetuum exilium ferre juſſus eſt. Coloſſus Marianus.

Sunt Caſſoviæ Religioſorum etiam Ordinum 4. Domicilia. Vetuſtate reliquis excellit *Cœnobium Ord. Prædicatorum* à Sancto ut fertur Hyacintho, has in partes è Polonis delato conſtructum. Peramplum iſtud olim fuiſſe rudera loquuntur, nunc etſi Eccleſia magnificè ſatis reſtaurata, Domicilium tamen Religioſorum (quod quatuor tantùm Perſonæ incolunt) ſatis exiguum. Jacta quidem ſunt an. 1754. pro novo fundamenta, quæ tamen vix à terra levata, munificentiam Patronorum uſque nunc expectant. Conventus PP. Prædicatorum.

Alterum eſt *Collegium Academicum Societ. JESU.* Initia hujus referuntur ad annum 1654. ex inſigni Cleri Hungariæ beneficentiâ, ac Ferdinandi III. pietate. Univerſitatem bonarum artium adjecit Benedictus Kisdi Epiſcopus Agrienſis an. 1657. Typographiam verò liberalitas Szent-Ivanyiana. Templum ſuum binis eísque elegantibus turribus ſtipatum, hæc Societas, in acceptis refert Sophiæ Bathori, Georgii Rakóczi hoc Nomine II. Tranſylv. Principis olim Conſorti. Collegium Soc. JEſu.

Tertium Domicilium eſt Fratrum Minorum de Strict. Obſerv. de quo uberiùs infra agetur. Quartum denique Sancti-Monialium à D. Urſula nominatarum, ab anno 1697. ſuam repetens originem, quod ruinæ ferè proximum, ad meliorem, & ſolidiorem normam, à cornu, ſecùs quod à majori platea ad ipſarum itur Templum, funditus erigere cœpit An. 1758 Menſe Aprili Illuſtriſſ. Comitiſſa Anna, nata Károlyi, Pauli Szapári relicta Vidua, quæ non diu poſt nuptias ſoluta à lege Viri, conſortio quoque Aulæ Paternæ ſe ſubducens, iſthuc immigravit annô 1756. die 7. Februarii, incœptum, comite vita, Superísque faventibus proſecutura. Clauſtrum Sancti Monialium.

His adnumerari poſſunt Seminarium Cleri junioris, & Convictus Nobilium noſtro Conventui vicinus, præſunt utrique RR. PP. Societ. JESU. Denique Inclyta Cameralis Adminiſtratio, Scepuſienſis dicta, eo quòd primum in Arce Scepuſienſi annô nempe 1557. ſit inſtituta; paulò poſt huc translata eſt; cui Officiô Seminarium & Convictus.

Camera Scepusien. Administratoris præest actu Excell. Comes Antonius è Comitibus Csáki, Intimus Suæ Regiæ Majestatis Consiliarius.

Zelus Magistratus Cassovien. Tandem ad commendationem Urbis facit, quòd licèt magna Civium pars Lutherum, minor Calvinum sequatur, nemo tamen ex his vel ad infima Civitatis servitia applicetur, Senatus totus, tam interior, quàm exterior Catholicus, & tam ferventis in negotio Fidei Catholicæ zeli, ut cùm videret in decem, & septem pagis, quorum possessione ab antiquo Civitas gaudet, paucos Catholicos, numerosissimos verò esse Acatholicos, petito è Collegio Soc. JESU pro faciendis Missionibus Patre, intra quinque annorum spatium, inchoativè nempe ab anno 1749. usque ad 1754. omnes ad gremium Matris Ecclesiæ traduxerit, ita ut nunc ne vestigia quidem Hæresis in pagis illis videantur. Longè plura sunt quæ in Urbis hujus commendationem referri possent, sed brevitati studendo, ad Scopum præfixum, Conventûs nempe Nostri Cassoviensis descriptionem propero.

§. II.

Exhibet Conventûs Fratrum Minorum Veterem, & Modernum Statum.

Jam olim fuêre FF. Minor. Cassoviæ. N. 55. FUisse in hac Metropoli Fratres Ordinis Min. ante An. 1556. docet Ferrarius Ord. Præd. Topographus, de Conventu RR. PP. Dominicanorum Cassoviensium scribens. Verba ejus sunt: *Ob incendium fortuitò exortum Urbs tota cum Majori Templo; ipsum nostrum, & Franciscanorum Cœnobia conflagrarunt: aliásque Bellorum, ac Religionis perturbationes, denique desertum est à nostris hominibus.* Ita Vet. & Nov. Cassovia fol. mihi 81. Incendium illud Urbem An. 1556. funestavit. Franciscani autem, quorum meminit, indubiè fuêre Conventuales. His erexit Cassoviæ Cœnobium Inclyta Familia Perényiana circa An. 1450. ùt computat Provinciæ nostræ Historicus P. Christoph. Agricola. Quo autem tempore, quámve ob causam hinc migraverint, parum compertum est; id certissimum, eorundem excessum ante Annô 1600. contigisse. Interim Navis Ecclesiæ pro Armamentario erat, Conventûs autem pars, Artilleriæ Præfecti, & aliorum id genus Officialium incolatui cessit. Ita Sacris succesêre profana, dominante scilicet Hæresi, juxta ac perduellione. Nec alios pròdunt monumenta Cassoviæ Religiosos sub initium prioris Sæculi, vel Sacros Curiones, quàm Soc. J. Patres; ex his primùm An. 1601. à Societatis Præside submissi Cassoviam duo, utpotè Petrus Pazmány, magnus ille Catholicæ Religionis in Hungaria Vindex, & Jacobus Némethi, qui tamen paulo post exesse debebant. Succesêre alii Annô 1604. qui & V. Capitulum Agriense, Agriâ Turcicum jugum ferente, exulabat Cassoviæ; sed & hos ejecit hæreticus, & Regi infidelis furor; nec subinde reversi, fixam accepêre Patres Sedem priùs, quàm An. 1640. Sed & post hunc bis amandati, brevi revenerunt.

Introducuntur Patres Strict. Observ. N. 56. Tandem An. 1650 sub Innocentio X. Pontif. Ferdinando III. Imp. & Hung. Rege; Benedicto Kisdi Agriensium Præsule, Michaële Szegedi Provinciæ Ministro; dum Jaszoviâ (Oppidum est ter mille passibus ab hac Metropoli distans Præpositurâ S. Ord. Præmonstratensium, olim suis diu orbâ; jam ad magnificentiam ab An. 1747. instaurari cœptâ insigne) Cassoviam Sacerdotum Agriensium V. Collegium reinduceretur; Scholis item S. J. daretur initium hac in Urbe; Patres quoque Ord. Minor. Strict. Observ. sub initium Mensis Junii, Operâ Regni Palatini Pauli Pálffi, in hancce desolatam Domum sunt illocati. Id præter Provinciæ Urbarium docent Palffianæ Litteræ etiam num asservatæ, ad Ministrum Provincialem Patriâ linguâ An. 1651. die 29. Jan. datæ, significantes a se obtentum esse Clem. Principis Ferdinandi Mandatum, quô imponitur Inclyt. Cameræ Scepus. pendenda hebdomadatim PP. Franciscanis Cassov. certa Eleëmosyna. Literæ Ferdinandeæ tales sunt:

FER-

FERDINANDUS III. &c. &c.

MAgnifici, & Egregii Fideles Nobis. Posteaquam certa relatione informemur, Relig. FF. Franciscanos in Civitatem nostram Cassoviensem introductos, notabili animarum fructu, Concionibus, & bonæ vitæ exemplô, gregem Dominicum propagare, ipsósque Acatholicos, ad amplexum Religionis Catholicæ allicere; illud tamen flagrans ipsorum studium eò nonnihil impediri, quod condigna virtus provisione destituatur. Quapropter Fidelitatibus vestris clementer, & serio committimus, eam primo quoque penes Administrationem proventuum Nostrorum in partibus Regni Superioribus facere velitis, & debeatis Ordinationem, ut memoratis Fratribus pro commodiori sui sustentatione, hebdomadatim sesqui-alter florenus Hung. ex Proventibus nostris Eleëmosynæ loco infallibiliter pendatur, & administretur; qua in re Vos secùs facere nolumus. Et in reliquo &c. Datum in Civitate nostra Viennæ die 13. Jan. An. 1651.

Dum nostri primùm in hunc devastatum Conventum inferrent pedem, eum occupavere Tractum, qui à Cella vinaria, & Dispensa cum subsequis septem Cubiculis supernè, & nonnullis infernè, providentiâ speciali adhuc tum extantibus, per aream tenditur, & reliquo ædificio humilior est. Hunc antiquissimum esse, præter literalia Instrumenta, docet norma fenestræ, quæ Cubiculo Dispensæ proximo lucem præbet. Solare item Horologium in medio Tractûs delineatum, quod in mappa Annum 1597. præfefert. Divinandum porrò est, quid velit lapis, juxta illud muro insertus, cui præter aliquot characteres Annus taliter appositus est 1707.

Dissidium Religiosi inter, & Officiales.

At non benè convenit Religiosos inter, & munitionis bellicæ Præfectos; horum siquidem familia, illorum limites trans, & regrederetur passim, turbando nonnihil claustralem solitudinem, devotáque exercitia, sed & aliis injuriis exasperando Fratres. Ut his nostri modum ponerent offendiculis, januam qua accessus patebat, præstruxerunt, & Ambitum, qui secundùm Convictum, ad majorem plateam tendit, & jam per Majestatem promittebatur, occuparunt. Isthic non recondebatur aliud; quàm vascula aliquot inania, pauci asseres, & quædam Tormentorum substacula &c. quod testantur Literæ V. Capituli Agriensis, à P. Guardiano An. 1666. nostra pro cautela petitæ.

N. 57. Adversùm nos Majestatem Regiam armare nitebatur Officialium nonnemo, ausum hunc minus candidè exaggerando coram Bellico Consilio; verùm datus justæ Religiosorum excusationi, rationíque locus. Magnis demum agentibus Patronis, intervenientibúsque humilibus apud Regem precibus P. Chrysostomi Gyöngyössi Conventûs Guardiani, Armamentarii Curatores sua efferre jussit Leopoldus I. an. 1668. die 13. Maji pristinum hujus Domûs fundum, quantus quantus erat, nobis in scribendo. Dies erat Mensis Octob. 15ta, qua semotis impedimentis Regiæ satisfactum jussioni. Subjicio Diploma confirmatorium, & collationale.

Nos LEOPOLDUS Dei Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, &c.

MEmoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit Universis Quòd cùm à Divis quondam Hungariæ Regibus Prædecessoribus nostris glorioßissimæ reminiscentiæ, pietate ac zelô Dei flagrantibus, non minorem in augmentanda, & ornanda, quàm conservanda Religione Catholica, fundandis item Ecclesiis, aliísque piis locis, & ad DEI Omnipotentis celebrandas laudes erigendis, atque confirmandis factam esse videamus diligentiam, Nos quoque laudabilibus eorum insistere volentes vestigiis, tum ex pio, & peculiari Nostro erga Religiosos Fratres Ordinis S. Francisci Strictioris Observantiæ Provinciæ Hungariæ Sanctissimi Salvatoris affectu, quô eos, velut de Præfata Ecclesia Dei, & Religione Catholica bene meritos, & Sanctitatis laude ubique com-

Litteræ Leopold. I.

mendatiſſimos jugiter complectimur, tum verò deſideriô ac zelô honoris DEI, & Religionis in hoc Regno noſtro Hungariæ promovendæ, præſertim in Superioribus ejusdem Regni partibus, ubi præ cæteris avitam fidem labefactatam eſſe advertimus. Paternè denique cupientes mediô dictorum quoque Patrum Franciſcanorum Spiritualibus earundem partium commodis, ac neceſſitatibus ſubveniri, totum Monaſterium in Libera ac Regia Civitate noſtra Caſſovienſi, Comitatúque Aba-Ujvarienſi exiſtens habitum, aliàs olim ab antiquiſſima Familia Perényiana pro memorato Ordine Seraphico fundatum, jam verò potiori ex parte dirutum & collapſum, quod videlicet iidem Religioſi Fratres antelatæ Provinciæ Hungariæ Sanctiſſimi Salvatoris, ex benigna prædefunctæ Sacræ Cæſareæ Regiæ Majeſtatis, Domini Genitoris, ac Prædeceſſoris noſtri deſideratiſſimi felicis recordationis, collatione etiamnum, nemine prorſus contradicente, tenere, poſſidere, inhabitaréque perhibentur, unà cum Templo Sancto Antonio de Padua dicato, & conſecrato, ejusdémque Sanctuario, Sacriſtia, Turri, Capella, habitaculis, & Areolis, omnibus denique attinenciis ipſis Religioſis Fratribus, Succeſſoribúsque eorundem Univerſis, ad inhabitandum, ibidemque DEO jugiter famulando ac devotè, ac Inſtituto ſuo, Regulísque ſatisfaciendum, reincorporando illud toties dictæ Provinciæ Sanctiſſimi Salvatoris, Authoritate Juriſpatronatûs noſtri Regii, quod generaliter in conferendis univerſis præcenſiti Regni noſtri Hungariæ Eccleſiis, & Beneficiis inſtar prærepetitorum Prædeceſſorum noſtrorum beatæ memoriæ, optimo Jure habere, & exercere dignoſcimur, denuò damus, conferimus, per manúsque tradimus, & aſſignamus, realiter, & cum effectu, benignámque per hoc Prætitulati quondam Domini Genitoris noſtri, ipſis factam collationem, acceptamus, firmam habemus, ac in perpetuum duraturam confirmamus, & Diplomate hocce noſtro roboramus, ac ùt illud ipſum tam tempore felicis noſtræ Gubernationis, & Regiminis, quàm etiam Succeſſorum noſtrorum, legitimorum ſcilicet Regum Hungariæ ab omnibus, & ſingulis, quorum intereſt, vel intererit, ratum, firmum, & validum habeatur, clementer volumus, decernimúsque, & ſtatuimus. In quorum fidem, & firmamentum, præſentes Literas noſtras Privilegiales, ſecreto Sigillô noſtrô, quô ùt Rex Hungariæ utimur, impendenti communitas, dandas duximus, & concedendas. Datum per manus Fidelis noſtri Nobis dilecti, Reverendi Franciſci Szegedi Epiſcopi Eccleſiæ Vaczienſis, Conſiliarii noſtri, ac Aulæ Noſtræ, per ſæpe fatum Regnum noſtrum Hungariæ Cancellarii, in Caſtro Noſtro Laxemburg die decima tertia Menſis Maji Annô Domini Milleſimô ſexcenteſimô ſexageſimô octavô. Hungariæ, & reliquorum decimô tertiô. Bohemiæ verò Annô duodecimô.

LEOPOLDUS m. p.

Conventus inſtituitur.

N. 58. Domicilium hoc Conventibus adnumeratum eſt Annô 1668. Proto-Guardianum agente P. Franciſco Joanne Szegedi. Habitaculorum porrò paucitas, ſed & rimas agentes muri adurgebant Conventûs exædificationem. Illi manum primam, ſed & ſupremam impoſuit P. Ambroſius Ivankovics, & meliori formæ, quantum temporum, locíque anguſtia, Piorum item ſuppetiæ admiſerunt, reſtituit. Tractus, qui Convictui adhæret Annô 1671. qui Templo, An. 1676. qui Occidentem reſpicit, An. 1674. qui Orientem An. 1675. ſurrexit. Inferiores quidem Ambitus eleganter ampli: at ſuperiores anguſtiâ, tenebris, fibulis ferreis, angulis item, & diverticulis deformes, munificam pro reſtauratione manum flagitant. Externa facies vix Religioſam Domum indicat.

Refectorium.

Refectorium An. 1676. conſtructum eſſe, præter Rationum libros, Porta ejusdem perhibet. Tunc ſuperædificatum eſt, & amplum illud Cubiculum, de quo multa erat opinio, ex depictis Tabulis parietem circa ſcamna obtegentibus, formata, Refectionis locum quondam fuiſſe. Aliter ſe res prodidit. Nam vacuum multò tempore, ſubinde arboreis fructibus; nnnunquam grano ſervando fuit applicatum. Invaleſcente dein, utpote An. 1710. Peſte; & Capitulo Provinciali Cremniczii celebratô determinante, ut una principalis Infirmaria Hradiſtii, altera Caſſoviæ erigatur, pro infirmorum commoditate inſtructum fuit, eósque excepit,

uſque

uſque dum hodierna Infirmaria ſucceſſiſſet. Poſt hæc vel Sartoris Officina, vel Granarium fuerat. Denique An. 1755. PP. Lectorum ſolertiâ, indultóque majoris ſuperioris in ſcholam Theologicam mutatum eſt, ſervítque tam hyberno, quàm æſtivo tempore tractandis ſtudiis. Tabulæ Sanctorum Iconibus depictæ ex Refectorio An. 1705. ſublatæ fuiſſe videntur, poſtea hic applicatæ. Ambitus, quem Infirmaria, & Sacellum inchoat Fabrorum plateam versùs, An. 1722. Authorem habuit P. Michaëlem Mora. Navarunt tamen, & reliqui Superiores operam in eo conſummando, & cum ruinam minaretur, ſolidando. Schola. Infirmaria.

Recedit à patentibus Ambitibus unus peranguſtus, in, & exteriori Sacriſtiæ innixus. Lectorum hic incolatus. Priores duæ Cellæ Conditorem habuiſſe videntur illum, quem & Conventus ad hodiernam formam reparatus. Poſterior cum contigua Bibliotheca (quæ præter reliquam ſupellectilem vaſtiſſimis novem Tomis S. Scripturam ſeptem linguis exaratam comprehendentibus, prius Varadinenſi Reſidentiæ donatis, illinc An. 1713. huc apportatis ornatur) Promotore P. Michaële Spányi An. 1730. extructa; à ſubſequis autem Superioribus neceſſariô apparatu inſtructa eſt. Porrò Cellæ, quæ Fratres vel degentes, vel Hoſpites excipiunt, quadraginta quinque ſunt; nullus in his ſplendor, in plerisque ruinæ metus. Sacræ Eleëmoſinæ conditoria, uti & Area ſunt minus ampla. Ambitus Lectorum, & Bibliothecæ.

N. 59. In Conventûs, ubi quadrum eſt, medio, Fons, lapidibus ſectis expoſitus, aquam propinat ſaluberrimam, quam ab An. 1718. canali ſubteraneo etiam Coquinæ adminiſtrabat, jam bajulos requirit. Hunc incingit Hortulus, per 4. areolas Buxô (videre eſt quasdam humilioris arboris æmulas) conſitus, florum, dum excolitur ferax. Alius Sanctuarii poſtremæ parti, & Refectorii feneſtris oppoſitus, paulò amplior Hortus eſt, qui pauca olera, & nonnullos fructus profert; animi causâ divertentibus umbram commodat; olim autem meditandi dabat materiam. Etenim Muri ejus intrinſecus ad antiquorum Statutorum præſcriptum, S. Evang. textibus; Myſteriis Vitæ S. P. Franciſci; N. Ordinis Sanctorum Imaginibus depicti fuêre; obliterata jam omnia, præterquam quod Sanctuarii extimæ partes, huc egreſſæ, plures ejusmodi Sacras figuras adhuc oſtendant, tecto videlicet à raſura defenſas. Fertur hic compoſitam fuiſſe pro Miſſæ Sacrificio Aram, gratiâ Fratrum, qui An. 1710. peſte infecti ſuum inibi habuêre Valetudinarium, nonnullis ad exteriorem Hortum ſe recipientibus. Eo annô mortui univerſim quatuordecim; horum ſeptem fuêre SS. Theol. Studioſi. Tumulum plerisque præbuit angulus ille, in quo Sanctuarium inter, & Horti cincturam Domuncula eſt, floribus reponendis extructa. Quidam humati in ſuburbano colliculo, qui Molendinum inter, & Hortum RR. PP. S. J. eminet. Fons Horti.

N. 60. Majorem habet Conventus Hortum extra Urbem prope viam Eperjeſienſem, qui pio ex Legato Perill. ac Gen. Domini Sigiſmundi Hollo Senioris, I. Cameræ Scepuſ. Conſiliarii, eidem obtigit. Poſſedit ante Illuſtriſſ. Georgius Bárſony Agr. Epiſcopus, utpote venditum à prælaudato D. Conſiliario; rediit tamen reemptione ad priſtinum Dominum, qui quoniam V. Capitulo Agrienſi non nihil pecuniæ debebat, idcirco Hortus à Capitulo apprehenſus eſt. Expunctô per Syndicum Apoſt. debito, ceſſit tandem Conventui An. 1699. Ne verò ejus amplitudo pauperi noſtro Inſtituto officeret, dimidium alieno juri traditum eſt.

N. 61. Floret hic Studium ab An. 1663. quô, eſtò Reſidentia eſſet, Philoſophia dictabatur. Speculativæ Theologiæ factum initium An. 1665. ejus tamen curſus interpolábat, quandoque Philoſophicô Studiô interjectô; nonnunquam ſilentiô. Legitur An. 1686. Specul. Theologiæ unicus Lector. An. autem 1693. & ſequente cum Theologicis, & Philoſophica tractabantur. Subinde, utpote An. 1711. Speculativo Studio Morale acceſſit, hujus Lectore P. Gerardô Pataki, ſuas in *parva* (ùt vocant) *Canapa* Prælectiones faciente. Studium hoc, Generale ſecundæ Claſſis nominatum eſt Romæ An. 1688. die 17. Junii. Authoritate Diffinitorii Generalis, reipſa verò illam Prærogativam accepit An. 1689. à Pro-

vincia taliter ipſum titulante. E Lectoribus unus annis aliquot Regulæ Declaratoris munere fungebatur. Ad gloriam ſtudii hujus facit quod inter Moderatores ejus legatur Ambroſius Flavii à Gyöngyöſino, qui, ut Salvatorianus, Theologiæ Romæ operam dedit, eămque ibidem an. 1691. defendit. Aſſervatur Theſis ejus, memoriæ gratiâ. Fuit & P. Vitus Huber Caſſoviæ Studens, & Docens, qui poſtea Regulæ expoſitionem typis edidit.

Nec interrupêre Curſum ſuum Tractatus Theologici ab an. 1689. præterquam an. 1704. quô deprehenduntur Teſtimoniales (*Paſſuales*) Literæ die 3. Jan. PP. Lectoribus, & Diſcipulis datæ ab Urbis Præfectis, quibus referunt ob injurias temporis rerúmque penuriam eos Caſſoviâ aliorſum migrare; ac ſequente annô revenerant. Cùm autem pro Conventu in vicinia corrogata Eleëmoſyna tenuis eſſet, Provincia an. 1688. Comitatum Szathmarienſem (nunc Szabolcſenſem peragrant) pro petendis vitæ mediis, & ſignanter fovendo ſtudio, attribuit Caſſovienſibus, quos etiam alii Partium inferiorum Conventus ſublevant, frumentô potiſſimum. Sunt defactò Fratres 44. Conventui incorporati.

§. III.

De Capella S. Antonii Paduani, à qua Conventui Titulus.

Capella S. Antonii. N. 62. CApella D. Antonio Pad. Sacra, Refectorium inter, & Eccleſiæ Sanctuarium poſita, *Capella mortuorum* (ob plura Sepulchreta quæ continet) nominata, & Calvariam in ſuperliminari Oſtii habens, iis temporibus, quibus Sanctuarii contermina fabrica, ſurrexit. Ab hac Conventui Titulus, eò quòd hic conſidentibus Salvatorianis, primò obvenerit pro facienda re Divina. Ibi Sacrificabant, Horas Canonicas ſubinde alternabant, Conciones item Germanicas dicebant ab an. 1650. uſque ad 1671. Agrienſibus Canonicis interea Sanctuarium Eccleſiæ frequentantibus; Eliſabethina quippe Baſilica ſuperſtitione hæreticorum profanabatur.

Ejus Aræ. Binas habet Aras: Unam, in Sanctuario honoribus Fugæ Chriſti in Ægyptum, dicatam. Ejus ſupremitas Statuam S. Antonii Pad. habet. Nomen Patroni ſuplet Aquila biceps, Signa Hungariæ pandens. Alteram, parte dextrâ Corporis, B. V. Mariæ, poſitam liberalitate C. Octavii Nigrelli; Annus in neutra ſignificatur. Fuit & tertiæ S. Crucis januam inter & Turrim, ſed an. 1755. Eccleſiæ Nadaſſienſi prope Miſle, tunc ruinis ſubductæ, donata. A parte ſiniſtra Sanctuarii Capellæ tenebroſam Cameram, Sacriſtiam hujus fuiſſe, non levis eſt opinio. Ab hujus portula lævorſum recedit pervetus Cathedra, quam Emericus Moſdoſi S. C. R. M. Conſiliarius erectam voluit ante an. 1658. ipso enim annô Patronum hic tumulatum fuiſſe teſtantur ejus gentilitia Signa parieti appenſa. Exinde dicebant Noſtri pro Concione Germanica, dum alienis cederet Eccleſiæ Sanctuarium; pro Hungarica verò, ubi DD. Canonici erant, dixiſſe veroſimillimum eſt. Hodie tam hæc Cathedrula, quâm Altare Salvatoris in Ægyptum fugientis Tertio Ordini, dum menſtruos Religioſos Cultûs peragit, famulatur.

Cryptæ. Plura hic Nobiliorum Familiarum Sepulchreta, ad quæ acceſſus, diverſo tegularum ſitu internoſcendus. Funeratorum Inſignia affabrè ſculpta novem hinc, & illinc viſuntur duobus cum Vexillis; cætera, ne opacitatem faciant, ſublata. Reliquis illuſtrius eſt C. Octavii Nigrelli, partium R. H. Superiorum Generalis Commendantii, unà & Conſortis, cum tribus prolibus, ære fuſum. Quieſcunt magnæ horum exuviæ juxta Aram, à ſe erectam. Plurimorum quoque Fratrum hic contecta Cadavera reſurrectionem præſtolantur.

Memorantur Cadavera incorrupta. N. 63. Conſtans benè multorum aſſertio hactenus ferebat, condita hic eſſe Corpora à corruptione immunia; quia tamen mihi, ad ea inviſenda acceſſum parare, integrum non fuit, eapropter, ut ſciendi avidis. fide dignum quid offeram, ſubjungo, quod ſcriptô A. R. P. Joſephi Bede Provinciæ Patris bis Emeriti,

riti, vivi adhuc, & locupletis Teſtis accepi. Dum an. 1706. (fuit Is tunc Theologiæ Auditor Caſſoviæ) mundarentur Capellæ Cryptæ, in ea, quæ infra Lavatorium Refectorii pertingit, ventum eſt ad duo Cadavera: Unum quidem P. Chryſoſtomi Habok patriâ Solymoſienſis, quondam Caſſoviæ SS. Theol. Lectoris, ex humanis an. 1682. die 20. Martii ſublati, hujus Vultus cum reliquis membris pulchrè diſcerni poterat. Alterum æquè corruptionis expers, Virginis alicujus, ùt ex ſignis conjici poterat. Amictus Corporis in pulverem abiit, præter geminas partes rubræ ſericeæ ligaturæ, manibus circumvolutæ; inventæ pariter quædam crepidarum reſiduitates. Repurgatum à pulveribus Cadaver, ſericeiſque velis intectum, tumbæ alteri, eodem in fornice mandatum eſt. Vertente annô, dum alius quipiam iſthuc ferretur ſepeliendus, reviſa eſt tumba prior, at omnino vacua inventa, ut ne cinerem quidem fuerit videre. Emundatione continuatâ occurrit (qua in Crypta, ignoro) Tumba, cui commiſſum Cadaver, cinis erat, ſalvâ ſolâ dexterâ. Ferebatur fuiſſe ſpectatiſſimi Viri Alexandri Vaſs Filia, pientiſſima, ac in pauperes profuſiſſima; integritas proin dexteræ attributa eſt liberalitati. Scribit Vir ille integerrimus, repertum fuiſſe initiô hujus Sæculi P. Jacobum Brauue natione Hybernum, Caſſoviæ SS. Theol. Lectorem Jubilatum an. 1680. die 11. Nov. defunctum, æquè incorruptum; at locus Tumuli memoriæ non patet.

Teſtatur item R. P. Franciſcus Wrancſics Prov. Diffinitor Hab. qui in Conventu hocce agebat Clericum an. 1720. & ſeq. deinceps Lectorem, & Guardianum; quòd nimirum ſui incolatûs tempore, in Divinyiana Crypta Cathedram versùs, viſum ſit integritate donatum Corpus Virginis, ùt ſertum, & diſcriminati capilli argumento fuêre, cujus Sepulchrum primò attactu concidit; proinde P. Benedictus Debrödi Guard. aliud ſuffecit. Ad cornu item Evangelii Altaris Fugæ in Ægyptum, Corpus cujusdam è RR. Patribus S. J. peſtiferorum obſequiis, cum noſtris Patribus dediti, & compoſitam ex aſſeribus inferiore in ambitu domunculam unà incolentis, qui tandem fatis concedens, ibi ſepultus eſt, annô, ùt conjici poteſt, 1710. Hic pedes lumborum tenus integros exhibuit contuentibus circa an. 1730. Addidit ſua in Epiſtola prælaudatus Pater, ab Adm. RR. Patribus S. J. repetitas fuiſſe has exuvias, denegatas verò à Conventûs Primoribus. Quid horum modò ſit in dictis Receſſibus perhibere non valeo. Novi an. 1754. altè effoſsâ humô ſub Arcu Turris (ubi ſuſpicio erat) quæſita eſſe aliqua corruptionis expertia Corpora; at ne locum quidem Tumuli inventum, neque ultra eſſe itum. In hoc demum Sacello, vitâ functa Princeps Sophia Báthori, Munkacſinô allata 1681. depoſita quievit à 1. Martii, priuſquam in Eccleſia Patrum S. J. à ſe condita, die 16. ejusdem tumularetur.

§. IV.

De Eccleſia B. V. MARIÆ in Cœlos Aſſumptæ.

N. 64. CONventui adjacet Eccleſia, cujus Sanctuarium vetuſtatem loquitur intuenti. Hæc à Familia Perényiana, cujus magna quondam ad Caſſoviam erat tum poſſeſſio, tum dignitas, condita eſt an. 1450. quô & Conventus; dicata Honoribus in Cœlos aſſumptæ Deiparæ. Patent in Sanctuario Cruces Conſecrationis indices, latet tamen, conſecrantis nomen. Fornix Sanctuarii ternatô ſaxô diſtinguitur. A cancellis dextorſum geminâ portâ itur ad Sacriſtiam opere ſimili, eodémque tempore fornitam: hæc *exterior* dicitur cum habeat ponè *interiorem* magis ſpatioſam ædificatam an. 1706. ex lapidibus disjectæ *Citadellæ*, ſeu Caſtri quod ad Auſtrialem Urbis portam an. 1671. Leopoldus I. erexit: pro Urbis monumento, ſed è contra ruinam attulit ſub Tökolio. Quare à factioſis dirui cœptum, Carolus VI. an. 1713. funditus radi mandavit. Sacriſtia à Sanctuario divellitur Pergulâ; inde præcipites gradus ad ſuperiores ambitus, acceſſus

Eccleſia.

Sacriſtia duplex.

item patet ad limacem, quô ad Tectum aſcenditur, & Turrim. A foris ſectô ùt plurimum lapide paratæ Columnæ muniunt Sanctuarium, in cujus limitibus præaltus graduum inſtar proſtat murus; veroſimile eſt, quod olim latiori Corpori Eccleſiæ, ſublimioríque Architecturæ fuerit proportionatus.

Sanctuarium à Canonicis poſſidetur.

N. 65. Poſteaquam in hac Sacra Æde ſucceſſit vaſtitas, & deſolatio, Eccleſiæ tectô negligentiùs habitô, fornix ruinam ſubiit, qui tamen in Sanctuario colapſus non eſt, ſortè meliori tecto ab aëris injuriis illum defenſante, ut ſupereſſet Sacer locus Catholicis. Agrienſium Canonicorum Collegium Jaſzovia Caſſoviam transmigrans an. 1650. Sanctuarium hoc ad vacandum Divinis Officiis accepit. Excitavit Aram Majorem Benedictus Kisdi Agr. Epiſc. an. 1657. Cathedram item, ùt ejus Inſignia deprædicant. Hæc modò in Corpore Eccleſiæ elevata, & an. 1724. coloribus imbuta, prius in Sanctuario conſiſtebat ea parte, quam hodie Ara S. Joannis Evang. occupat; conſcendi poterat illâ, quæ gradi-

Organum.

bus Sacriſtiæ obverſa cernitur porta. Magnum illud Organum, quò nunc Chorus vocalis eſt, obtulit Ferdinandus III. Imp. dum adhuc Agrienſes Sacerdotes hic agerent. Inſiſtebat prius ligneo Choro, ibi erecto, ubi Navis à Sanctuario recedere incipit. Locus Follium erat fornix, qui modicâ portâ penes Turrim oſtenditur ad Sacriſtiam deſcenſuris. Memorant Documenta Conventûs Cathedram, minorémque Aram à pio Imperatore donatam, ſed hodie neutra apparet.

Ingreſſus ad Sanctuarium patebat Fidelibus Januâ illâ, quæ Auſtrum reſpicit; poſtquam autem reparatio Eccleſiæ alias aperuiſſet Valvas, præſtructa eſt

Turris. Horologium.

parvô funebralium apparatuum Conſervatoriô, prius Oſſuariô. Turris Sanctuario contigua, ſed & coæva, à prælaudato Principe duabus Majoribus Campanis an. 1650. fuſis donata, novam Architecturam cum Globo, & Cruce accepit an. 1724. Horologium hic applicatum, ternis in locis malleô tempus indicat; ſed & in propingua Cella Fratrum Excitatorem monet; in hoc deforme quod pictum indicem non in facie Turris, ſed in Conventûs tantum Ambitu (quondam & in Refectorio) præſeferat.

Sanctuariũ nobis obtingit.

N. 66. Ad Mandatum Cæſaris reſtitutâ Catholicis Baſilicâ Eliſabethinâ annô 1671. quam ante Lutherani obtinebant, ad eam tranſivêre Canonici, nobis traditô Sanctuariô, in quo ſumus, cum Altaribus, Cathedrâ, Campanis, Organô majore. Ceſſit hæc Franciſcanis, ùt legitur in Archivo Domûs, priùs quidem Franciſcus Leonardus Szegedi Agr. Præſul; repetentibus verò DD. Canonicis, Leopoldus I. ſupplicante P. Ambroſio Podiebradski M. Provinciali, Literis Protectionalibus an. 1672. die 18. Jan. Viennæ exaratis, & ad V. Capitulum directis, in prærecenſitorum manutentione Patres Conventûs ſtabilivit.

Ex Corpore Eccleſiæ Armamentarium.

Obtentô jam Sanctuariô, adjectum eſt nobis & Corpus Eccleſiæ, quod proſtantibus lateralibus muris, utcunque contectis in Armamentarium converſum eſt, temporibus (quod fertur) Gabrielis Bethlen, perduellis Tranſylvaniæ Principis, Caſſoviam uſque, an. 1619. penetrantis. Hìc, prout accepi à Viro fide digno, reliquas inter munitiones bellicas, repoſitus fuit Currus ille Triumphalis Bethlenii, inſtructus rotis, ſolâ arte mobilibus, quô Caſſoviam (fortè dum an. 1621. Veteroſoliô Hungariæ Coronam apportaret) ingreſſus eſt. Oſtenduntur in moderno Armamentario rotæ illiùs, quem putavêre non pauci Vehiculum fuiſſe quondam Magi, nomine Jacobi. Tempus, quo bellica ſupellex hinc aliorſum translata eſt, judico fuiſſe anni 1668. diem 15. Octobr. nam hoc (ùt ex Archivo Incl. Cameræ Scepuſ. extraxi) poſt iterata Aulæ mandata, moram in transferendo Armamentario, facientibus Præfectis, ipſi Patres Conventum ab eo immunem reddiderunt, quidni & Eccleſiæ Navem?

Reſtauratur Navis cum Frontiſpicio.

N. 67. Absque Sacris manſit hæc Pars uſque ad an. 1718. demptô, quod à devotis coleretur Lauretana Capella, quam ferè in medio Navis Eccleſiæ an. 1692. erexit Ladislaus L. B. de Szent-Iványi. Imploratâ demum Piorum munificentiâ, collapſam reſtaurare perrexit an. 1718. P. Benedictus Debrödi; extimis

mis muris quidem ſuperædificando, non tamen ad primævam altitudinem, cùm baſes infirmatæ eſſent: intermedios autem Muros, qui 6. Capellas è lateribus diſtinguunt, & fornicem ſuſtinent, ſuper vetuſta (quod celebratus cum Ædilibus contractus exprimit) fundamenta poſitos, à terra altiùs, quàm extimos, levando. Fornicem extruere cœpit an. 1720. P. Fortunatus Föczen. Cæmenta ædificio huic ſuppeditabant Citadellæ ruinæ.

Frontiſpicium ſuis Ampl. Magiſtratus Caſſovien. ùt plurimum impendiis evexit, cujus Inſignia proſtant infernè, ſupernè verò Aſſumptæ Virginis Icon, circa quam tale Chronoſticon: *ConſpICIte progreDitVr qVasI aVrora MarIa.* Dum hic laborarent Ædiles, indicante malleô præſtructum (hæreticâ proculdubio manu) invenêre Crucifixum, ad Veterem Ideam ſculptum, qui avulsô cæmentô relictus, eô, quô repertus locô, & hodie viſitur. Infra hoc Simulacrum, erat princeps Eccleſiæ Porta; jam duæ ad latera, ejus locô, apertæ ſunt.

N. 68. Lauretanum Sacellum (priore ſolô æquatô) Cryptam quoque ſubtus illud inchoavit P. Gerardus Pataki an. 1721 Sunt perfecta annô ſequente. Chorus Sacello incumbens, & Laudibus Divinis reſonans, ſurrexit an. 1723. ſatagente P. Michaële Mora. Inſignitur Eccleſia hæc Aris 9. ſi Lauretum demas, & Sanctuarium adnumeres. Maxima eſt B. Virgini Aſſumptæ inſcripta, de qua ſupra. A dextris in Sanctuario, una eſt Honori S. Joannis Evangeliſtæ; in Navis autem I. Capella S. P. Franciſci; in II. S. Joannis Nepom. in III. S. Crucis (hæc perpetuum à Bened. XIV. accepit an. 1748. Privilegium) dedicata. Ad lævam in Sanctuario Ara una eſt B. Virginis. Icon ejus hic poſita, refertur domô quadam Sæculari, ubi ipſa colebatur, flammis abſumptâ, citra nævum perſtitiſſe. Allata ad Eccleſiam, applicata eſt Columnæ juxta Cathedram, demum an. 1750. hacce in Ara ſublimata. Nullum tamen aſſertioni reſpondet documentum. In I. dein Navis Capella habetur Ara S. Antonii Paduan. Hujus videtur eſſe in Libris Conventûs mentio jam an. 1678. In II. B. Virginis ſine labe Conceptæ; in III. S. Annæ Venerationi ſacrata. Exornatur etiam Stationibus Dolorosæ Crucis Viæ, Devotorum ſuccurſu erectis; ad quas ab an. 1752. die 20. Febr. frequentatur Devotio ſingulis novæ Lunæ Dominicis, à Veſperis in Choro dictis; in ea Hungaricus præorat Director. Inſtituta hic etiam Confraternitas Chordigerorum S. P. Franciſci an. 1674. die 13. Apr. indulgente, & conſentiente Illuſtr. ac Reverendiſſ. D. Franciſco Leonardo Szegedi Epiſc. Agr. Floret item Tertius Ordo Pœnitentium S. Franciſci ab an. 1751. die 21. Febr. cui, ùt maximè, ſe addixit Natio Germanica.

Lauret. Capella. Chorus. Ara.

Via Crucis, Confraternitates.

N. 69. Majores Cryptæ numerantur tres. Una ante Aram majorem pro honoratioribus funeribus. Communis, ùt accepi à Viro Religioſo, fuit circa an. 1720. aſſertio, hac in Crypta trina eſſe Corpora absque corruptione, utpote cujusdam D. Canonici Agrienſis Anonymi; Michaëlis item Horvath, & Ambroſii Flavi SS. Theologiæ Lectorum, quos inter, utpote ſibi in vivis addictiſſimos, poni voluit poſt fata medius, prædictus D. Canonicus. Ut veritas experimento deprehenderetur an. 1759. die 22. Jan. Fornicem hunc ſubiêre plures PP. & FF. indulgente Superiore, & perſpectis tumulatorum, quantum licuit, Reliquiis, quæ veteriores erant, corruptas omnes animadverterunt. Neque putandum, ſtante rei notitia, tam honorabiles Theſauros Tumbarum fragminibus ſuprimi potuiſſe. Altera eſt in medio Navis an. 1723. communioribus ſepulturis parata. Tertia Lauretana, ubi nunc potiſſimum Fratres (quorum nonnulli in aliis etiam Cryptis condebantur) ſepelire moris eſt. Aliæ minores diverſis in partibus latent.

Cryptæ.

Licet ſuſpicari hac in Eccleſia ſepulturam accepiſſe quoſpiam præter antedictum, DD. Canonicos, nec non Epiſcopos, dum eam Ipſi obtinerent; ſed conſtat nihil. Tres autem, quod ſcio, magè Illuſtres Viri hîc ſuô contecti ſunt Tumulô. Ad Aram S. Joannis Nep. Excell. D. Joſephus L.B. de Renaud. General. Campi Mareſch. Locumt. Caſſovienſis Commendans, an. 1736. Ad Aram Im-

maculatæ Virginis Excell. D. Joannes Godefridus Sterndhal Gener. ac Commendans Præsidii Cassov. a. 1740. Ad januam Ecclesiæ, ubi lustralis est aqua (quemadmodum vivens delegit, ut mortuus ingredientium pedibus tereretur) Spect. D. Ferdinandus à Flachenfeld, Postarum per Hungariam Superiorem Magister Supremus an. 1758. die 20. April.

§. V.

Adjiciuntur Notabilia de hoc Conventu.

N. 70. CONventus hic spectatâ antiquioritatis Serie, plurimos sequitur, alio tamen Titulo quintus est. De ipso ità V. Diffinitorium an. 1694. Gyöngyössini convocatum: *Placuit V. Diffinitorio, ut Conventus Cassovienſis, tanquam in Civitate Metropolitana, Superioris Hungariæ ſituatus, poſt Conventum Szakolczenſem, præcedentiam ſuper alios Conventus habeat.* Modo Hradistiensi succedit. Habet verò notatu digniora sequentia:

Parochos agunt Nostri.

I. Legitur in Documentis ad an. 1677. tres hujus Domûs Patres, ob paucitatem Sacerdotum Ecclesiasticorum, fuisse Parochos, nimirum P. Antonium Szúnyogi in Regécz; P. Augustinum Patai in Ecsed; P. Michaëlem Procelli in Oppido Kalló. Hujus literæ, quibus ab Illustriss. Agr. Episcopo Georgio Bársony, Cassoviæ an. 1677. die 25. Junii datis Parochus institutus est, hodie adhuc asservantur. Providebat Sacris locum quoque Boldogkö pluribus annis, Capellanus ex nostris destinatus.

Exturbantur, sed mox redeunt.

II. Fratres Conventûs an. 1683. à Rebellibus Tökölianis, non solùm Conventu, sed & Urbe excedere magno cum opprobrio sunt coacti. Qua ejectione non obstante, P. Joannes Nagy Conventûs Guardianus, non diu post, sibi à Præsidii Commendante demeruit facultatem remigrandi; ipsum clàm subsecuti sunt alii Fratres. Et siquidem RR. Patres S. J. quoque exularent; Basilica pariter Elisabethina ab Helveticæ Confessioni addictis, conferente Tököliô, jam tertiùm apprehensa, possideretur; neque aliud Catholicis pateret Templum, illi ad nostrum conveniebant, prius quidem clanculùm, mox publicè vacando Officiis Divinis. Sed & DD. Canonici huc se se recepêre Religiosum Dei Cultum præstituri. Hac rerum vicissitudine, Patres nostri iterùm in Capella D. Antonii exercebant Divina. Tunc & trinæ in Ecclesia nostra Dominicis, Festísque diebus Conciones accepêre exordium; cùm enim in Urbe nullibi salutare Dei Verbum annuntiaretur, illud Patres ex Ambone inceperunt prædicare trinô Idiomate, pro Nationum diversitate; mane quidem Hungarico, & Germanico: à prandiis Slavico. Quod hodiedum continuant. Ita refert *Liber Aureus*, Insigne Provinciæ Instrumentum. Suppressâ an. 1686. rebellium vi, pristinam Basilicæ possessionem adivere Canonici annô seq. die 2. Jan. Nos itidem transmigravimus in Sanctuarium Marianæ Ecclesiæ. Fuit in hac Silentium an. 1752. à die 22. Aug. usque ad 3tiam Octobr. dum nempe sub Interdicto Episcopali lugeret; cujus quidem causas referre, ne amaritudo sit amarior: non libet.

Triplici lingua concionari incipiunt.

Ursulinarum Confessarii.

III. Cassoviæ Deo dicatis Virginibus Ursulinis, à Confessionibus, Spiritualibus obsequiis fuêre Patres hujus Cœnobii jam ab ineunte hoc Sæculo, ad exitum usque an. 1733. tunc se sponte abdicarunt hoc munere. Plura hac de re Tabularium Conventûs.

Pretiosum ligneum Orbem nanciscuntur.

IV. Accidit an. 1709. die 20. Dec. relatu non injucunda æmulatio inter Spect. D. Alexandrum Ketzer, & Gen. Dom. Dominicum Caprányi Prov. nostræ Confratrem. Nostri inchoando Templi ædificio provisuri, Patronorum liberalem manum implorabant; dat Dominicus in promissis 10000. tegularum. Alexander visô exemplô spondet se numeraturum tot aureos, quot adæquarent pondus lignei Orbis à Dominico (fortè ex obviis) seligendi, & Alexandri Sigillô muniendi; fit res, & ad tertium Orbis librandus destinatur. Comperto quòd 135. aureorum pondus ei inesset, promissa actutùm solvit. *Rarus, huic ſimilis, nunc Orbis in Orbe paratur.*

V.

V. An. 1743. die 4. Junii Fer. III. Pent. terruit hujus Conventûs Fratres, in Refectorio prandentes, Fulmen è turbato Cœlo lapsum; Turrim enim petiit, & viam ductu fili ferrei (quod etiam contorsit) malleum Horologii in Refect. attollentis metiendo, incidit in Refect. Lavatorium, excitatâ tum flammâ, tum fragore tormentarium imitante; abrasis item binis muri particulis; prostratis deniq; tum assere, quo manutergium pendebat, tum armario, portæ vicino; neque plus nocuit. Evasit autem portulâ patente, quâ Cibus infertur è Coquina, ubi & flammulas lixis objecit; demum per Coquinæ januam erumpens, Ambitum invisit, qui ad Janitoris Cellam vergit; ubi aliquantum scintillans, puerô prope examini spectante, tandem disparuit. Ut grates pro indemnitate Numini referret Superior, die posterô solemne (aliis Patribus haud impeditis privatum offerentibus) peregit ad Aram Sacrificium. Fulmine terrentur.

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM.

Ingressûs tempore:

1650. P. Ladislaus Saári. Præsid.
cui in Capit. Szakolczensi die 13. Aug. celebrato successit
Eodem. P. Chrysostomus Gyöngyösi.
1651. P. Ladislaus Saári.
1656. P. Michaël Bagi.
1657. P. Valerianus à S. Cruce.
1659. P. Chrysostomus Gyöngyösi.
1661. P. Franciscus Joan. Szegedi.
1663. R. P. Franciscus Szegedi.
1665. P. Franc. Joan. Szegedi Guard.
1667. P. Athanasius Erdös.
1668. P. Chrysostomus Gyöngyösi.
1669. P. Ambrosius Ivankovics.
1672. P. Casparus Jászberenyi.
1673. R. P. Franciscus Szegedi.
1674. P. Ambrosius Ivankovics.
1677. P. Casparus Jászberényi.
1678. P. Gerardus Kecskemeti.
1680. P. Bernardinus Somodi.
1681. P. Gregorius Gyöngyosi.
1682. P. Joannes Nagy.
1684. P. Gregorius Fodor.
1685. P. Joannes Petö.
1687. P. Andreas Phülöp.
1688. P. Bernardinus Somodi.
1690. P. Athanasius Mora.
1691. P. Joannes Petö.
1692. P. Andreas Palásti.
1693. P. Cornelius Sellei.
1695. P. Georgius Sera.
1696. P. Josephus Biró.
1697. P. Josephus Fodor.
1698. P. Michaël Horváth.
1699. P. Georgius Sera.
1701. P. Petrus Roll.
1702. P. Remigius Nyájas.
1703. P. Bernardinus Bárkányi.
Post hujus mortem (quæ 22. Apr. accidit,) successit
1706. P. Bonaventura Csetö.
quâ Præsidens usq; ad seq. annum.
1708. P. Petrus Roll.
1711. P. Alexius Borics.
1712. P. Petrus Roll.
1713. P. Alexius Borics.
1714. P. Franciscus Kóós.
1715. P. Fortunatus Föczén.
1717. P. Benedictus Debrödi.
1720. P. Fortunatus Föczén.
1721. P. Gerardus Pataki.
1722. P. Michaël Móra.
1724. P. Michaël Ferenczfi.
1725. P. Franciscus Kóós.
1726. P. Joannes Kutasi.
1727. P. Gerardus Pataki.
Cui, in Custodem, intermedio tempore, electo successit
Eodem. P. Andreas Farkas.
1728. P. Adamus Kropff.
1729. P. Michaël Móra.
1730. P. Michaël Spányi.
1731. P. Joannes Kutasi.
1732. P. Franciscus Vrancsics.
1734. P. Daniel Hárai.
1735. P. Stephanus Novák.
1736. P. Gregorius Gulyás.
1738. P. Adalbertus Kalcsó.
1739. P. Gregorius Gulyás.
1742. P. Adalbertus Kalcsó.
1744. P. Stephanus Fisser.
1745. P. Dionysius Györi.
1746. P. Gregorius Gulyás.
1748. P. Bernardinus Gyurcsányi.
1750. P. Gabriel Bódi.
1753. P. Vincentius Büki.
1755. P. Paulus Soós.
1757. P. Matthæus Budiács.
1758. Idem.

VI. CONVENTUS GALGOCZIENSIS AD OMNES SANCTOS.

§. I.

De Oppido Galgocz, Conventûs Origine, Viciſſitudine, & Reſtauratione.

Brevis deſcriptio Oppidi Galgocz.

N. 71. OPpidi Galgocz, in Comitatu Nitrienſi, ad ripam fluminis Vagi ſiti, originem plerique deducunt, ad unum è Ducibus Hunnorum, ſecundo Pannoniam ingreſſorum, Lehelem nomine, quem hoc loco Sedem ſuam fixiſſe putant, probántque ex Coloſſo in foro Oppidi eminente, qui præfato Duci in tumulum olim à ſuis excitatus fuiſſe fertur. Quid quid in rei veritate ſit; Eſt Oppidum pervetuſtum, populorum frequentiâ, arte coquendi panis, mercatûs celebritate pleriſque notum. Præter Templum Parochiale, habet & alterum, cum Cœnobio Sodalium D. Franciſci Strict. Obſerv. de quo mox plura. Arce quoque non contemnendi operis, Meridiem versùs in rupe Vago imminente ſita ornatur, olim quidem ab aliis Dominis, actu verò ab Excell. D. Comite Georgio Erdödiô, unà cum Oppido poſſeſſa.

P. Samuel Timon è S. J. dicit Cõventũ fuiſſe extructum à Nicolao Ujlak.

N. 72. In hoc Oppido ſic brevibus deſcripto (nam qui plura ſcire de eo cupit Topographos Regni Hung. conſulat) ad partem Septentrionalem viſitur Conventus noſter, Honori Omnium Sanctorum unà cum Eccleſia Dicatus. De cujus quidem Origine P. Samuel Timon è Soc. J. in ſua *Epitome Chronologica Rerum Hung.* ad annum 1464. hæc habet: *Nicolaus de Ujlak Comes de Cheli-Csák licentiam à Pontifice Max.* (erat tunc Paulus II.) *obtinet ædificandi Cœnobium Familiæ Franciſcanæ Galgoczii, à quo Oppido denominatûs eſt Friſtacius, & Friſtacki.* Id ipſum in *Topographia Regni Hung. lib. 4. cap. 2. §. 8.* à quodam Soc. J. Sacerdote conſcripta legitur, excepto quod, licentia illa à Paulo II. Nicolao Ujlak data referatur ad annum 1645.

Alia relatio de Conventu fundato.

Nihilominus in antiquis hujus Conventûs Manu-ſcriptis reperitur, Conventum hunc annô 1492. à quodam Ducè Laurentio dicto, in honorem OO. Sanctorum fuiſſe fundatum. Hoc ipſûm probant Originales Litteræ, Illuſtriſſ. Comitis Adami Forgách, in favorem hujus Conventûs annô Dom. 1648. emanatæ, & in Archivo Provinciæ conſervatæ. Quæ ſiquidem Conventûs iſtius originem, exuſtionem, deſolationem, iteratam reparationem, ſatis clarè demonſtrent, meritò easdem hic de verbo ad verbum inſerendas exiſtimavi. Sunt autem Tenoris ſequentis:

Litteræ C. Adami Forgách pro hoc Conventu.

N. 73. *Nos Comes Adamus Forgách, perpetuus de Ghymes, Supremus Comes Comitatûs Neogradienſis; Pincernarum Regalium per Hungariam Magiſter, Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis Conſiliarius, Camerarius, nec non Confiniorum Antemontanorum, & Præſidii Ujvarienſis Supremus Generalis Capitaneus &c. Univerſis, & Singulis quibus expedit, præſentibus pariter, & futuris, præſentium notitiam habituris, ſalutem in omnium Salvatore. Cum iis, quæ noſtris geruntur temporibus, vetuſtatis filia plerumque novercari ſoleat oblivio, ſalubriter agitur, ut ea litterarum exaratione commendata, teſtimonióque, & authoritate eorum, quorum intereſt confirmata, futurorum in memoriam evidentius eluceſcant.*

Conventus hic à Duce Laurentio annô 1492. fundatus.

Noverit igitur præſens ætas, & ſciat ſecutura poſteritas, quod poſteaquàm Clauſtrum, ſive Monaſterium Galgoczienſe Patrum Ord. S. Franciſci Strict. Obſerv. Prov. Hung. Sanctiſſimi Salvatoris, circa annum Dom. 1492. à quodam Laurentio Duce, in honorem OO. Sanctorum, fundatum, & erectum, abindéque Dominio Galgoczienſi, per diverſas manus, & tempora in Baronem quondam ab Ugnod deveniente, intereáque temporis, Luthera-

theranæ ſciſſionis labe, Hungariam ferè univerſam inficiente, & premente, ab eodem Barone Ugnod, ſine dubio, odiô, & contemptu Orthodoxæ fidei Catholicæ, circa annum 1567. in cineres redactum, & uſque ad tempora Sanctiſſimi Patris quondam D. D. Clementis VIII. Pontificis Max. ac Sacratiſſimi quondam Principis, & D. D. Rudolphi II. Rom. Imperatoris, & Regis Hung. felicium recordationum, ad annum videlicet 1603. in ruina & deſolatione conſtitutum fuiſſet, eodem verò ipsô annô, à Fratribus dicti Ordinis reaſſumptum extitiſſet, & cultum, uſque dum annô immediatè ſubſequenti, Tranſylvaniæ Principe, quondam Stephano Bocskai, ingenti cum Exercitu è Tranſylvania erumpente, & uno quaſi tumultuantium hominum diluvio, Hungariam ferè Univerſam inundante, & perturbante, iisdémque Patribus Franciſcanis, ex dicto Monaſterio ejectis, & excluſis, Monaſterium ipſum manſerat deſolatum, uſque ad annum 1630. quo quidem temporum ſucceſſu, turbulentis illis bellorum, tum dicti quondam Bocskai, tum etiam expoſt, quondam Gabrielis Bethlen, Tranſylvaniæ Principum, incendiis, Domino DEO ejusmodi injuſtas eruptiones, & hoſtilitates eorundem Principum, ſimul, & injuriam Regni ex alto proſpiciente, & indignè ferente, nobísque propitio, in Hungaria ſopitis, & ſedatis, & quondam Domino Comite Adamo Thurzo, tunc Domino Terreſtri, & Hæreditario Arcis, & Bonorum Galgoczienſium recenter ex lutherana hæreſi in orthodoxam fidem Catholicam converſo, & reſipiſcente, reſtitutionémque dicti Monaſterii Patribus dicti Ordinis urgente, mox eodem ipsô annô, Sacratiſſimus quondam Princeps, & D. D. Ferdin. II. Rom. Imp. & Rex Hung. Perſonalis præſentiæ, tunc in judiciis Locumtenenti, & Conſiliario ſuo, quondam Caſparo Terſztyanſzki, per ſpeciale mandatum, clementer, & ſeriò demandaverat, quatenùs primùm diligenter inveſtigaret, an prædictum Monaſterium, ante diſturbia Bethleniana à præfatis Monachis poſſeſſum, & per ea ipſa diſturbia ademptum extiterit? Et ſi rem ita ſe ſe habere compererit, nullis exceptionibus, aut dilationibus admiſſis, juxta continentiam Articulorum ſuperinde editorum, ſtatim, & defactò eisdem Patribus conſignabit, prouti rebus inveſtigatis, & ita repertis, conſignatum etiam, reſtitutúmque erat eô factô.

Exuritur à Barone Ugnod & deſolatur.

An. 1603. per noſtros reaſſumitur.

Sed iterum relinquitur.

Ferdinand. Imp. mandat locum in Galgocz olim poſſeſſum nobis reſtitui.

Et q[illegible]a idem Monaſterium, inter tot, ut ſuprà dictum eſt diſturbiorum, bellorúmque inteſtinorum tempeſtates, & mutationes agitatum, adeò dirutum, deſolatúmque extiterat, & exceptô Templô, & quadam domo vix aliquod ibidem ædificium fuerit repertum, ideóque tandem in anno 1637. Illuſtriſſ. quondam Domina Comitiſſa Catharina Pálffi ab Erdeöd, Illuſtriſſ. quondam Comitis Sigiſmundi Forgách de dicta Ghymes, aliàs Palatini Regni Hung. & Genitoris Noſtri colendiſſimi beatæ mem. relicta Vidua, Domina videlicet, & Genitrix Noſtra colendiſſima, ex zeloſo, & ſingulari affectu Catholicæ Religionis, & dicti Ordinis, cultúque & reverentia OO. Sanctorum, Eccleſiæ ejusdem Patronorum, mota, & inducta, idem Monaſterium Galgoczienſe, denuò à fundamentis, propriis ſuis ſumptibus, celebriter erigi, & cum laude unam partem reædificari, perficique curavit, perfeciſſétque & reliquam partem, niſi eam Divina voluntas, cui humana fragilitas nequit obviare; ejusmodi intentionis, & voti ſui compotem fore permiſiſſet: Eadem itaque quondam Domina, & Genitrice Noſtra viam univerſæ carnis ingrediente, & ſæpè nominato Monaſterio in cœpto opere per mortem relinquente, dictáque Arce, & Bonis Galgoczienſibus, medio tempore per caducitatem, ſeu defectum ſeminis, quondam DD. Thurzonianorum in Sacram Regni Hung. Coronam, collationémque Regiam condeſcenſis ac devolutis, & per Sacratiſſimum Principem, & D. D. Noſtrum Clementiſſimum Ferdinandum III. DEI Gratiâ Rom. Imperatorem, & Regem Hung. partim pro fidelibus Servitiis Noſtris, partim pro gravi pecuniarum ſumma à Nobis levata, Nobis, Noſtrísque Hæredibus, & Poſteritatibus jure perennali collatis, & per manus aſſignatis, defactoque per Dei gratiam à Nobis poſſeſſis, Nos, qui nihil magis cordi habemus, quàm promotioni, & augmento fidei Catholicæ, pro poſſibilitate noſtra cooperari, & utiliter inſervire, volentes zeloſam hanc prælibatæ quondam Dominæ, & Genitricis Noſtræ intentionem exequi, incœptóque operi coronidem imponere, adjutricem eidem manum adhibuimus, fabricámque, & ædificium ejusdem Monaſterii pro noſtro poſſe, & qualitate temporum, propriis ſumptibus noſtris

Catharina Pálffi Conventum extruere incipit. Sed morte præventa conſummare nõ potuit.

C. Adamo Forgách filius Catharinæ Pálffi ædificium Conventûs continuat, & tandem perficit.

ſtris continuantes, jam tandem Deo volente, & adjutore (cui ſint laudes in æternum) etiam perfecimus.

Nos itaque ante omnia verum Dei cultum, promotionémque, & augmentum Religionis Noſtræ Catholicæ præ oculis habentes, ac etiam ex ſingulari affectu, & propenſione, qua erga dictos Patres Franciſcanos ducimur, ad id moti, & inducti, idem Monaſterium, ſeu Clauſtrum Galgoczienſe, una cum Horto eidem adhærenti, & Domo in Suburbio Oppidi noſtri veteris Galgocz extructa, & ad idem Monaſterium poſſeſſis, & pertinentibus, omnino in Comitatu Nitrienſi exiſtentibus habitis, eidem Ordini, Provinciæ Hung. SS. Salvatoris authoritate noſtra, quâ uti D. Terreſtris, Comésque perpetuus in dicto Dominio Galgoczienſi, pleno jure fungimur, relinquendum, dandúmque, & conferendum duximus, confirmantes eosdem Patres Franciſcanos, tam modernos, quàm futuros, in priori antiquo, quietóque uſu, & pacifica poſſeſſione ejusdem Clauſtri, & dictarum Attinentiarum in perpetuum. Imò relinquimus, damus, conferimus, & confirmamus, modô ſuprà notatô, harum noſtrarum vigore, & teſtimonio Litterarum mediante. Datum in dicta Arce noſtra Galgocz die 3. Maji, Annô Domini 1648.

(L.S.) Comes Adamus Forgách m. p.

Hæ quidem Litteræ, clarè aſſerunt Conventum hunc, annô 1492. à Duce quodam Laurentio dicto fuiſſe fundatum, & erectum, cùm tamen quantùm ad hoc punctum, in ſolo Conventûs Manu-ſcripto jam ſupra memorato, fundatæ videantur, mihi à duplici authoritate ſuperiùs relata non videtur recedendum, ità ut magis judicem Conventum hunc à Nicolao Ujlak annô 1464. vel ſequentibus, quàm tempore in Litteris præfatis relato erectum, vel maximè cùm etiam Manu-ſcripta Conventûs initium ejusdem, ad tempora Pauli II. Pontificis referre manifeſtum ſit. De cætero cùm reliqua hunc Conventum concernentia, ejus nempe deſolationem, iteratam per Fratres noſtros reaſſumptionem, & reſtaurationem, mox præmiſſæ Litteræ C. Adami Forgách genuinè, & clarè referant, eis hic recenſendis non ampliùs immoror.

Probabiliùs eſſe videtur Conventũ hunc primò à Nicolao Ujlak fundatum.

§. II.

De interna, & externa Conventûs Conſtitutione.

N. 74. CConventus hic in quadro poſitus, tam inferiores, quàm ſuperiores Ambitus unà cum Cubiculis Fratrum fornitos habet. Inter muros quadraturæ ſat ſpatioſum eſt medium, in quo Hortulus florum pro ornamento Eccleſiæ deſervientium cultivatur.

Tractus Conventûs inferior.

In tractu inferiori præter Refectorium habentur officinæ pro diverſo laboritio, item Conſervatoria Sacræ Eleëmoſynæ, ac ſupellectilis domeſticæ, cum adjecta versùs majorem Hortum Infirmaria, ſat ampla, & ad ſufficientiam proviſa. In Tractu verò ſuperiori (ad quem triplicibus gradibus, in diverſis partibus conſtitutis aſcendi poteſt) ſunt Cellæ Fratrum, æquè potiori ex parte fornitæ, & optimè coordinatæ circiter tres ſupra quadraginta, ſingulæ, præter Provincialatum, & Hoſpitaria, ſuos habentes inquilinos. Bibliotheca ob diverſas temporum viciſſitudines habetur ſat exigua, Patres tamen in Officiis conſtituti, aliíq; Fratres proportionatè ad indigentiam, Concionatoriis, Aſceticis, & devotionalibus libris ſufficienter ſunt proviſi.

Superior Tractus.

Huic Conventui, versùs Orientem annexus eſt Hortus ſat amplus, tam pro Religioſa Fratrum diſtractione, quàm neceſſitatibus culinæ valde opportunus. Versùs Occidentem autem ad fluvium Vagum ampla eſt Area, cubiculô familiæ Sæcularis, aliísque neceſſariis ædificiis, juxta Statum noſtrum ſufficienter inſtructa.

Hortus ſat amplus.

N. 75. In hoc Conventu, ex antiquis Provinciæ Tabulis conſtat, annô 1647. viguiſſe Studium Philoſophicum. Annô verò 1650. Studium Theologiæ Speculativæ

lativæ Lectoribus, P. Franciſcô Hybernô, & P. Franciſcô Joanne Szegedi, quod à Reverendiſſ. Patre Sebaſtiano à Cajeta Commiſſario Generali, annô 1653. pro Studio Generali declaratum, perduravit uſque ad annum 1662. incluſivè. Vigult hic imô Studium Philoſ. deinTheol.

Cùm verò hoc ipsô annô Conventus hic per Turcas, & Rebelles Hungaros exuſtus, & majori ex parte ruinatus fuiſſet, ità ut poſt hoc per quatuor circiter annos, noviſſimum inter Reſidentias locum haberet, diſpulſis illo tumultu Fratribus, etiam Studium SS. Theologiæ caſſatum eſt. Annô verò 1671, & 1672. quidam Fratres Clerici litteris Humanioribus imbuebantur. Quibus annô 1673. ſucceſſit Studium Philoſ. huic verò annô 1677. Novitiatus, & continuabatur uſq; ad annum 1690. Quô iterum Studium Philoſophicum per quatuor annos reaſſumptum, & tandem exceptô unô alteróve curſu Philoſophicô, perdurabat Novitiatus uſque ad annum Domini 1757. hoc verò annô, Novitiatu ad Conventum Cremnicienſem translato, ordinatum eſt Studium SS. Theol. Specul. quamdiu duraturum, eventus docebit. Studium Humaniorum. Novitiatus. Actu eſt Theol. Speculativa.

Suſtentatio Fratrum hic habetur ex Menſa Domini, videlicet ex Eleëmoſyna oſtiatim collecta, quæ quia liberalitate Benefactorum, interdum augetur, ſubinde verò minuitur, etiam proportionatè plures, vel pauciores Fratres interteneri poſſunt.

Denique Conventus hic, ſive amplitudo ejus, conſequenter etiam numerus familiæ religioſæ, ſive ſervitia, populo numeroſiſſimo huc undequaque concurrenti præſtita, conſiderentur, inter principaliores hujus Provinciæ Conventus meritò numerari poteſt, unum eſt, quod, etſi gloriam ejus minimè obfuſcet, periculum tamen deſolationis non leve efficit, fluvius nimirùm Vagus, ferè jam ſepta Areæ, & Horti ejus alluens, pro cujus averſione licet ingentes jam, tam ex parte Conventûs, quàm ipſius Comitatûs, diverſis temporibus factæ expenſæ, attamen nihil, aut admodùm parum hactenus profectum. Fluvius Vagus plurimum Conventui obeſt.

§. III.

De Eccleſia, cámque concernentibus.

N. 76. ECcleſia hujus Conventûs meridionalem ejus reſpiciens partem, Dicata eſt Omnibus Sanctis, unde & Conventus in Sigillo ſuo Omnium Sanctorum Imaginem repræſentans, ab eadem mutuat patrocinium. Conſecrata eſt annô Domini 1699. die 18. Menſis Maji, per Illuſtriſſ. & Reveverendiſſ. D. Ladislaum Matyaſovſzky Epiſcopum Nitrienſem, ac Regni Hung. Cancellarium, patrocinante in ſumptibus Spect. ac Gen. Domino Andrea Skarbala de Szokolocz, Proto-Notario, & I. Comitatûs Nitrienſis Vice-Comite. Pro Anniverſaria Dedicationis die, determinavit idem Illuſtriſſ. D. Conſecrans Epiſcopus Domin. IV. poſt Paſcha. Eccleſia OO. Sanct. dicata, eſt conſecrata per I D. Ladisl. Matyaſovizki.

Eodem inſuper annô, & die, à memorato Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo, conſecrata ſunt ſeptem Altaria. *Primum* quidem ſeu Majus Altare, in honorem Omnium Sanctorum. *Secundum* in honorem S. P. N. Franciſci. *Tertium* in honorem S. Antonii Paduani. *Quartum* in honorem S. Valentini. *Quintum* in honorem S. Crucis. *Sextum* in honorem Doloroſæ Virginis Matris. *Septimum* in honorem S. Joſephi. Quibus Altaribus impoſitæ ſunt Reliquiæ SS. Martyrum Caji, Pii, & Lucilli, ut Litteræ Teſtimoniales Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi conſecrantis demonſtrant. Numerus Altarium.

Porrò huic Eccleſiæ jam conſecratæ, ſumptibus Illuſtriſſ. quondam Domini Simonis Forgách adjecta eſt Capella S. Crucis ipsô annô 1699. in qua principalis Ara erecta eſt in honorem Crucifixi D. N. J. Chriſti inter duos Latrones pendentis, & Crypta ſubterranea, quam idem Illuſtriſſ. D. Comes pro ſe, & futura ſua Proſapia extrui fecit. Inſuper tractu temporis, in eadem Capella poſitum eſt aliud Altare Honori S. Joannis Nepom. expenſis diverſorum Benefactorum. Tandem Capella S. Crucis per C. Simon. Forgách erecta.

dem verò etiam tertium acceſſit, Honori Immac. Concept. B. V. MARIÆ dicatum, munificentiâ Illuſtriſſ. Dominæ Annæ Mariæ Nyári, Conſortis Spect. quondam D. Antonii Jeſzenſzki, quæ tamen nondum ſunt conſecratæ. Ne verò in una eadémque Eccleſia duplex habeatur Altare S. Crucis, primum illud conſecratum, in honorem S. Petri de Alcantara eſt converſum.

Confraternitas S. Frāciſci.

Tametſi jam dudum in hac Eccleſia fuiſſet erecta Confraternitas Chordigerorum S. P. N. Franciſci, nihilominùs diſturbiis, perſecutionibus, & exilio Fratrum intervenientibus, à progreſſu quaſi deſtiterat, donec annô 1684. 8vâ Menſis Decembris denuò renovata eſt, & ad præſens cum fervore populi in dies augetur.

Via Crucis,

Viget etiam Exercitium Viæ S. Crucis, privatim quidem à devotioribus omni die, ſolemniter verò ſingulis diebus Dominicis peragi ſolitum.

Numerus Cryptarū.

N. 77. Cryptæ, ſeu Repoſitoria Cadaverum piè in Domino Defunctorum, in eadem Eccleſia habentur numerô 9. prout ex Sepulchralium lapidum dislocatione patet, & quidem in duabus à tergo Altaris Majoris exiſtentibus, potiſſimum tumulabantur noſtri Fratres uſque ad annum 1710. Cùm verò eô ipsô annô plures peſte infecti in una earum repoſiti eſſent, ab eo tempore Fratres indiſcriminatim, in cæteris Cryptis tumulabantur, in quibus etiam Sæculares, tam Oppidi Galgocz quàm Viciniæ quam plurimi Sepulturam eligere ſolent, ità ut an. 1747. omnibus Cryptis ferè impletis, neceſſe fuerit ad authoritatem Eccleſiaſticam recurrere pro facultate Cryptas à tumbis antiquioribus expurgandi, qua (Sede Archi-Epiſcopali pro tunc vacante) à Reverendiſſ. D. Stephano Nedeczki, in Spiritualibus Vicario Generali, facilè obtenta, opus repurgationis effectuatum eſt Menſe Februario prædicti anni 1747. Porrò ex Fratribus Noſtris ab an. 1570. in hac Eccleſia tumulati reperiuntur circiter 135. Si tamen in connotatione non eſt erratum.

Earum repurgatio.

Cœmeterium Capellæ contiguum.

Illud etiam advertendum, quòd ſuprà memoratæ Capellæ S. Crucis, annexum, & contiguum ſit Cœmeterium, jurisdictioni Superioris Conventûs ſubjectum, in quo ab immemorabili tempore de licentia Conventûs hujus Superioris, quam plurimi Sæculares ſepeliebantur, imò & actu frequenter ſepeliri cupiunt, & petunt.

De eo lites, & pro nobis reſolutio.

De quo loco jam pluries motæ ſunt lites, quibus prædicta Fratrum Jurisdictio ab antiquo uſuata impetebatur, verùm cauſa ad legitimam Superioritatem devoluta, iteratis jam vicibus pro Fratrum favore eſt reſoluta.

Et hæc ſunt, quæ colligi poterant de iſtius Origine, viciſſitudine, & reſtauratione Conventûs, reliquis connotationibus cum Conventu toties incinerato, pariter in cineres redactis. Nunc ſequuntur Nomina Superiorum.

NOMINA SUPERIORUM HUJUS CONVENTUS.

Annô

1531. P. Franciſcus de Hartyán.
1533. P. Damianus de Almanfalva.
1539. P. Martinus de Liptovia.
1542. P. Petrus de Racha.
1544. P. Nicolaus de S. Michaële.
1548. P. Andreas de Verbocz.
1550. P. Joannes de Illevölgye.
1552. P. Joannes de Muche.
1554. P. Damianus de Almanfalva.
1558. P. Joannes de Várallya.
1559. P. Valentinus de Nádasd.
1561. P. Andreas de Ebréſz.
1563. P. Valentinus de Szabatka.

Annô

1565. P. Stephanus de Vizvár.
Sequentibus aliquot annis nihil notatum invenitur, maxima enim fuere diſturbia.
1570. P. Sebaſtianus de Kettegyány.
Annô 1576. exuſtus eſt Conventus manſitque deſolatus uſque ad annum 1630. Igitur, 1. Præſid. inſtit.
1630. P. Ludovicus Gajari.
1632. P. Ambroſius de Gyöngyös.
1635. P. Raphael Sándorffi.
1638. P. Ambr. Snarski ſimul Min Pr.
1640. P. Joannes Bapt. Gyöngyëſſi.

Annô

Annô
1641. P. Emericus Gyöngyöſſi Guard.
1644. P. Michaël Szegedi.
1647. P. Franciſcus Szegedi.
1649. P. Baſilius Dezericzki.
1650. P. Ladislaus Saári.
1651. P. Andreas Fabri.
1656. P. Franciſcus Szegedi.
1657. P. Petrus Urbanovics.
1659. P. Tiburtius Hermanienſis.
1661. P. Valerianus à S. Cruce.
Sequenti Annô à Turcis exuſtus Conventus nullum habuit Superiorem, quia relictus fuit.
1665. P. Tiburt. Hermanienſis Præſid.
1667. P. Franciſcus Koſſinius Guard.
1668. P. Tiburtius Hermanienſis.
1669. P. Baſilius Dezericzki.
1671. P. Daniel Werkai.
1674. P. Bartholomæus Klobucski.
1675. P. Franciſcus Várkonyi.
1677. P. Raphaël Viskovienſis.
1678. P. Didacus Czandler.
1679. P. Paulinus Szokol.
1680. P. Raphaël Viskovienſis.
1681. P. Ladislaus Radoſini.
1684. P. Laurentius Firlai.
1685. P. Leonardus Ondrejkovics.
1687. P. Emericus Terchovics.
1688. P. Joannes Ziveczki.
1691. P. Capiſtranus Koſſulics.
1692. P. Emericus Terchovics.
1693. P. Ladislaus Radoſini.
1696. P. Joannes Ziveczki.
1697. P. Emericus Terchovics.
1699. P. Matthæus Vankovics.

Annô
1700. P. Franciſcus Beſſelin.
1701. P. Emericus Terchovics.
1705. P. Ladislaus Radoſini.
1708. P. Philippus Bradacs.
1710. P. Narciſſus Czihlarik.
1711. P. Bernardus Nayman.
1713. P. Bartholomæus Rozboril.
1714. P. Matthæus Vankovics.
1715. P. Auguſtinus Hamernik.
1716. P. Narciſſus Czihlarik.
1719. P. Placidus Malanek.
1720. P. Chriſtophorus Nekulni.
1721. P. Matthæus Vankovics.
1722. P. Maximilianus Rözler.
1724. P. Dionyſius Wlcsek.
1725. P. Joannes Grani.
1727. P. Ludovicus Danicsek.
1728. P. Urbanus Fridrich.
1730. P. Godefridus Rozman.
1731. P. Narciſſus Beneſs.
1732. P. Ludovicus Danicsek.
1734. P. Matthæus Moczak.
1735. P. Euſtachius Sopauch.
1737. P. Nicolaus Auguſtini.
1738. P. Emericus Ragyóczi.
1739. P. Franciſcus Krslovics.
1741. P. Auguſtinus Piſtoris.
1742. P. Conſtantinus Vagyovski.
1745. P. Modeſtus Trubeczki.
1748. P. Paulus Szaloki.
1751. P. Donatus Ottka.
1754. P. Adjutus Kvicſala.
1757. P. Donatus Ottka.
1758. P. Adjutus Kvicſala.

VII. CONVENTUS SEBESSIENSIS HONORI JESU & MARIÆ DEDICATUS.

§. I.

De hujus Conventûs Denominatione, ac Loci Sitûs descriptione.

Denominatio Conventûs.

N. 78. CONventus hic Sebessienſis, denominationem ſuam accipit à Pago inferiore *Sebes*; cujus aliàs nomenclatura, in hungarico idiomate idem ſonat, ac *vulneratus*, fortaſſis exinde, quòd, ut traditur, olim hic meris ſylvis exiſtentibus, & prædonibus in vicina Arce Várallyenſi refugium habentibus, prædocinia graſſabantur, multíque homines etiam lethaliter vulnerabantur. Situatus autem eſt in Comitatu Saároſſienſi, Diœceſis Agrienſis, prope Liberam Regiámque Civitatem Eperieſſienſem, Occaſum versùs adjacentem, & vix unius horæ itinere diſtantem.

Referuntur DD. Hæreditarii loci Sebes.

N. 79. De reliquo, locus hic olim à Familia Sepeſſi dicta, dein à Familia Forgacſiana, tandem ab Illuſtriſſ. Comite Ladislao Szentiványi, I. Cameræ Scepuſienſis Adminiſtratore, poſt ejus obitum à ſuo Filio Joſepho Szentiványi, nunc verò ab hujus Filia Franciſca, Alexandri Haller relicta Vidua, cum quibusdam adjacentibus Pagis poſſeſſus, eſtò in ſe ſit vilis & exiguus, gloriatur tamen vicino Conventui Caſtello, ſat altis muris, & quatuor quaſi propugnaculis cornualibus ad modum turrium tectis, munito, ac internè Capellam privatam B. V. MARIÆ Immacul. Conceptæ dicatam, atque à Patribus noſtris adminiſtrari ſolitam continente.

Caſtellum Sebeſſienſe

Eccleſia Parochialis à Regulari diſtincta Parochiam adminiſtrant PP. noſtri.

Eccleſia quoque Parochialis à noſtra Regulari diſtincta, & S. Andreæ Apoſtolo dicata atque ab Illuſtriſſ. D. Catharina Pálffi erecta, hoc loco habetur, licèt Parochialia PP. noſtri jam ultra annos 100. adminiſtrent, ſicut in hoc ità in pluribus vicinis Pagis. Viſitur etiam ad Caſtelli introitum lapidea S. Joannis Nep. Statua, quondam per Illuſtriſſim. D. Comitem Joſephum Szentiványi curata, ad quam quottanis, in Feſto ejusdem Devotionem peragunt Patres noſtri.

Circumferentia loci Sebes.

Porrò circumferentia loci hujus ulteriùs conſiderata, ſatis amœna planitie campeſtri, pratis, & agris utcunque fertilibus gaudet, vicinas inſuper conſpicit Arces, ut Saároſſienſem, Kapyenſem, Várallyenſem, & Neovillenſem, quibus addi poteſt, ex parte Meridionali, Salis, & intra hanc, ac Orientalem, Aurifodina. Incolæ loquuntur idiomate tantùm Slavonico.

§. II.

De Origine, ac reliqua Conventûs Conſtitutione.

Conventus initium ſumpſit an. 1634.

N. 80. IN loco igitur ſic brevibus deſcripto, Conventus pro Fratribus noſtris Erectionis ſuæ initium ſumpſit Annô Domini 1634. Gubernante Eccleſiam Chriſti Urbano VIII. hanc verò SS. Salvatoris Provinciam, R. P. Franciſco à S. Benedicto. Etſi autem aliqui referant, hunc Conventum unà cum Eccleſia extructum fuiſſe à Familia Sepeſſiana, veriùs tamen dicitur, imò apud nos tanquàm certum habetur, ejus Fundatricem fuiſſe, atque Conventum unà cum Eccleſia ex integro conſtruxiſſe, Illuſtriſſ. D. Catharinam è Familia Comitum Pálffi ab Erdöd ortam, & quondam Illuſtriſſ. D. Comitis Sigiſmundi Forgách de Gymes, Regni Hungariæ Palatini devotiſſimam Conſortem. Primúsque huic loco datus eſt Præſidens eodem quô erigi cœpit annô P. Ambr. Gyöngyöſſienſis.

Fundatrix Conventûs Ill. D. Catharina Pálffi.

N. 81.

N. 81. Neque his contenta Deo devota, & Seraphico Inſtituto apprimè addicta Mulier, ut Fratres Minores in Neo-erecto Conventu commodiùs Servitiis Spiritualibus vacare poſſent, annuam per modum Eleëmoſynæ præſtandam in naturalibus, ſeu victui neceſſariis, pro eisdem conſtituit Penſionem, cujus Litterale Inſtrumentum hungarico ſcriptum idiomate, actu quoque in Archivo Conventûs reſervatur. Uberiores gratias quas ab ea ſperare licuit pia mors annô 1640. ſecuta interrupit. Moritur pia Fundatrix.

N. 82. Poſt cujus obitum Dominium hocce translatum eſt ad Illuſtriſſ. D. Comitem Ladislaum Szentiványi. Qui, ſicut in favore Dominii ſucceſſit, ità in onere quoque præattactæ piæ Fundationis ſuccedere, & deſideratiſſimus Fundator pariter eſſe voluit, fuítque: dum, cum obligatione ſuorum Hæredum utriuſque Sexûs, erga duo Miſſæ Sacrificia, juxta intentionem in Fundationali Inſtrumento expreſſam, ſingulis diebus celebranda, Fundationis vice (eſtò reſpectu prioris Palffiano-Forgacſianæ, quæ ſine ullo onere Miſſarum fuerat, in medietate diminutæ) ſub dato 1. Januarii Annô 1694. demandavit, annuè Conventui extradanda in eodem litterali Inſtumento ſpecificata, cujus tenor eſt: Dominium Sebes devolvitur ad Ladislaum Szentivá-nyi. Succedit in onere Fundationis.

In Nomine Dei Patris, Dei Filii, & Dei Spiritûs Sancti Amen. Ego infra ſcriptus, ex amore Dei mei Trini, & Unius, volo, & ſtatuo quotidie bina Sacro-Sanctæ Miſſæ Sacrificia celebrari in Templo Ven. Conventûs Sebeſſienſis RR. PP. Strict. Obſerv. S. Franciſci Seraphici. Et unum Sacrum dicendum omni die ad Majorem SSmæ, & Inviduæ Trinitatis Gloriam, pro Gratiarum actione infinitorum illius Benefactorum, Mihi, Matri, Uxori, & prolibus meis, totíque generi humano hactenus collatis, & in futurum conferendis. Alterum verò Sacrum itidem quotidie celebrandum, in honorem Agoniæ Dei Redemptoris Noſtri, pro Mea, Matris, Uxoris, proliúmque mearum felici morte. Idque totum eò tempore, quô Ego, Uxor, Succeſſorésque mei bona hæc Sebeſſiana poſſidebunt. Quo fine, Me, Uxorem, Filiósque, & Filias, ac Succeſſores meos univerſos, & ſingulos obligo, & adſtringo, Conventui præfato Sebeſſienſi, ut annuatim vice dent.) Hic ſpecificantur quæ præſtanda ſunt) *Et ideò obligantur etiam RR. PP. moderni, & futuri Provinciæ SS. Salvatoris in Hungaria Miniſtri Provinciales, hujúsque Conventûs Sebeſſienſis Guardiani, præattacta duo Sacra, quovis die à dato præſentium computando celebrari facere. In cujus rei majus robur, & fidem, haſce Sigillô meô roboravi, & manu propriâ ſubſcripſi. In Caſtello Sebes die 1. Januarii An. Dom. 1694.* Litteræ Fundationales ejusdem.

(L.S.) Comes Ladislaus Szentiványi, m. p.

Quæ Fundatio mox annô eodem â V. Diffinitorio eſt omnino acceptata ſequenti tenore:

Illuſtriſſimi D. Comitis Ladislai de Szentiványi pia probatur Intentio, quam Divina Majeſtas ipſi, & toti Illuſtriſſ. Familiæ refundere dignetur. Quare V. Diffinitorium omni religioſa humilitate maximas referens gratias, Fundationem hic expreſſam acceptat, & ratam habet &c. Acceptatio Fundationis à V. Diffinitorio.

Fr. Stephanus Gelenius Provinc. Pater, & Diffin. Act.
Fr. Andreas Phülöp Provinc. Pr. ſubrogatus Cuſtos loco R. P. Cuſtodis.
Fr. Andreas Paláſti Miniſter Provincialis.
Fr. Vitus Hueber SS. Theol Lect. Act. ſubrogatus Diffinitor.
Fr. Remigius Nyájas Diffinitor Actualis.
Fr. Gerardus Kecskeméti Prov. Pr. Diffinitor Act.

Quam Fundationem, ad tollendas omnes controverſias, & difficultates, quæ occaſione ejus, inter Succeſſores ſuos, & Ordinem noſtrum oriri poſſent, magis ſtabilire, & alia plura præſtare volens, intentionem quidem habuit, ad deponendam, & elocandam ſummam aliquam Capitalem, ex cujus intereſſe, Fratrum neceſſitatibus, quæ ex mendicatione ſuppleri non poſſent, provideatur, ſed morte præventus, eandem in ſuo priori ſtatu permittere eſt coactus. Fundator cogitat fundationem ſtabilire ſed morte impeditur.

Conventus ictu fulminis exuritur, sed mox restauratur.

N. 83. Cæterùm Conventus hic, postquàm à sua liberali Fundatrice ad perfectionem deductus fuisset, præter ea quæ à rebellibus hæreticis passus est de quo §. seq. insuper circa annum 1693. per ictum fulminis totus exustus fuit, unâ cum Ecclesia, quando autem, & quorum adminiculô sit tectus? ignoratur. Hoc certum est quod formam meliorem acceperit Anno 1734. dum tam internè quàm externè utcunque renovatus, & inalbatus fuit. Est positus in quadro, Cellas in parte superiori habens circiter 24. Ambitus quidem superiores forniti sunt, non item Cellæ Fratrum, præter Guardianatum, & duas cellas penes eundem situatas. In parte inferiori, quibusdam Officinis, & rerum necessariarum Conservatoriis sufficienter est provisus. In hoc Conventu frequens fuit Studium Philosophicum, subinde Theologiæ Moralis, actu Philosophia traditur Fratribus nostris.

Studia litteralia hic habita.

§. III.

De Memorabilibus hujus Conventûs.

N. 84. NOn diu Conventus hic optatâ fruebatur tranquillitate, Princeps enim Transylvaniæ, Georgius Rakoczius, Annô 1644. bello jam apertô Cæsarem lacessens, postquam Cassoviam, aliásque Civitates, & Comitatus Superiores suæ feciſſet potestatis, Religioni quoque Catholicæ, per suos bellum indixit, quod hæc quoque domus Religiosa malo suo experta est, nam rebelles hæretici die 22. Junii anni memorati ad datum buccinæ signum Conventum hunc inermem aggredientes (præerat tunc Conventui ut Guardianus P. Adalbertus Mocsár) licèt ab incendio minitato se temperaverint, cætera tamen quæ hæretica eorum petulentia suasit, furibundè exercuerunt, imprimis Fratres quos comprehendere poterant vestimentis exutos, variis ignominiis, & injuriis affecerunt, verberibus, & vulneribus cruentârunt, sicque eos nomenclaturam denominationis hujus sui Conventûs Sebessienſis experiri fecerunt; supervenientibus nihilominus noctis tenebris cùm alii sibi fugâ consuluissent, solus Frater Nicolaus Körmendi Laic. Regulæ sincerus observator, religiosâque ac devotâ conversatione laudabilis, manus impiorum minimè evadere potuit, nam, ut à certo milite huic tragœdiæ præsente, post hoc relatum est; à dictis rebellibus comprehensus, atque ad longam cistam per modum crucis alligatus, igne ustulatus est, cruxque in dorso ejus excisa; repertus denique à fratribus redeuntibus in pervio jam examinis, vulnus in cervice habens, in lateribus facibus ustus, in inguine mucrone transfossus, ac per omnia crudeliter sauciatus. Nec his satiati, rebelles hæretici, in Ecclesia Altaria confregerunt, Sanctorum Imagines conculcârunt, Ecclesiæ apparamenta abstulerunt, ipsum denique Conventum, utensilibus, quorum usum habere non poterant vitiatis, ex integro spoliaverunt.

Rebelles hæretici Conventũ hostiliter aggrediuntur.

Fr. Nicol. Körmendi crudeliter enecant.

Conventũ & Ecclesia ex toto spoliant.

Peractâ hac funestâ tragœdiâ, abscedentibúsque ejusdem authoribus, Patres ad Conventum rediêrunt, eumque unâ cum Ecclesia pro sua possibilitate restaurârunt, in quo usque ad annum 1672. in pace commorati sunt. Verùm crescente novâ rebellium adventantium famâ, illud Salvatoris Consilium: *Si vos persecuti fuerint in una Civitate fugite in aliam.* Secuti, die 14. Septembr. ejusdem anni de loco Sebes, ad Residentiam Eperiessienſem, tanquam locum tutiorem, se receperunt, ubi per aliquot dies utcunque in pace, verùm cum magno timore permanserunt. Rebelles Civitatem ingressi, die 29. prædicti mensis circa horam noctis undecimam Residentiam suô satellitiô cingunt, vigilias ubique disponunt, & ne Fratrum quis effugiat, strictissimè demandant. Die sequenti orto jam Sole, Generales expeditionis hungaricæ, videlicet: Stephanus Petróczi, Mathias Szuhai, Gabriel Kendi, & Paulus Sepessi, per certum Nobilem Patribus denuntiant, ut si salvi esse velint, relictis omnibus, nec non clavibus tam Ecclesiæ, quàm Residentiæ resignatis, sine mora exeant, quod & fecerunt, nam relictis ibidem tribus Patribus Societatis JESU, qui prævio vespere, non tuti in sua Residentia

Abeuntibus rebellibus Fratres ad Conventum redeunt.

Sed mox Eperiessinum discedunt.

Sed inde quoq; paulò post à rebellibus pelluntur.

ad

ad illos venerant, ad domum Spect. D. Gabrielis Kapi se se contulerunt, unde similiter ejiciuntur: imò opprobriosè tota Civitate expelluntur.

Qui postquam egressi fuissent, mittuntur post eos à Domino Feigel nomine totius Exercitûs Re-Citatoriæ, quatenùs reversi Eperiessinum, tuti manere possint, Supremis ità asseverantibus. Sed vix ad Suburbium Civitatis pervenerant, Ecce! incidunt in Cohortes Peditum, qui conspectis Fratribus, mox in rabiem acti, eosdem furiosè invadunt, ab invicem divellunt, nec non ut capitibus plectantur conclamant. Et certè effectus facilè secutus fuisset (nam rabiem augebat ebrietas) nisi Magnifici D. Benedicti Serödi, juvenis adventus accelerâsset, qui Patres nostros (per Cohortes equitum, & peditum stricto gladiô cursitando, & hungarico idiomate inclamando: *Hæccine est fides nostra? Sicne illis promisimus? quis nobis in posterum credet? &c.*) è manifestissimo mortis periculo liberavit, & cum difficultate non levi, post perpessas multas calumnias, opprobria, & vexationes, per parvam portam Civitatis introduxit, & usque ad domum D. Kapi est concomitatus, ubi quinque hebdomadarum spatiô, in continuo timore, & tremore, diu noctúque morabantur, nam die quadam, pistoletis ad pectora applicatis tentabantur, altera in plateis strictis gladiis pellebantur, variis denique opprobriis satiati, sæpè cum magno animi mœrore audire debeant: *Hos canes papisticos, cum aliis Catholicis nonnisi trucidandos.*

Iterum verò revocantur, in quo regressu à furiosis militibus multa patiuntur sed è manibus eorum erepti Civitatem ingrediuntur.

Durante autem, & magis crescente hac fædifraga rebellione, demandatum quoque fuit Fratribus, ut assumptis armis, ad propugnaculum pro ipsis assignatum, ascenderent, & se contra Militem Cæsareum defenderent; sed respondérunt: *Se magis mortem subire velle, quàm contra suum legitimum, & benignissimum Regem arma sumere.* Tandem die 6. Novembris, estò post plures Instantias apud Civitatem factas, difficulter tamen tres Patres cum uno Fratre Laico, Sebessinum sunt dimissi. Qui primò Ecclesiam ingressi, invenerunt Sepulchrum Fratrum cum duabus Cryptis apertum, novum S. Antonii Altare totaliter ruinatum, Crucifixi, B. V. MARIÆ, aliorúmque Sanctorum Imagines, dilaceratas, Statuas aliquas manibus, pedibus, alias digitis, naribus, quasdam etiam capite truncatas. Quatuor denique majores Statuas præ foribus Templi, quasi pro custodia ejusdem positas, in opprobrium Religionis Catholicæ deprehenderunt. Quibus ità visis tacti dolore intrinsecus lachrimabili voce cum Davide dicebant: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum Sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. Exurge quare obdormis Domine. Dissipa gentes quæ bella volunt, & da pacem in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster: &c.*

A rebellibus ad murorûm custodiam cõpelluntur sed recusant.

Tandem aliqui è PP. Sebessinum ire permittuntur.

N. 85. Pro Commendatione autem hujus Conventûs, & hoc addi potest: quod Ferdinandus III. Romanorum Imperator, & Rex Hungariæ, comperta habens Patrum hujus Conventûs fidelibus animabus præstita plurima servitia, ad continuandum, & augendum ulteriorem etiam zelum animarum, pro meliori eorundem Patrum sustentatione, benignè resolverit unum Imperialem ab I. Camera Scepusienſi hebdomadatim per modum eleëmosynæ huic Conventui tribuendum. Cujus Decreti tenor talis est:

Favor Ferdinand. III. Rom. Imp. erga Fratres.

FERDINANDUS III. Divinâ favente Clementiâ

Electus Romanorum Imperator, semper Augustus.

MAgnifici, ac Egregii Fideles Nobis Dilecti. Benignè Vobis celare nolumus, qualiter ex pio zelo nostro, simul ad demissam Instantiam, Spect. ac Magnifici Nostri Consiliarii Intimi, ac Camerarii fidelis Nobis sincerè dilecti, Comitis Pauli Pálffi ab Erdöd, Regni Nostri Hungariæ Palatini, Fratribus Ordinis S. Francisci propè Civitatem Eperiessiensem habitantibus, intuitu assidui Exercitii, quô Sacris Officiis, cum magna utilitate, & consolatione Catholicorum, ibidem incumbere dicuntur; pro necessaria sustentatione ejusdem Claustri, locò Eleëmosynæ singulis septimanis, unum Imperia-

lem ex Proventibus Triceſimæ Noſtræ in dicta Civitate, deinceps ad beneplacitum pendi, & perſolvi clementer decrevimus. Proinde Vobis præſentium vigore, benignè mandamus, ut deinceps ulteriorem Ordinationem Nomine Noſtro, penes Conſiliarios Cameræ Noſtræ Scepuſienſis facere, atque in hoc eſſe velitis, quatenùs inde dicti Fratres Franciſcani hujus Clementiſſimæ Conceſſionis Noſtræ, ità convenienter certiores reddantur, eisque illæ hebdomadalis Eleëmoſyna deinceps perſolvatur; in quo ſatisfiet benignæ, & omnimodæ Voluntati Noſtræ. Dabantur in Civitate Noſtra Vienna 6. die Menſis Aug. An. 1650. Regnorum Noſtrorum Romani 14tô. Hungarici 25tô. Bohemici 23tiô.

FERDINANDUS.

Suſtentatio Fratrum ob frequentiã Religioſorum miranda.

Denique inter Memorabilia, & ſimul Mirabilia Conventûs hujus meritò reputari poteſt, honeſta ſatis, & debita Fratrum ſuſtentatio. Quis enim non miretur loco hoc ob vicinos montes, & colles non ultra mediocritatem fertili, plurimis item Religioſis Mendicantium domibus, ut Eperieſſienſi, tam RR. PP. Conventualium, quàm Noſtrorum, Bartphenſi, Sztropkovienſi, Homonnenſi, Caſſovienſi, vix quatuor milliaribus diſtantium Vicino, in tanta inquam præfatorum, ac aliunde etiam adventantium Religioſorum frequentia, 28. Perſonas (exceptâ familiâ Sæculari) pro continuo poſſe ſubſiſtere, & religioſè ſuſtentari. Certè hic elucet ſpecialis Dei Providentia, locúmque habet illud Veritatis æternæ à S. P. N. Franciſco Suis ad prædicandum miſſis pro diurno dari ſolitum: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Pſal. 54.

§. IV.

De Eccleſia, eámque Concernentibus.

Eccleſiæ fundatrix Catharina Pálffi.

N. 86. SIcut Conventus, ità Eccleſia quoque Sebeſſienſis Primam ſuam Fundatricem agnoſcit, jam ſuprà laudatam Illuſtriſſ. Dominam Catharinam Pálffi. Cujus primum lapidem angularem poſuit Illuſtriſſimus ac Reverendiſſ. D. Emericus Lóſi Epiſcopus Agrienſis die 7. Auguſti an. 1634. Porrò perfectionem ſuam accepit annô 1636. uti ex inſcriptione lapidi quadro, in fronte Arcûs Sanctuarii poſito, ſequentis tenoris patet:

Inſigne O Pálffianum.

Templum hoc, cum Monaſterio Comitiſſa Catharina Pálffi quondam Comitis Regni Palatini Sigiſmundi Forgách de Ghymes Vidua, in honorem SS. Nominis JESU, & MARIÆ intitulatum ex fundo erigi curavit Annô 1636.

Conſecratio Eccleſiæ.

N. 87. Deinde verò, Annô 1638. die 27. Aug. Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Georgius Lippai, Epiſcopus itidem Agrienſis, Templum hoc, unâ cum tribus Aris conſecravit; nimirùm Summam, in honorem *Sanctiſſimorum Nominum JESU, & MARIÆ.* Alteram minorem collateralem ad parietem Eccleſiæ Septemtrionem versùs, in honorem *S. Stephani Proto-Martyris*, ubi nunc extat Altare *S. Annæ*, per D. Antonium Melczer erectum, vel veriùs reformatum. Tertiam verò æquè ad parietem meridiem versùs in honorem *S. P. N. Franciſci*, quô in loco nunc eſt Ara *S. Antonii Paduani*, Annô Dom. 1676. ex pio legato Reverendiſſ. Dom. Georgii Sóós Præpoſiti Varadienſis, & B. Virginis de Liptó Lectoris, & Canonici Scepuſienſis erecta, prior verò S. Franciſci in eadem parte Eccleſiæ ulterius translata.

Referuntur Altaria hujus Eccleſiæ.

Præter ſpecificatas, ſunt adhuc quatuor Aræ, nimirùm lapidea *SS. Trinitatis*, erecta Patrocinio, & expenſis Familiæ Melczerianæ. Item *Doloroſæ B. V. M.* Annô 1735. in Choro inferiori poſt dorſum Summæ Aræ impenſis Illuſtriſſimæ D. Claræ Kapy extructa cum hac inſcriptione:

D. O.

D. O. M.
PER QUEM MORTUI VIVUNT.
PRO PATRE SUO GABRIELE KAPY
ET
MARITO COMITE JOSEPHO SZENT-IVÁNYI
QUORUM
AD DIVAM HANC ARAM SITA ESSE OSSA
POSTERI QUOQUE NESCII NE ESSENT
CLARA KAPY
MONUMENTUM HOC PURO VOTO
DICAT CONSECRATQUE.

Item *Annuntiationis B. V. MARIÆ* Annô 1747. per D. Anaſtaſiam de Campio relictam Viduam Spect. D. Gabrielis Kapy, & SS Joannis Nepom. ac Philippi Nerei Annô 1754. per Illuſtriſſ. D. Claram Kapy erectæ. Univerſim itaq; Eccleſia hæc habet Aras Octo, ex quibus Altare Summum, eſt ſimul Privilegiatum perpetuum, pro qualibet feria per Benedictum XIV. Summum Pontificem annô 1748. conceſſum, & authoritate ordinarii anno 1749. determinatum, confirmatúmque.

Eccleſia hæc duplicem habet Chorum unum Superiorem ad Eccleſiæ portam, poſt caſum prioris noviter, annô 1702. erectum, alterum verò inferiorem poſt ſummam Aram ſubſelliis, & tabulato ex parte parietum proviſum, ac annô 1699. variis Sanctorum Imaginibus exornatum. Adjuncta item eſt Eccleſiæ inter Sanctuarium, & Conventum Turris, quæ annô 1701. ſub Guardianatu P. Alexii Fekete ad duas orgias elevata & imbricibus tecta fuit, ſed annô 1752. ſub Guardianatu P. Nicolai Victor, iterum reſtaurata, & tecto ex lamina eſt decorata, ſuſtentans Campanas quatuor, quarum tres annô 1669. die 23. Novemb. ab Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Stephano Telekeſſi Epiſcopo Agr. ſunt conſecratæ. Prima quidem & maxima in honorem *B. V. MARIÆ.* Secunda in honorem *S. P. N. Franciſci.* Minima in honorem *S. Antonii Paduani*, de cujus conſecratione quia dubitabatur denuò annô 1749. ab Excell. D. Franciſco Barkóczy Epiſcopo Agrienſi Eperieſſini eſt conſecrata in honorem *S. Barbaræ Virg. & Mar.* Quarta ſecundæ ferè æqualis uſque modo eſt ſine conſecratione.

Duplex Chorus.

Turris cũ 4. Campanis, è quibus tres ſunt benedictæ.

In hac Eccleſia duplex eſt Confraternitas ſeu Congregatio, una S. P. N. Franciſci annô 1652. ex permiſſione Illuſtriſſ. D. Benedicti Kisdi Epiſcopi Agr. erecta, alia verò SS. Corporis Chriſti à Benedicto XIV. ſub dato 26. Aprilis anni 1748. conceſſa & à ſupra memorato Diœceſano Excell. Comite Franciſco Barkóczy approbata, & confirmata. Quam pariter Doloroſæ Viæ Crucis erectio annô 1749. ſubſecuta.

Confraternitas Sancti Franc. & SS. Sacramenti.

§. V.

De Cryptis Eccleſiæ, & in eisdem ſepultis.

N. 88. LIcet quidem trium duntaxat Cryptarum Oſtia in hac Eccleſia patenter conſpiciantur, nihilominus ex connotationibus antiquis undecim eſſe traduntur.

Prima poſt Altare majus in Choro inferiori pro Patribus, & Fratribus noſtris, cum cavernis, aut camerulis pro defunctorum Corporibus eò obturandis extructa, & lato lapide annô 1752. curatô, in ſuo orificio ſignata. De cujus priori Oſtiario lapide eſtò R. P. Ladislaus Turóczi è S. J. in ſuo Opere: *Hungaria cum ſuis Regibus compendio data.* intitulato tradat: eundem, quoties quis de hâc domo in alteram æternitatis migraturus ſit, vel ſicciſſimo tempore ſudare, ac per hoc proximam alicujus mortem veluti præſagire; nihilominùs etiam modernô, noviter ejusdem Cryptæ orificio impoſitô lapide frequenter ſudante, & priori inde ſub-

Prima Crypta poſt Altare majus.

latô ac immediatè ad limen Conventûs applicatô ſemper, ſiccô exiſtente, ejuſmodi præſagii eventus hactenus necdum eſt obſervatus.

Sepulti in ea. Porrò in hac Crypta præter Patres, & Fratres noſtros tumulati ſunt: Annô 1734. Illuſtriſſ. D. Comes Joſephus Szentiványi. Annô 1745. A. R. D. Andreas Simicsak Parochus Krajcſinovienſis. Annô 1749. Perill. D. Antonius Melczer hujus Conventûs ſpecialis Benefactor.

Altera Crypta. Altera Crypta eſt in Sanctuario, ad cornu Evangelii Aræ majoris, orificium habens vicinum parieti Septentrionali, & oppoſitum exitui è Choro inferiori, pertinétque ad Familiam Kapyanam, quæ nunc decenti lapide, cum inſigni præfatæ Familiæ eidem inſculpto, in orificio ſignata eſt.

Sepulti in ea. In hac ſepulti jacent Spect. D. Kapy Senior, & ejusdem Conſors Eva Gergelaky. Item annô 1738. die 6. Octobr. Illuſtr. Herulus Ignatius Graſſalkovics, Excell. Domini Antonii nunc Cameræ Præſidis filius. Item annô 1741. die 27. Aug. Illuſtr. D. C. Antonia Szentiványi, Illuſtr. D. Comitis Joſephi Szapári Conſors, cum ſua fiſiola Anna die 23. Novembr. ejusdem anni. Item annô 1743. die 7. Aug. Spect. D. Gabriel Kapy Junior Regni Hung. Vice-Palatinus.

III. Crypta. Tertia eſt ante Aram ſummam ſub lampade, ad quam ingreſſus reperitur, amotô gradu lapideo Sanctuarii inter Cancellos. Et hæc fuerat quondam Familiæ Egri, nunc verò poſt ejus defectionem ſpectat ad Conventum.

In ea ſepulta. In hac tumulata eſt certa Monialis Cracovienſis Bethulia nomine, Ord. S. Auguſtini, quæ cum Religioſa Socia ſua Sebeſſiuum veniens Sacramentis proviſa obiit, annô 1726. Item D Maria Schindlerin D. Franciſci Tormáſi relicta Vidua ſpecialis Conventûs Benefactrix annô 1739. die 26. Jan. Item Illuſtr. D. C. Graſſalkovics I. Legionis Splenyianæ Colonellus die 17. Decembr. an. 1753.

IV. Crypta. Quarta: Sub pede Arcûs Sanctuarii ex parte Epiſtolari majoris Aræ, minori lapide quadro, & tegulis clauſa, pertinens ad Familiam Melczerianam. In qua præter Spect. D. Moyſen Melczer an. 1740. die 27. Martii tumulatum, nemo alter ſepultus eſſe deprehenditur.

V. Crypta. Quinta ante Altare S. Antonii, versùs Altare S. P. N. Franciſci inferiùs ſituatum protracta. Fuerat quidem olim Familiæ Andraſſianæ, ſed nunc ſpectat ad Conventum. Num in hac Crypta aliquis tumulatus ſit? planè non conſtat.

VI. Sexta. Ante Aram S. P. N. Franciſci, Oſtium habens ad infimum gradum ejusdem, decenti lapide clauſum éſtque juris Familiæ Sztankaianæ. In qua annô 1741. die 12. Octobr. tumulata jacet D. Clara Pécſi Perill. D. Stephani Sztankai Conſors, atque ipſe D. Steehanus Sztankai an. 1748. die 2. Decembr. ſepultus.

VII. Septima eſt, ad ipſam Eccleſiæ portam ſub Choro ſuperiore ad manum levam intrantis Eccleſiam, ſeu Septentrionem versùs, ſpectans ad Conventum.

VIII. Octava, mox in parte eadem Septentrionali pro uno ſolùm homine formata, aditum habens penes infimum gradum Altaris Melczeriani Sanctiſſimæ Trinitati & S. Joanni Bapt. dicati. Num in his duabus quiſpiam jaceat? pariter ignoratur.

IX. Nona penes Altare S. Annæ ad cornu Evangelii, habens introitum versùs Cathedram, in qua priùs ſepeliebantur ex Familia Czerocziana, deinde an. 1702. devenerat ad jus D. Stephani Krucsai, actu pertinet ad Conventum. In hac tumulati ſunt aliqui ex dicta Familia Czerocziana.

X. Decima in medio Eccleſiæ mox ante Sanctuarium è regione Altarium collateralium S. Annæ, & S. Antonii Pad. quæ quidem olim fuerat Familiæ Luſinſzky, ſed poſt ejus hinc diſceſſum, rediit ad Conventum. In hac tumulata fertur certa Domina peſte è vivis ſublata.

XI. Undecima tandem eſt, pariter in medio Eccleſiæ, mox infra ſub numero 10. poſitam, è regione Altarium SS. Trinitatis, & S. P. N. Franciſci, facta pro unica tantum Perſona, in qua quieſcunt oſſa D. N. Thaſſi, qui fuerat Vitricus D. Spect. Gabrielis Kapy.

Adver-

Advertendum insuper est quod in Ecclesia hac propè januam juxta Aquam benedictam tumulata jaceat Illustriss. D. Fundatrix C. Ladislao Szentivanyiana, nata Melczeriana; penes eam verò R. P. Alexius Fekete, olim hujus Conventûs Guard. die 24. Aug. an. 1710. defunctus, & in Crypta sub n. X. Domina quædam, quæ tres Personæ siquidem contagione pestifera de hac vita sublatæ fuissent, cavendum erit ne eorundem Corporum reliquiæ commoveantur, cum periculo ejusmodi contagionis resuscitandæ. Observandum posteris.

§. VI.

Commemoratur Imago JESU & MARIÆ in tela depicta.

N. 89. CErnitur in Ecclesia hujus Conventûs in tela picta Imago JESU, & MARIÆ pro singulari memoria, & Fidelium devotione exposita. De qua quidem nihil in authentico scripto defactò reperitur, sed solùm traditur, imò etiam quodpiam notatum adhuc annô 1738. à P. Ferdinando Fiala pro tunc Guardiano repertum fuisse auditur, quod nimirùm, post varias aliarum Imaginum, & Statuarum, prout suprà relatum est, contemptuosas profanationes, quidam de hæreticis, ausus fuerit contra hanc Imaginem sclopum exonerare, sed dignas facinoris luisse dicitur pœnas, dum per resilientem ab eadem glandem plumbeam occisus interiit. Alter quoque prioris Socius, similis criminis in ipsam Imaginem commissi reus, mox ante Ecclesiæ fores miserè fertur occubisse. Relatio de Imag. Jesu & Mariæ. Globus ab Imagine resilit, & authorem interficit.

Hæc autem Imago figuræ ovalis, & quantitatis trium circiter palmorum, Dei Genitricis Mariæ, in sinu suo JEsum ad Virginea Ubera quasi dormientem servantis, duo habens signa per glandes plumbeas causata, unum in gena sinistra prope auriculam, alteram in superiore parte nasi intra oculos, pro priori latebat in choro inferiori, cum sua simplici fista, deinde aliâ decentiori per Illustriss. Fundatricem C. Claram Kapy ex speciali sua erga eam devotione, ob expertum pluries ejusdem Patrocinium, ornata, ac vitro inclusa, pro majori populi devotione, ad Ecclesiam translata fuit, & ardentibus tempore devotionis candelis, per dictam Illustr. Fundatricem oblatis honorata; nunc jam ab anno 1754. collocata manet in Ara SS. Trinitatis.

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM HUJUS CONVENTUS.

1634. P. Ambrosius Gyongyossienſis.
1638. P. Michaël de Somlyo Guard.
1640. P. Albertus Bathai.
1641. P. Fulgentius Miticzki.
1644. P. Adalbertus Mocsár.
1646. P. Ludovicus Lendvai.
1647. P. Valerianus à S. Cruce.
1651. P. Michaël Szegedi.
1656. P. Bartholomæus Kolosvári.
1657. P. Nicolaus Baróthi.
1659. P. Didacus Czandler.
1660. P. Basilius Dezericzki.
1661. P. Simon Szakolczenſis.
1663. P. Bartholomæus Kolosvári.
1665. P. Timotheus Lapasovszky.
1667. P. Tiburtius Hermanienſis.
1668. P. Timotheus Lopasovszky.
1669. P. Sigismundus Vigasd.
1672. P. Simon Szakolczenſis.
1673. P. Arsenius Diósſi.
1674. P. Timotheus Lopasovszky.
1675. P. Franciscus Tarnóczi.
1676. P. Joannes Ziveczky.
1677. P. Michaël Kuratóczi.
1678. P. Bartholomæus Klobucsky.
1679. P. Ferdinandus Egyegi.
1681. P. Franciscus Endresz.
1684. P. Paulus Szegedi.
1687. P. Dionysius Keleſſi.
1688. P. Alexius Fekete.
1689. P. Arsenius Diósſi.
1690. P. Carolus Kubovics.
1691. P. Bernardus Lessenyi.
1692. P. Arsenius Diósſi.
1693. P. Antonius Emerici.
1694. P. Gregorius Erdös.

1695. P. Joſephus Biró.
1696. P. Joſephus Fodor.
1697. P. Joſephus Biró.
1698. P. Alexius Fekete.
1699. P. Alexander Hetényi.
1700. P. Alexius Fekete.
1702. P. Gregorius Erdös.
1703. P. Sylveſter Vaſs.
1705. P. Chriſoſtomus Szalkai.
1708. P. Fortunatus Füczén.
1710. P. Alexius Fekete.
1711. P. Chriſoſtomus Szalkai.
1712. P. Nicolaus Nagy.
1714. P. Sylveſter Vaſs.
1717. P. Michaël Móra.
1718. P. Fortunatus Füczén.
1720. P. Capiſtranus Terenyei.
1722. P. Michaël Schindler.
1723. P. Bruno Mocsko.
1724. P. Emericus Ragyóczi.
1726. P. Laurentius Piſſoff.
1728. P. Hyacinthus Kubicſek.
1729. P. Wolffgangus Nemecskai.
1732. P. Ludovicus Schmidek.
1734. P. Bernardinus Polakovics.
1735. P. Adalbertus Majno.
1738. P. Ferdinandus Fiala.
1741. P. Felix Lukovics.
1742. P. Innocentius Geisler.
1743. P. Emericus Sveſztka.
1744. P. Emericus Mádai.
1745. P. Emericus Sveſztka.
1746. P. Bernardinus Polakovics.
1749. P. Nepomucenus Kontur.
1751. P. Nicolaus Victor.
1754. P. Gaudentius Jablonsky.
1755. P. Juſtus Fridrikovsky.
1757. P. Amantius Jerabek.
1758. Idem.

VIII. CONVENTUS CREMNICIENSIS AD S.P.N. FRANCISCUM STIGMATIBUS INSIGNITUM.

§. I.

De Civitate Cremnicienſi, Noſtrûmquè prima in eam Introductione.

Cremnicii Civitas Regia Metropolis Montanarum.

N. 90. CIvitas Cremnicienſis, etſi in ſe ſat parva, Regia tamen, & Libera eſt, primúmque Civitatum Montanarum rudimentum, inſuper à metallorum principe auro (quo univerſam ferè Europam locupletat) ubique locorum nominatiſſima. Nomenclaturam, originemque ſuam Civitatem hanc ſumpſiſſe, Lazius dicit à populis Craniis. Ptolomæus verò à Vindis, Vendis, ſeu Vandalis ab incunabulis inhabitatam aſſerit. Addunt alii, ſucceſſu temporis, à Saxonibus, è patriis ſedibus ob rebellionem pulſis, & ad excolendas minerarum fodinas maximè idoneis, occupatam.

Eius nomenclatura.

Porrò Civitas hæc, ſicut dignitate inter Montanas Civitates prima, ita in ſectandis Lutheri erroribus fuit præcipua, ita ut non tantùm Cives plerique, ac Magiſtratus, verum & ipſi Officiales Cámerales non pauci, eodem eſſent infecti errore. Nulla hic pro Catholicis, ad peragenda Divina publica Sacra Ædes, in domo monetoria ſolummodò ſuam peragere devotionem ſunt permiſſi.

Hæreſi infecta.

Miſerando huic Orthodoxæ Religionis ſtatui pro ſui officii munere miſertus, Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Archi-Præſul Strigonienſis Georgius Lippajus, poſtquam PP. Societatis JEſu, Neoſolium invexiſſet, ad Fratres noſtros, in hanc Civitatem inducendos, ſuos convertit cogitatus, ſpem habens optimam, uberes, ex eorum in Vinea Domini labore, ſe proximè viſurum fructus.

Georgius Lippai Ep. es Min. huc illocare intendit.

N. 91. Priùs igitur devotiſſimus Archi-Præſul de comparando commodo, pro Fratrum habitatione cogitat loco, hinc primò cum Capitulo Strigonienſi de domo in Civitate exiſtente, & ubi nunc compendioſa Conventûs cernitur Eccleſia, ſibi vendenda tranſigit, & cùm hanc pro Eccleſia, & Conventu minimè ſufficientem videt, etiam vicinas ædes Vengerianas dictas, conſtitutô exolvit pretiô. Furit ad hæc heterodoxus Senatus Cremnicienſis, quare communicatô cum aliis Civitatibus Montanis conſiliô, contractum emptæ domûs Vengerianæ illegitimat, ipsámque violenter occupat.

Archi-Epiſcop. imò Domum Capituli, dein Wengerianam emit, ſed hæretici contrariantur.

Commodè, annô eodem, quô hæc acta ſunt nempe 1649. Regni Comitia celebrabantur, ad quæ, cùm temerarium illum Cremnicenſium auſum, Illuſtr. D. Archi-Præſul retuliſſet, ſequentis Nrô. 23. Articuli condendi author fuit: *Quoniam verò Libera Montana Civitas Cremnicienſis, certam domum, per Illuſtriſſ. D. Archi-Epiſcopum Strigonienſem, à Circumſpecto Michaële Wenger, in, & pro duobus millibus florenorum Hung. in eadem Civitate comparatam, & aliquot menſibus, per homines ejusdem Domini Archi-Epiſcopi realiter poſſeſſam, ſine omni ipſius D. Archi-Epiſcopi, & hominum ſuorum certificatione, occupâſſe, & ad requiſitionem authenticam, reſtituere noluiſſe, atque eô modô emptionem præfatæ domûs impediviſſe dignoſcitur, idcirco ſtatuunt Regnicolæ, ut juxta Artic. 13. anni 1608. ante coronationem, & Art. 44. anni 1609. & Art. 21. anni 1635. & Art. 78. anni 1647. idem D. Archi-Epiſcopus, contra memoratam Civitatem, per unum ex Magiſtris-Protonotariis, tam de reſtitutione domûs ipſius occupatæ, quàm de pœna in præcitatis Articulis ſuperinde ſancita, peremptoriè, cunctisque juridicis remediis ſemotis procedere, & executionem habere poſſit.*

Regni Comitia celebrantur, in quibus contra Cremnicienſes art. 23. conditur.

Cremnicienſes artic. illum evertere conantur.

N. 92. Hic articulus Cremnicienſibus plurimùm diſſipuit, unde evertere eum variis modis, convocando etiam reliquas Civitates Montanas conſilii dandi gratiâ, conantur, ſed pientiſſimus Archi-Præſul, humanitate magis, quam pœnis in citatis articulis taxatis, eosdem vincere ſtudet. Et licèt voluntati ejus nondum ſatisfactum eſſet, Ipſe tamen Fratres noſtros Galgocziô, Cremnicium evocat. Deputatus fuit à Provincia M. V. P. Vitus Burganovski Moravus, Provinciæ Diffin. act. cum duobus Sociis, nempe Patre Ægidio Roſtok Sileſio, & Fratre Pacifico Egegyi Laico, qui obedientiâ, & benedictione à P. Miniſtro Provinciali accepta Galgocziô moventes die 26. Menſis Dacembris ejusdem anni nempe 1649. Cremnicium appulerunt quidem, ſed ab hæreticis Civitate excluſi, in Molendino Archi-Epiſcopali aliàs libero extra Civitatem conſtiterunt.

Archi-Ep. noſtros Cremniciũ evocat.

Ex noſtris terni Cremnicium veniunt, ſed ad Civitatem non admittuntur.

N. 93. Satis diu, à die nempe præfata uſque ad diem 2. Januarii anni 1651. hoc ſtreperum habitaculum, tanquam peregrini, & advenæ, incolere neceſſitati fuerunt Fratres prænominati, victum neceſſarium Illuſtr. D. Archi-Præſule indulgentiſſimè præbente, intra hoc verò tempus ludibria opprobria non pauca, luti, lapidumque impetitiones ab hæreticis toties perpeſſi, quoties in publico ſe videri ſunt paſſi. Tempore verò mox prædicto ad domum Piſetariam, in ipſa Civitate conſtitutam, per Illuſtr. D. Archi-Epiſcopum, adhibito quodam pio prætextu ſunt introducti, nec inde exire (licet id hæretici ſummoperè cuperent) uſque ad fundi Controverſi traditionem ſunt permiſſi.

Tandem ad domum Piſetariam introducuntur.

§. II.

Domus Wengeriana Archi-Præſuli, & per eum Fratribus conſignatur, & vi Regii Mandati ab omnibus Oneribus eximitur.

IN domo Piſetaria prædicta non diu mansêre Fratres noſtri, tandem enim, poſt multas malevolas, & validas, ab Adverſariis practicatas oppoſitiones, & contra ſupra relatum 23. in Comitiis Poſonienſibus, annô 1649. conditum Articulum, multifariam poſitas contumaces exceptiones, ad amicabilem tranſactionem Domûs Wengerianæ eſt deventum, dum nempe annô 1651. die 2. Februarii, Senatus Cremnicienſis heterodoxus, correctus, & ad humanitatem, atque obedientiam, quam abjecerat, authoritate Regni, & Regis adactus, in Oppido S. Crucis dicto, præſenti Archi-Epiſcopo per deputationem Magiſtratualem, à controverſa domo Wengariana claves ſolemniter, & officiosè conſignavit.

Senatus Cremnic. Archi Ep. claves Domûs Wengerianæ tradit.

Quibus acceptis, ne fors Lutheranis, occaſio detur deinceps adversùs Fratres noſtros ſæviendi, aut eos ratione ſæpiùs dictæ Domûs Wengerianæ, quoquo modo turbandi Providiſſimus Archi-Præſul, & Benigniſſimus Fundator noſter, Teſtimonium acceptationis dati eatenùs Mandati Regii à Senatu Cremnicienſi benignè urſit, quam etiam, mox die 27. Februarii idem Magiſtratus ad magnam devotorum Catholicorum conſolationem extra dedit tenoris ſequentis:

A quibus Teſtimonium traditionis exigitur.

Nos N. Judex, & Jurati Cives, Regiæ, Liberæque Montanarum primariæ Civitatis Cremnicienſis, notum facimus præſentium tenore ſignificantes, quibus expedit Univerſis, quòd Egregius Joannes Szőlőſſy Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſ. Domini, Domini Georgii Lippay de Zombor, Archi-Epiſcopi Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis, Locíque ejusdem Comitis perpetui, Primatis Hungariæ, Legati Nati, Summi, & Secretarii Cancellarii, ac Conſiliarii Intimi &c. &c. Proviſor Bonorum S. Crucis, ac Piſetarius, die 27. menſis Februarii anni nunc currentis Milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi primi, coram nobis conſtitutus exhibuit, & produxit litteras Sacratiſſimi Principis, ac Domini Domini FERDINANDI III. Divinâ favente Clementiâ, Electi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, Archi-Ducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ &c. Domini Domini Noſtri Clementiſſimi, Exemptionales, per manus Reverendiſſimi Domini Georgii

Sze-

Szelepcsény Episcopi Nitriensis, Locique ejusdem Perpetui Comitis, Consiliarii, & Aulæ Sacratissimæ Regiæ Cancellarii, Viennæ Austriæ die 29. mensis Decembris Annô Domini Millesimô sexcentesimô quinquagesimô emanatas, super domo Wengeriana, inter mœnia Civitatis nostræ sita, in Comitatu Barsiensi existenter habita, ac ab Illustrissimo, Reverendiss. Domino Domino Georgio Lippay, Archi-Episcopo Strigoniensi, à Michaële Wenger empta, quatenas prædicta domus Wengeriana, ab omnibus censuum, Taxarum tam Regiarum, quàm Civilium oneribus exempta, atque immunis omnimodè habeatur, quarum quidem litterarum exemptionalium tenor talis est:

Nos FERDINANDUS III. DEI Gratiâ Electus

Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Rex, Archi Dux Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Marchio Moraviæ, Dux Luxenburgæ, ac Inferioris, & Superioris Silesiæ, Virthenbergæ, & Thekæ, Superioris, & Inferioris Lusatiæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, & Goritiæ &c. &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit universis, & singulis, quòd cùm fidelis Noster nobis sincerè dilectus, Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Georgius Lippay de Zombor, Archi-Episcopus Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis, Locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Hungariæ, Legatus Natus, Summus, & Secretarius Cancellarius, ac Consiliarius noster Intimus, certam domum Wengerianam dictam in Libera, Regiáque, & Minerali Civitate nostra Cremnicienſi, propriis suis sumptibus pro Ecclesia emerit, & comparaverit, quæ etiam per fideles nostros Status, & Ordines Regni nostri Hungariæ, in novissimè celebrata Eorundem Dicta Posonienſi, simul, & per Tabulam Nostram Regiam, in proximè evolutis octavalibus judiciis Eidem adjudicata sit; Nos quoque pro singulari nostro erga incrementum Religionis affectu, & zelô, pium hoc, & salubre ejusdem Archi-Episcopi studium, & propositum Regiâ benignitate fovere, promoveréque volentes, de Regiæ nostræ Potestatis plenitudine, quâ, & Prædecessores nostri felicis memoriæ, & nos in Liberis Regiis Civitatibus Regni Nostri Hungariæ, sicut personas ignobiles, ità domos civili servituti subjectas, tanquam immediati, & Supremi Domini Terrestres Regiarum Civitatum, nobilitari prærogativâ insignire possumus, & consuevimus, eandem totalem domum Wengerianam dictam, in præfata Civitate Nostra Cremnicienſi sitam, & in Comitatu Barsiensi habitam, unà cum cunctis ejusdem domûs utilitatibus, & pertinentiis quibuslibet, quovis nominis vocabulô vocitatis, à solutione, & administratione omnium, & singulorum censuum, Taxarum, & impositionum, contributionúmque ordinariarum, & extraordinariarum, Regiarum pariter, & colonicalium; Subditorum item, lucri Cameræ nostræ, nec non laborum, servitiorum, & vecturarum, onerum Civilium præstatione, & exhibitione nobis, vel ad dictam Cameram nostram, de eadem domo, ejusdémque quibusvis attinentiis, quomodocunque temporum in processu exhibere, provenire, ac præstari debent, ex gratia nostra speciali in perpetuum clementer eximendam, supportandam, ac nobilitandam duximus, imò eximimus, libertamus, supportamúsque, & nobilitamus præsentium per vigorem. Quocirca Vobis fidelibus nostris Egregiis, & Nobilibus Magistro, Præfecto, & cæteris Cameræ nostræ Hungaricæ Consiliariis, item Comiti, Vice Comiti, & Judicibus Nobilium dicti Comitatûs Barsiensis, nec non Dicatoribus, & quorumlibet servitiorum, ac solutionum Exactoribus, item Judici, & Juratis Civibus memoratæ Civitatis nostræ Cremnicienſis, modernis, & futuris, harum Serie firmiter committimus, & mandamus, quatenus amodo, & imposterum, antefatum Archi Episcopum Strigoniensem, ratione præfatæ domûs, ad solutionem censuum, taxarum, & contributionum nostrarum Regiarum, sive ordinariarum, sive extraordinariarum, ac aliarum quarumlibet exactionum, & servitiorum, item laborum, onerúmque Civilium, & servitiorum præstationem, contra formam præmissæ gratiæ, exemptionis, liberationis, supportationis, & Nobilitationis nostræ arctare, & compellere, vel ipsum propterea quovis modô impedire, turbare,

bare, & damnificare nusquam, & nequaquam præsumatis; quin hanc ipsam gratiosam exemptionem, & Nobilitatem nostram, ei præmissam, factam, & concessam, firmiter, & inviolabiliter semper, tam Vos ipsi observare, quàm per alios omnes, quorum interest, vel intererit, observari facere debeatis, & teneamini, secùs nullatenus facturi. Præsentes verò, quà secretô Sigillô nostro, quò ùt Rex Hungariæ utimur, in pendenti communiri fecimus, post earum lecturam reddi volumus, & jubemus præsentanti. Datum in Civitate nostra Vienna Austriæ die Vigesimô nonô Decembris, Annô Domini Millesimô sexcentesimô quinquagesimô, Regnorum nostrorum Romani decimó quartô, Hungariæ, & reliquorum Regnorum nostrorum Vigesimô quintô, Bohemiæ verò Annô Vigesimô tertiô.

FERDINANDUS

Georgius Szelepcsény
Episc. Nitriensis.
Andreas Rutkai.

Quia verò prædictus Nobilis, ac Egregius Joannes Szölössy, nomine Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Strigonienſis, super productis Litteris exemptionalibus causâ ante fatæ domûs Wengerianæ emanatis, sub Civitatis nostræ usuali Sigillo Litteras testimoniales sibi dari postulavit, nobis etiam per suam Sacratissimam Cæsareo-Regiam Majestatem, per speciale Mandatum, causâ exemptionis prætactæ domûs Wengerianæ benignissimè demandatum sit; Itaque Suæ Sacratissimæ Cæsareæ Regiæ Majestatis, Domini Domini nostri Clementissimi, benignissimô Mandatô, ac Litteris exemptionalibus debitâ cum Observantia, humillimáque cum subjectione receptis, ac acceptatis humillimè obsequentes, sæpè dictam domum Wengerianam, ab omni solutione, & administratione omnium, & singulorum censuum, taxarum, impositionum, contributionúmque Regiarum, ac aliorum etiam quorumlibet onerum, & impositionum Civilium exemptam, & immunem, vigore præsentium pronuntiamus, & eximimus, super qua exemptione Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Domino Georgio Lippay de Zombor, Ecclesiæ Metropolitanæ Srrigonienſis Archi-Episcopo, Litteras nostras testimoniales, Sigillô Civitatis nostræ Cõmunitas extradandas duximus. Actum Cremnicii die 27. mensis Februarii Annô 1651.

Domus olim Capitularis, & Wengeriana per Archi-Episc. nostris cõsignatur.

N. 94. Postquàm, tam Testimonium hoc extradatum, quàm Claves sæpè dictæ Wengerianæ Domûs, Illustr. Domino Archi-Episcopo admanuatæ fuissent, Ipse personaliter ex Oppido S. Crucis Cremnicium advenit, & præsenti R. P. Valeriano à S. Cruce, hujus Provinciæ Custodi, ad perspiciendum, & acceptandum locum exmisso, Domum Ven. Archi-Capituli Strigonienſis, jam Archi-Episcopo transcriptam, cum dicta Domo Wengeriana, in usum erigendi Templum, & Conventum gratiosissimè consignavit: Ipse verò R. P. Custos nomine, & authoritate Provinciæ cum demissa gratiarum actione acceptavit. Sed neque hoc contentus, Beneficentissimus Archi-Præsul, verùm, ut quantociùs Domus Wengeriana pro Religiosorum habitaculo instruatur, author fuit, quod ad diem 3. Maji anni 1653. utrumque peractum est. Adaptatis denique successu temporis omnibus, quæ ad formatum Conventum necessaria sunt, Locus hic, priùs Residentiæ nomen habens, tandem Annô 1659. in formalem Conventum est elevatus, in eóque Proto-Guardianus R. P. Vitus Burganovski institutus.

Domus Wengeriana adaptatur, in Residentiam.

Quæ dein titulo Conventus decoratur.

Porrò, tota hujus ædificii structura, duarum aliàs Contignationum, tribus tantùm tractibus constabat, quorum primus Civitatem, alter Ecclesiam, tertius aream, & murum Civitatis respiciebat. In toto autem tractu superiori Cubicula 10. in inferiori verò duo tantum, præter Refectorium, Culinam, & Dispensam, continebat. Cùm igitur processu temporis, Fratrum nostrorum numerus, pro uberiore Vineæ Domini cultura, necessarius augeretur, etiam ædificium necessariò augendum fuit. Hinc primò Tractui forum Civitatis respicienti, super-

Conventus augetur.

perædificatæ ſunt in duas partes Cubicula ſeptem, licèt nunc factis in quibusdam Cubiculis præcluſuris, decem numerentur. Demum pro commodiori per Conventum tranſitu, cum Magiſtratûs hujatis annuentia (licèt hæretici adverſarentur) quartus quoque in loco plateolæ inter Conventum, & Domum vicinam ſitæ, uſque ad ipſos Civitatis muros, longus, licèt cellis vacuus extructus eſt tractus, quo tamen tempore hæc acciderant, nîl annotatum reperitur. Conſtat verò de Refectorio, quod annô 1707. ſuam acceperit amplitudinem. Uti etiã Refectorium.

N. 95. Rurſus autem auctâ magis FamiliâReligiosâ ſupplicatum fuit Ampl. Magiſtratui pro indulgentia, ut ad ipſum quoque Civitatis murum, Conventui plane vicinum, ædificium ampliare liceret, quâ habitâ fundamentum pro 7. Cubiculis poſitum eſt die 13. Martii annô 1733. ſícque brevi auctus Conventus 7. cellulis Religioſis, principali Patrono Illuſtriſſ. D. Joſepho Andrea Wentzl L. B. de Sternbach, Montanarum Civitatum Supremo Directore, aliísque Benefactoribus. Conventus iterum 7. Cellis augetur.

§. III.

De Eccleſiæ Structura, Conſecratione, & moderna ejus Conſtitutione.

N. 96. POſtquàm toties memorata Domus Wengeriana in Fratrum habitaculum converſa, & debitè pro illa circumſtantia temporis inſtructa fuiſſet, quod annô 1653. eveniſſe ſupra dictum eſt, eodem annô Eccleſiæ ſtruendæ manus admota. Etſi verò pro imponendo primo lapide fundamentali, determinata fuerit per Illuſtriſſ. D. Fundatorem dies 16. Februarii, unde etiam Inſcriptio ſequens lapidi impoſita: *Annô Domini 1653. die 16. Februarii, hic lapis fundamentalis impoſitus eſt, ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Georgio Lippai Archi-Epiſcopo Strigonienſi &c. Eodemmet Fundatore &c.* nihilominùs infirmitate præpeditus Idem Illuſtriſſ. D. Fundator, primò die 24. ejusdem menſis, & anni, dictum primum lapidem fundamentalem, ad Gloriam Omnipotentis DEI, & honorem B. V. MARIÆ, ac S. P. N. Franciſci Chriſti Stigmatibus inſigniti, imponere potuit, impoſuítque omni, qua decebat Solemnitate, ad commotionem ipſorum etiam heterodoxorum, Sacras Ceremonias cum maxima admiratione ſpectantium. Eccleſiæ Structura inchoatur. Lapis fundamentalis imponitur.

Cæterùm hæc Eccleſiæ Structura, induſtriâ, & vigilantiâ Perill. ac Generoſi D. Joannis Szölloſſy prælaudati Illuſtriſſ. D. Archi Epiſcopi Bonorum Sancto-Crucenſium Proviſoris, tantum uſque ad diem 26. Junii, anni 1654. accrementum accepit, ut tota Sacra Supellex ad novum Sacrarium transferri potuerit. Denique tota Eccleſia intra annos ſeptem (ut traditio Seniorum habet) ad debitam perducta eſt perfectionem, habens longitudinis orgias 14 latitudinis ſex, altitudinis verò quinque, & quatuor pedes. Septem anni perficiuntur.

N. 97. Interim Populo Catholico ſenſim accreſcente conſultatum fuit, tam de amplificatione Sanctuarii, tam de Chori Fratrum translatione, atque etiam novi Sacrarii erectione. Ut igitur Sanctuarium magis amplum, & Fratribus pro dicendis Horis Canonicis, & aliis Divinis Laudibus perſolvendis locus aptior, Eccleſia denique major, & lucidior redderetur, P. Ambroſius Gaſtll Guard annô 1702. primævum Sanctuarii murum Mænia Civitatis reſpicientem cum antiquo aliâs exiguo Sacrario, ruinando, modernum è fundamentis cum 4 feneſtris quadratis erigere cœpit, continuavítque, uſque dum ad debitam una cum novo Sacrario, *vulgò Sacriſtia*, ad debitam perduceret perfectionem. Principaliores hujus Operis, uti etiam inalbationis totius Eccleſiæ, Patroni, & Benefactores fuére: Perill. D. Joannes Georgius Freizeizen hujatis Cameræ Perceptor, & Perill. D. Martinus Joſephus Savervein, ejusdem Cameræ Rationiſta, teſtantibus id ſcriptis prælibati P. Guardiani Ambroſii Gaſtll. Deſtructo antiquo Sanctuario novum erigitur una cum Sacriſtia. Patroni pro ædificio.

Porro Eccleſiam hanc fuiſſe conſecratam die 19. Septembr. an. 1715. patet ex Teſtimonio Epiſcopi Conſecrantis, ſequentis tenoris:

Confecrationis Eccleſiæ Teſtimonium.

Nos LUCAS NATALI, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Belgradienſis, inter Savum, Dravum, Danubium & Tibiſcum, Temeſvarinum uſque inclusivè Vicarius Apoſtolicus, Eminentiſſimi, ac Sereniſſimi Domini Domini Chriſtiani Auguſti S. R. E. Cardinalis de Saxonia, Archi-Epiſcopi Strigonienſis &c. per Archi-Diœceſim cum plenitudine poteſtatis Suffraganeus.

NOtum facimus Omnibus, & Singulis cujuſcunque gradûs, conditionis, & dignitatis ſint, qualiter die 19. menſis Septembris, anni 1715. conſecravimus Eccleſiam Conventûs Cremnicienſis Ord. Min. in honorem S. Franciſci Seraphici, Sacris Stigmatibus inſigniti, ac pro Anniverſario Dedicationis ſingulis annis celebrando. Dominicam Primam poſt Feſtum Sacrorum Stigmatum determinavimus. In cujus rei fidem has manu noſtra ſubſcriptas, & proptiô Sigillô munitas, & roboratas dedimus Cremnicii die 23. Septembris Annô 1715.

(L. S.) Lucas Natali.

Sola Eccleſia conſecrata non verò Altaria. 5. item Campanæ benedictæ.

Ex quo liquet Eccleſiam duntaxat fuiſſe conſecratam annô, menſe, ut ſup. non autem Aras ob defectum Sacrarum Reliquiarum, benedictæ tamen eodem tempore fuêre ab eodem Epiſcopo Suffraganeo quinque Campanæ, quarum tres ſunt in Turri majori, duæ verò in lignea turricula, ſupra Chorum Fratrum per Ambroſium Gaſtll, una cum Sanctuario erecta, ſunt collocatæ.

Numerus Altarium.

Eccleſia moderni Statûs quinque Aris ornatur: *Prima* ſeu Summa dicata eſt S. P. Franciſco Stigmatizato. *Secunda* eſt S. Crucis, Fratrum Tertii Ord. de Pœnitentia annô 1740. menſe Decembri erecta, ac poſt paucos annos debitè colorata. *Tertia* B. V. MARIÆ. *Quarta* S. Antonii Paduani, Privilegiata. *Quinta* S. Michaëlis Archangeli ab Illuſtr. D. Joſepho Andrea Wentzl Lib. Barone de Sternbach erecta.

Duplex Chorus.

Duobus autem inſtructa eſt Choris, unus poſt Altare Majus ſervit pro Fratribus Divinas Laudes cantantibus, alter verò ſupra Eccleſiæ portam; pro Muſicis figuralibus, ab Imperatore Leopoldo I. fundatis, in quo habetur elegans Organum 18. mutationum à Fr. noſtro Peregrino Verner extructum. Suggeſtus Concionatorius, ùt antiqua teſtantur Manuſcripta annô 1703. eſt appoſitus.

Congregationes S. Franc. & S. Antonii.

Item Tertius Ordo.

Duæ in hac Eccleſia ſuum habent Exercitium Confraternitates, nempe Chordigerorum S P. N. Franciſci, & S. Antonii de Padua. Viget pariter Tertius ejuſdem S. Patris Ordo de Pœnitentia dictus, ab anno 1734. in quem non modo Cremnicienſes, ſed etiam Vicinarum Civitatum, & locorum Cives frequentiſſimi in dies adſcribuntur. Ad hæc omnia accedit Via S. Crucis, ſingulis Novilunii Dominicis, cum conſueta Solemnitate peragi ſolita.

§. IV.

De Acquiſitione Domûs Kormendianæ Eccleſiæ vicina, & de Adminiſtratione Xenodochiali.

Iteratò de Eccleſiæ amplificatione deliberatur.

N. 98. QUandoquidem operante Spiritûs S. gratiâ, non pauci, tam in hac Civitate, quàm in vicinia, Lutheri errores ejurantes, ac veram, & orthodoxam fidem amplexantes, ad hujus Conventûs Eccleſiam, è variis locis, pro Miſſis, & Concionibus audiendis, item Sacramentis frequentandis longè plures modo, quàm antea convenirent, in tantùm, ut moderna Eccleſia, licet aliquantum aucta, ſæpè tamen confluentem populum devotum capere non valeret, cogitatum fuit, qualiter magis adhuc ampliari poſſet, ſícque commoditati populi confluentis ſubveniretur.

Comparatur Domus Kormendiana.

Et ecce bonum eis incidit Conſilium, ut domus Eccleſiæ vicina olim quidem Kajſeriana dicta, pro tempore autem à Perill. D. Antonio Körmendi Montium Magiſtro, ejúsque Conſorte Suſanna Euphroſina Roth poſſeſſa, compararetur quod etiam

etiam annuentibus dictis Poſſeſſoribus brevi factum eſt, perſolutis eisdem 2000. florenis, & aſſumpta obligatione 12. Miſſæ Sacrificia quotannis abſolvendi, in ſortem 600. florenorum ſuper bis mille petitorum. Contractus inter D. Syndicum Apoſtolicum, & domûs venditorem initus, etiam Regio Diplomate, modo feliciter regnantis Mariæ Thereſiæ Reginæ Hung. annô 1749. confirmatus, & in Prætoria hujus Civitatis domo, Protocollo ejusdem inſertus eſt.

Ex qua ut Capella Lauretana extruatur, intenditur.

Interim etſi hæc domus, Conventui ampliando (in ejus námque fundo Cellæ aliquot pro Fratribus ad murum Civitatis ſunt extructæ) uti, & areæ Conventus (ad quam perfractis quibusdam muris porta major facta) non parum profuerit, Eccleſia tamen nullum hactenus conſecuta augmentum; ſed primò de Capella Lauretana ex eadem domo efformanda (ad quam perfracto ex latere Eccleſiæ muro ingreſſus patebit) ſeriò agitur. Deus ſecundet intentiones bonas pro honore B. V. MARIÆ Lauretanæ.

Adminiſtratio Parochiæ Slavonicæ extra Civitatē nobis concredita.

N. 99. Quantum ad 2. tituli hujus §. partem, obſervandum eſt, in Suburbanis hujus Civitatis extare quandam Eccleſiam Xenodochialem, in qua jam olim diſtinctus ab Urbano Parochus, nationi Slavonicæ Sacramenta adminiſtrare, & cæteras functiones Parochiales obire ſolebat. Poſtquàm verò Fratres noſtri Cremnicium adveniſſent, hujus Parochiæ adminiſtratio noſtris concredita fuit, quo quidem primùm tempore ignoratur; id certum eſt, quod annô 1680. per Illuſt. & Reverendiſſ. D. Georgium Szelepcsény Archi-Epiſcopum Strigonienſem in eadem functione confirmati ſint Patres noſtri, Munúsque Parochiale ex parte Slavonicæ nationis in dicta Eccleſia obibant, uſque ad annum 1753. absque omni contradictione, in quem finem duo hic Concionatores Slavonici interteneri debuerunt.

Annô 1753. adempta.

Verùm annô mox dicto nempe 1753. plurimùm operante Reverendiſſimo D. Civitatis hujus Plebano, Domino Michaële Kiovski, hæc adminiſtratio per Conſiſtorium Tyrnavienſe nobis eſt adempta, & eidem Reverendiſſimo Domino attributa.

Cum Parochia etiam Domunculā Suburbana a nobis accepta, ſed loco ejus novus fundus aſſignatus.

Quia verò ablata à nobis hujusmodi Adminiſtratione, domunculam quoque in Suburbio inferiori, pro Conventus neceſſitate olim per Magiſtratum extructam, idem Reverendiſſimus Dominus ſibi vendicavit, neceſſitati fuêre Fratres ſupplicare Ampl. Magiſtratui pro alio fundo, in quo ejusmodi hoſpitiolum, variis neceſſitatibus deſerviens conſtruere poſſint. Favit petitis Ampl. Magiſtratus, & fundum cum perpetua ceſſione aſſignavit, cujus authentica copia in Archivo Conventûs conſervatur.

Fundus hic benedicitur & primus lapis pro erigenda domo imponitur.

Obtenta autem ceſſione, & à quibuslibet oneribus fundo hujusmodi inhærentibus exemptione, Fratres die 28. Junii annô 1753. locum benedixerunt, & primum lapidem pro domunculæ extructione impoſuerunt, accluſis ei in capſula laminea Sacris Reliquiis & ſequenti adnotatione: *Annô Domini 1753. ſub judicatu D. Chriſtiani Bukovai, aſſiſtente Ampl. Magiſtratu, donatus eſt nobis Franciſcanis hìc exiſtentibus, & extituris hìc fundus. Guardianus eò tum fuit Pr. Fr. Urbanus Fridrich, Vicarius, P. Cherubinus Peciena, Philoſ. Lector. P. Euſtachius Blahutka, Concionatores, P. Benedictus Hitſch, P. Conſtantinus Bukovai, & P. Joachimus Grantner, Syndicus Apoſtolicus Perill. D. Matthæus Windiſch, Cæſareo-Regiæ Cameræ Cremnicienſis Monetarum Cenſor, ſeu Vardein, Subſtitutus ejus D. Haurik Monetarius. Specialis verò Patronus Perill. D. Antonius Körmöndi Sac. Cæſ. Reg. Majeſt. Montium Magiſter, quem DEUS benedicat.* Quo facto brevi parvula quidem, at pro noſtris neceſſitatibus multùm commoda exurrexit domuncula. Et hæc pauca ſunt, quæ de hoc Conventu dicenda erant nunc Nomina eorum, qui hunc Conventum rexêre, veniunt adnotanda.

NOMINA SUPERIORUM CONVENTUS.

Annô
1650. P. Vitus Burganovski.
1653. P. Ægidius Roſtok.
1654. P. Balthaſar Carnovienſis.
1655. P. Vitus Burganovski.
1656. P. Ambroſius Podiebradski.
1659. P. Vitus Burganovski 1. Guard.
1660. P. Franciſcus Koſſinus.
1663. P. Andreas Oroſzi.

Huic annô 1664. die 27. Maji defuncto, ſucceſſit:

1664. P. Ambroſius Podiebradski.
1665. P. Joannes Kaderlauff.
1667. P. Ambroſius Podiebradski.
1668. P. Ægidius Roſtok.
1669. P. Ambroſius Trettin.
1671. P. Vitus Burganovski.
1672. P. Daniel Vayman.
1674. P. Ambroſius Podiebradski.
1675. P. Vitus Burganovski.
1676. P. Nicolaus Fritſch.
1677. P. Franciſcus Voglenus.
1678. P. Balthaſar Becker.
1679. P. Joannes Manak.
1681. P. Leopoldus Mayer.
1684. P. Ambroſius Podiebradski.
1685. P. Benedictus Schema.
1686. P. Ladislaus Radoſini.
1687. P. Iſidorus Kriz'idovski.
1689. P. Joannes Götz.
1690. P. Ambroſius Gaſtll.
1692. P. Michaël Niederajter.
1693. P. Ambroſius Gaſtll.
1699. P. Antonius Waldtreich.

Annô
1701. P. Godefridus Mayer.
1702. P. Ambroſius Gaſtll.
1708. P. Cyprianus Machacſek.
1710. P. Antonius Waldtreich.
1711. P. Georgius Bertholdt.
1712. P. Jacobus Hartll.
1713. P. Jacobus Nasll.
1718. P. Patritius Haberle.
1719. P. Antonius Waldtreich.
1722. P. Patritius Haberle.
1723. P. Antonius Waldtreich.
1726. P. Maximilianus Rözler.
1728. P. Benedictus Sajler.
1729. P. Conſtantinus Peverelli.
1732. P. Ambroſius Mertz.
1734. P. Mauritius Privorski.
1735. P. Ambroſius Mertz.
1736. P. Matthæus Motzak.
1737. P. Urbanus Fridrich.
1741. P. Ludovicus Kratochvil.
1742. P. Benedictus Majerle.
1745. P. Marcus Richter.
1746. P. Raphaël Ranner.
1747. P. Urbanus Fridrich.
1748. P. Florentius Wlcsek.
1751. P. Urbanus Fridrich.
1754. P. Albertus Prokſch.
1756. P. Urbanus Fridrich.

Qui in tertium annum continuando obiit die 22. Novembris annô 1758.

Ei verò ùt Præſid. ſucceſſit:
1758. P. Donulus Kneisl.

IX. CONVENTUS SZTROPKOVIENSIS AD SANCTISSIMAM TRINITATEM.

§. I.

De Statu Oppidi Sztropko, Conventûs in eo Origine, & Structura.

CONventus hic, ſicut in ſe exiguus eſt, utpote 13. circiter Religioſorum capax, ità pauca admodùm ſunt, quæ de ipſo referri poſſint; nihilominùs Seriei aſſumptæ inſiſtendo, primò, quam breviſſimè de Oppido Sztropko, demum de Conventûs in eodem per Noſtros acquiſitione, reſtauratione, aliísque ipſum concernentibus proponam.

Deſcriptio Oppidi Sztropko.

N. 100 Igitur Sztropko eſt Oppidum in Confinibus Comitatûs Zemplinienſis, Diœceſis Agrienſis, Poloniam versùs, in valle ſat ampla, montibus, & ſylvis undique cincta, ſituatum. Incolæ ejus potiori ex parte ſunt diverſi Opifices, ſed pauperes in gazis ligneis habitantes, totum ornatum ei præbet Conventus Fratrum Minorum, cum ſua Eccleſia, & Arx, non contemnendi operis in medio Oppidi ſituata, cum Eccleſia Parochiali, intra ſe contenta. Terreſtrem Dominum agnoſcit Comitem Sigiſmundum Pettheö de Gerſe, in Arce prædicta reſidentem.

Poſt PP. Conventuum alium diſceſſum Cõventus nobis offertur.

N. 101. Conventus paulò extra Oppidum, ad partem Septentrionalem exiſtens, ad Provinciam noſtram tali venit ordine: Poſtquàm Patres Conventuales Poloni (quos pluribus annis hic incolatum habuiſſe certiſſimum eſt) Conventum ligneum, ſuo Fundatori Excellentiſſimo Domino Comiti Sigiſmundo Pettheö, p. t. Vice-Commendanti Caſſovienſi reſignâſſent, & ſpontè loco vale feciſſent, Ipſe Excellentiſſ. Dominus nolens locum, ſemel Divino ſervitio ſacratum, vacuum manere, ad inducendum Patres noſtros ſuum convertit cogitatum, jámque habito cum Superioribus Provinciæ tractatu, ſequentem annô 1673. Patri Miniſtro Provinciali noſtro, pro tunc A. R. P. Ambroſio Podiebradski exaravit Epiſtolam:

Admodum Reverende in Chriſto Pater &c.

Litteræ C. Sigiſmundi Pettheõ Provinciali ſcriptæ.

RAtione fundationis, ſupérque negotio Clauſtri Sztropkovienſis, collocutus eram cum Paternitate Veſtra Admodum Reverenda. Itaque ego, tam ipſam fundationem incluſa ſignatura annotatam, quam etiam poſtulata mea, præſentibus incluſis transmiſi Paternitati Veſtræ; Ideoque Paternitatem Veſtram ulteriùs quoque rogatam habeo, quatenùs præmiſſæ fundationis Seriem, poſtulatáque mea, ſuperinde transmiſſa, velit Paternitas Veſtra in moderna celebranda Congregatione, ita proponere, ut eâdem, finalem, eámque optatam, poſt tantas præſtolationes meas ſortiri poſſim reſolutionem; aliàs Adm. R. Pater, idem negotium ulteriorem procraſtinationem pati minimè poteſt, egóque non poſſum ulterius præſtolari, cùm hactenus etiam in pagis circumjacentibus, plurimi infantes ſine Baptiſmo, incolæque pagorum multi ſine Confeſſione ſunt deceſſi: Realem itaque, & finalem hujus rei præſtolabor è moderna Congregatione deciſionem. In reliquo &c. Datum Taverna die 10. Junii Annô 1673.

Adm. Reverendæ Paternitatis Veſtræ

Servitor paratus

C. Sigiſmundus Pettheö m. p.

N. 102. Ex his litteris patet, nullum hoc locô, pro tempore illo extitiſſe Sacerdotem Catholicum, qui curam gereret fidelium animarum. Cæterùm etſi in Congregatione eodem annô die 29. prætacti menſis celebrata, duo Religioſi Pa-

Duo PP. huc ordinantur sed locus nondum acceptatur.

tres, nempe P. Tiburtius Hermanienſis Slavus, & P. Innocentius Páſztohi Hungarus, huc deſtinati fuiſſent, ipſe tamen locus abſolutè nondum fuit à Provincia acceptatus, ob difficultates quasdam, tum ex parte Fundationis conſtitutæ, quæ pro Perſonis 12. minùs ſufficiens videbatur, tum ex parte petitorum ab Excell. D. Fundatore, quæ cùm aliqualiter Conſtitutionibus Provinciæ noſtræ contrariari viſa ſunt, ad ea ſe Provincia obligare recuſabat.

Locus acceptatur, & novus Conventus inchoatur.

Quibus tamen nonnihil emendatis, reſciſſis nimirum ex parte Provinciæ obligationibus, quæ Provinciæ Conſtitutionibus quodammodo adverſabantur, & fundatione in quibusdam aucta, locus tandem acceptatus eſt, & annô 1674. novus Conventus opere lateritio impenſis Excellentiſſ. Domini Fundatoris inchoatus eſt, quô annô tres Patres, & unus Frater Laicus ad locum ordinati Præſidente P. Tiburtio Hermanienſi.

Ædificium Conventûs continuatur.

N. 103. Interim Excell. D. Fundatore paulò poſt, antequàm ædificium Conventûs ad perfectionem deduxiſſet, vitâ functô, licèt Illuſtr. Domina ejus Contoralis Anna Paczolth, ædificium continuaret, in eúmque ſtatum deduceret, ut annô 1677. in Capitulo die 10. Octobr. Szakolczæ celebrato, in formalem Conventum erigeretur, inſtitutô Proto-Guardianô prædictô Patre Tiburtio Hermanienſi, nihilominus tamen fundationem, à piè defuncto Fundatore pro 12. Perſonis conſtitutam, ad ſex tantumodò Perſonas limitavit, portione omnium tam in natura, quam in ære, pro veſtiendis Fratribus neceſſariò conſtitutorum, dimidiâ ſolùm aſſignatâ. Quæ ratio fuiſſe videtur, quòd in Capitulo mox prædicto ſeptem tantùm ad hunc Conventum ordinati ſint Fratres, utpote quinque Sacerdotes, & duo de numero Converſorum.

Declaratur Conventus.

Fundatio prior limitatur.

§. II.

De varia immutatione Fundationis conſtitutæ.

Obligatio nova hæredum ad pendendum fundationẽ limitatam.

N. 104. PRimis Fundatoribus, Excellentiſſimo nempe Sigismundo Pettheö, & Illuſtriſſima Domina Anna Paczolth ejus Conſorte, ex hac ad meliorem vitam translatis, remansêre quatuor Hæredes, nimirum: Franciſcus, Sigiſmundus, Ladislaus, & Stephanus, Iſti quidem an. 1686. Litteris fundationalibus de novo confectis (quæ in Archivo Conventûs conſervantur) obligarunt ſe, quod poſtquam Bona eorum ad priorem ſtatum devenerint (quæ pro hoc tempore, ob revolutiones nimiùm attenuata fuerunt) integram, à defuncto ſuo Genitore pro 12. Perſonis conſtitutam, præſtare velint fundationem, nunc verò ad illam ſolùm à Genitrice ſua Anna Paczolth pro ſex Perſonis limitatam ſe ſe obligant, quam etiam quadrifariam dividentes, ſingulus ſuam ratam exolvendam aſſumpſit.

Ob mortẽ quorundã è hæredibus variæ mutationes fundationis.

Interim demortuô paulò poſt Stephanô, relicta ejus Vidua Sancti-Monialium Cœtui adſcripta, partem Bonorum ſe ſe concernentium in Franciſcum una cum onere fundationis transtulit. Stephanum ſecutus Ladislaus, partem fundationis, relictæ ſuæ Viduæ exolvendam reliquit, quæ duæ partes labentibus pluribus annis, maximis reſtantiis intricatæ manſerunt. Denique etiam aliis duobus Fratribus nempe Franciſcô, & Sigiſmundô debitum mortalitatis ſolventibus, totum onus pendendæ fundationis in eorum hæredes, nempe Michaëlem, & Sigiſmundum devolutum eſt, & quidem Illuſtr. C. Sigiſmundus, utcunque ſuæ obligationi ſatisfaciebat, Comes tamen Michaël, de rata ſua minimè curabat, ex quo Fratres, in hoc ſatis ſterili ſolo, revolutionum præſertim temporibus, non levem in victu, & amictu patiebantur difficultatem.

C. Sigiſm. Pettheô novam cô. ſtituit fundationem.

Tandem verò, poſt alios Comite quoque Michaële vitâ functô, cùm omnium Bonorum hæres, ſolus, & unicus remaneret Illuſtr. Comes Sigiſmundus, Primi Fundatoris æquè Sigiſmundi Nepos, actu etiam vivens, hic inquam ſuorum Anteceſſorum piam voluntatem, & Conſtitutionem, irritam eſſe minimè volens, ſimul

mul expertus in præcedentibus fundationibus, confusionem fieri non minimam, novam fiendam judicavit, hâncque annô 1747. V. Diffinitorio proposuit acceptandam tenoris sequentis:

AB infra subscriptus, in me, meôsque Successores utriusque Sexûs assumptis, & levatis gravaminibus, & oneribus, universis omnibus illis, quibus hoc negotium, modò, vel insuturum competeret, dando pro notitia recognosco: quòd die, & Annô modò labente infra scripto, perspicere volens hujus Venerabilis Conventus Sztropkovienſis, à piæ memoriæ Avo meo, Excellentiſſ. Comite Sigiſmundo Pettheö introductorum Patrum, ipsis datam Fundationem, in eadem, & potiſſimum subsequentibus inter meos prædecessores interventis divisionibus, ac taliter solutionum modis, non modò confusiones numerô sufficientes, sed & Restantias ab ipsa radice inductæ Fundationis non contemnendas repererim, quæ universa computatis, & imputatis omnibus facile ad qvatuor millia Hungaricalium florenorum excurrexerint; ut autem mens, & intentio Anteceſſorum meorum, ob ejusmodi inexolutarum Restantiarum facto non frustretur (quamvis ea non meo facto evenissent) attamen hæc omnia, non modò recompensare volens, sed & futura pro cautela dicti Venerabilis Conventûs hujus, respectu summæ, ac aliquibus additis, sequentem, perpetuòque duraturam feci assecurationem, habita reflexione in solidum ad Fundationales, & mentem jam fati Avi mei, ineo: quòd Jurium, Bonorúmque purè Aviticorum, in ipsa radicali Fundatione, ratio specialiter habita extiterit; ego quoque intra Sphæram permanere volens, hanc prænominatam summàm, Rationibus ex præmissis investio in possessionem Nagy Brezznycze, cum aliis duabus Possessionibus Minyócz, & Piskérocz, in inclyto hocce Comitatu Zemplénienſi adjacentes & habitas, eô etiam additô, quòd in dicta Possessione Nagy Brezznyicze, à parte unum mille Hungaricalium florenorum Aquisitionem propriam etiam adjicio tali cum cautela, út taliter duabus ex causis, & Rationibus quinquè millium Hungaricalium florenorum summa constituta, in primis præscriptas Possessiones prævio modò per me inscripta, Virtute hic infra declarandæ conditionis maneat apud me, & Successores utriusque Sexûs, eò usque, quousque hic infra adjectum, limitatumque Deputatum in natura, secundùm suas specificationes, ego, & modo fati successores mei solvere voluerint; ubi autem à solutione casu quo illius resultum fecerint, eo in casu Dominus, Conventûs hujus Sztropkovienſis tunc existens Syndicus Apostolicus (cui eatenùs meam desuper Plenipotentiam omni meliori quô possum modo attribuo) Nomine meo, & tanquàm meus Plenipotentiarius Judice mediante ex supra fatis Possessionibus summam præscriptam, aut Deputatum infra scriptum, pro eodem Conventu desummendi plenariè habeat Authoritatem. Ex Opposito verò obligabitur sæpè fatus Venerabilis Conventus, omni septimana, ad intentionem meam, & chariſſimæ Consortis Helenæ Skavinszky determinatè duo Sacra celebrare pro felici morte; tertium verò in Domino jam mortuis Anteceſſoribus, & Consanguineis nostris, illis non indigentibus, pro Anima in purgatorio liberationi proxima, vel quæ omni juvamine destituta haberetur. In cujus majus robur, & firmitatem, dedi hasce meas litteras, Fundationem hanc prætensivè, modis cautis, & Rationibus jam præmissis corroborantes, cupiendo illius esse vigoris, ac si quôcumque Authenticô locô, aut Capitulô emanatæ fuissent. Actum Sztropkoviæ die prima Aprilis. Annô 1747

Comes Sigiſmundus Pettheö
de Gerſſe m. p.

Reposuit Venerabile Diffinitorium:

PRæspecificatam Fundationem Illustriſſimi Domini Fundatoris, cum humillima gratiarum actione acceptat Venerabile Diffinitorium Provinciæ Hungariæ Sanctiſſimi Salvatoris, in Conventu Szécsinienſi Congregatum. Conformiter autem ad institutum nostrum Franciscanum protestatur in Domino: quòd nullum Dominium, aut jus in hanc fundationem habere velit, aut intendat; sed quamdiu præfata Eleëmosyna Conventui nostro liberè præstabitur, tamdiu in Conventu nostro Sztropkovienſi, assignata tria Missæ Sacrificia hebdomadatim absolventur. Super quo Venerabile Diffinitorium sedulam appromit-

mittit Vigilantiam. Actum tempore primæ intermediæ Congregationis in Conventu Szécſinienſi celebratæ, die 23. Junii, Annô 1748.

Ad mandatum
Venerabilis Diffinitorii
Fr. Urbanus Nedeczky Prov. Secretarius m. p.

§. III.

De iterata Conventûs & Eccleſiæ reparatione, & moderna utriuſque Conſtitutione.

Conventus exuritur ſed iterum reſtauratur.

N. 105. JAm patet ex 1. §. Conventum hunc eſſe admodùm parvum, Eccleſiam quoque ipſi proportionatam, & æquè exiguam, quæ an eodem, quô Conventus tempore, exurrexerit vel jam tempore PP. Conventualium hic commorantium extiterit? ignoratur. Utrumque annô Domini 1721. die 23. Aprilis, exortum cauſaliter incendium, tectis ſpoliavit, & damnis non levibus affecit; adſtipulante tamen piorum Benefactorum manu, & munificentiâ, præſertim Illuſtriſſ. D. Fundatoris, Nobilis item cujusdam Poloni Micſinski dicti, ligna, & ſcandulas è ſuis vicinis montibus concedentis, atque aliorum, brevi omnia in ſtatum priſtinum reducta.

Conventûs Conſtitutio.

Unde Conventus hic defactò in parte ſuperiori pro Fratrum commoditate, ſeu inhabitatione habet Cubicula tredecim, in inferiore autem, præter Refectorium, Culinam, & Diſpenſam ac Sacrarium Eccleſiæ vicinum, habentur certa Conſervatoria pro diverſis Conventus rebus recondendis apta. In hoc Conventu

Nullum hic unquâ habitum Studium.

unllum Studium Litterarium habitum eſt. Etſi verò fundatio facta fuerit pro Perſonis tantùm 12. attamen, à pluribus jam annis, de ordinario 15. vel quandoque etiam 16. Perſonæ Religioſæ hunc diſponuntur, ob functiones præſertim Parochiales, quas tam hic Sztropkoviæ, quàm in aliquot vicinis pagellis obeunt Fratres Noſtri, à tempore, quô locum hunc occupaverunt. Hortum hic Conventus habet ſat amplum, Conventui vicinum, & utcunque tam arboribus fructiferis, quàm cæteris, quorum neceſſitatem Culina habere ſolet, inſtructum.

Hortus.

Altaria Eccleſiæ.

Eccleſia nondum eſt Conſecrata. Ornatur quinque Altaribus. *Primum* ſeu principale vetuſtum, dicatum eſt Sanctiſſimæ Trinitati, unde tam Eccleſia, quàm Conventus gaudet eodem Titulô SS. Trinitatis. *Secundum* Altare, cornu Evangelii prioris reſpiciens, extra tamen Sanctuarium, eſt S. P. N. Franciſci Privilegiatum. *Tertium* ex parte eadem S. Joannis Nep. *Quartum* ex altera, proximum Aræ majori, eſt S. Annæ. *Quintum* denique S. Antonii Paduani.

In Conventu rarò fit Concio bene verò in Eccleſia Parochiali.

In hac Eccleſia Conciones habentur præcisè ſequentibus diebus, nempe: in Feſto SS. Trinitatis; in feſtis principalioribus Ordinis noſtri, ut S. Franciſci, S. Antonii, & S. Mariæ Angelorum; die item Paraſceves, & in Commemoratione omnium fidelium defunctorum. Attamen in Eccleſia Parochiali in Arce exiſtente ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis, populo concurrenti Verbum Dei per noſtros, utpote Parochiæ adminiſtratores proponi ſolet. Uti etiam nulla Congregatio habetur in Eccleſia Conventuali, bene verò in Arcenſi ſeu Parochiali à plurimis jam annis viget Congregatio Sacri Scapularis, cum maxima populi etiam remoti frequentia, & devotione.

SUPERIORES HUJUS CONVENTUS.

Annô		Annô	
1673.	P. Tiburtius Hermanienſis Præſ.	1681.	P. Ambroſius Podiebradski.
1675.	P. Michaël Habdalics.	1682.	P. Iſidorus Krizidovski.
1677.	P. Tiburt. Hermanienſis Guard.	1685.	P Benignus Pruſſius.
1678.	P. Ægidius Parniczki.	1687.	P. Venceslaus Uhrovics.
1680.	P. Arſenius Dióſi.	1688.	P. Clarus Landsperg.

1689.

1689. P. Iſidorus Krizidovſki.
1690. P. Ladislaus Radoſini
1692. P. Iſidorus Kriſidovski.
1694. P Carolus Fidler.
1695. P. Venceslaus Uhrovics.
1696. P. Auguſtinus Uihelyi.
1697. P. Michaël Benovics.
1699. P. Martinus Ziveczki.
1701. P. Iſidorus Krizidovski.
1702. P. Ambroſius Strecha.
1705. P. Antonius Kozak.
1708. P. Carolus Fidler.
1710. P. Michaël Benovics.
1711. P. Carolus Kubovics.
1712. P. Auguſtinus Hamernik.
1713. P. Martinus Padiàſi.
1714. P. Benignus Piskovski.
1715. P. Bernardus Neyman.
1717. P. Euſtachius Sopauch.
1718. P. Bartholomæus Valovics.
1719. P. Capiſtranus Mokrusa.
1720. P. Bruno Mocsko.
1722. P. Venceslaus Koricſanski.
1724. P. Wolffgangus Nemecskai.
1726. P. Godefridus Rozman.
1728. P. Emericus Ragyóczi.
1731. P. Ludovicus Schmidek.
1732. P. Liborius Dolezal.
1734. P. Nicolaus Auguſtini.
1735. P. Caſparus Teberi.
1736. P. Bernardinus Polakovics.
1738. P. Urbanus Bartai.
1739. P. Bernardinus Polakovics.
1742. P. Paulus Szaloki.
1744. P. Cyprianus Banski.
1747. P. Xaverius Szumrak.
1748. P. Nicolaus Auguſtini.
1751. P. Petrus Baros.
1752. P. Gaudentius Jablonski.
1753. P. Thomas Kapik.
1755. P. Philippus Ujfaluſi.
1758. P. Columbanus Tiger.

X. CONVENTUS HOMONNENSIS AD S. BONIFACIUM MARTYREM.

§. I.

De Oppido Homonna.

Situs Oppidi Homonna.

N. 106. HOmonna, olim Celeberrimæ, ac geſtis laudatiſſimè inſignibus Regni muniis inclytæ, Drugethorum Comitum Familiæ, Delicium eſt Oppidum Privilegiatum in Diœceſi Agrienſi, & Comitatu Zemplinienſi, Poloniam versùs, in loco ſat amœno, & hilari, juxta, & ſalubri, montibus undequaque, licèt ex parte meridionali ſatis diſtantibus, circumdato, ſitum. Etſi verò antiquitùs ſicut Nobilium frequentia, ità ædificiorum quoque elegentia plurimùm valeret, nunc tamen priſtinæ hujus conditionis indicia ſolùm aliqua repræſentat.

Tria ſunt quæ illud ornant.

Tria nempe adhuc ſunt, quæ ei ornatum quendam conciliare videntur. Primum: Extans in medio Oppidi ſat ampla, & vaſta cum Turri præalta Eccleſia Parochialis murô undique circumdata. Quæ cùm annô 1746. die 9. Maji orto ex Oppido incendio totaliter unâ cum Turri Campanis, Horologio, 64. iuſuper domibus præter Parochialem, conflagrâſſet, ipſa quidem Eccleſia mox annô ſequenti tecta eſt. Turris verò non niſi annô 1751. induſtria A. R. D. Martini Ivanovics loci Parochi, & Diſtrictûs ejusdem V. Archi-Diaconi, ſuum priſtinum imò meliorem recuperavit decorem. Alterum, eſt Conventus Fratrum Minorum strict. Obſerv. ad partem ſuperiorem paulò extra Oppidum, versùs Occaſum collocatus; plurimùm verò nobile Caſtellum (paucis additis Arx dici valens) ad calcem montis, ex parte Aquilonari Oppidi ſituatum, olim præfatorum Comitum Drugethorum, nunc Illuſtriſſimarum duarum Sororum è Familia Drugeth per lineam Maternam deſcendentium, nempe Annæ Mariæ, & Thereſiæ Zichi, prioris quidem Illuſtriſſimi C. Franciſci Csáky, alterius verò Sac Rom. Imperii Comitis Gothardi de Dernath relictarum Viduarum percharum domicilium. His accedit eximia ab amne Laborcza dicto gratia, ad ipſa Oppidi Confinia Meridiem versùs præterfluente.

Eccleſia Parochialis

Conventus Fratr. Min. & Caſtellũ.

§. II.

De Origine Conventûs in Oppido Homonna.

Antiquitas Conventûs.

N. 107. IN loco ſic ſuccinctè deſcripto, Provinciam hanc Conventum habuiſſe felicibus adhuc illis temporibus, quibus tres ſupra ſeptuaginta numerabat Conventus, patet ex antiquo Provinciæ hujus Urbario, in eo namque notatum legitur primò ad annum 1529. (quod jam ſupra in p. 1. hujus Operis tactum eſt) Conventum nempe hunc ferè ex integro exuſtum fuiſſe, non quidem à Turcis, qui nunquam his in partibus viſi, verùm à malevolis militibus Germanis Duce Cociano, huic plagæ, & vicinis Superioribus nimiùm infeſtis.

An. 1531. Fratres Minores hic Conventũ habuiſſe demonſtratur.

Legitur item in Tabula Provinciæ annô 1531. tempore Capituli Provincialis, in Conventu Magno-Varadienſi celebrati compilata, Conventus hic omnino extitiſſe, quartúmque locum inter Conventus Cuſtodiæ Patakienſis habuiſſe, pro quo in eodem Capitulo in Guardianum electus fuit P. F Lucas Thagian. A quo autem, & quo tempore primô fundatus fuerit, quóve modo ad Fratres Noſtros pervenerit, ex nullis erui poteſt documentis. Cum verò poſt annum 1531. nulla prorsùs ejus fiat mentio, credibile eſt eundem à Fratribus fuiſſe derelictum, uſque dum rursùs à Comite Drugeth de Homonna nobis offeretur.

Id certum eſt, Patres quoque Societatis JESU hic ſuum aliquo tempore beneficio Georgii Comitis Drugethi, Domicilium habuiſſe, quod annô 1613. acci-

diſſe

disse refertur in *Topographia Regni Hung.* per quendam ex eâdem Societate Patrem conscripta, ubi tamen additur, *non diuturnam hic dictorum Patrum fuisse commorationem, nam post biennium Ungvarinum translati Sedem Seraphicis Patribus reliquerunt.* Ita ibi. Conventus hic datur PP. S. J. qui paulo pòst Ungvarinũ transeunt.

Et quidem res ita accidit, licèt non immediatè post Patrum Societis discessum; multi enim effluxêre anni, quousque Conventus hic ad suos Veteranos rediret Possessores, credo disturbia Regni piis Comitis Georgii Drugeth intentionibus obstitisse, quibus paulisper sedatis serio de Nostris Fratribus huc reducendis cogitare cœpit, in quem finem sequentis tenoris ad Conventum Nostrum Sebessiensem annô 1651. scripsit Epistolam: C. Georg. Drugeth Patres Nostros reducere cogitat.

N. 108. Reverendi in Christo Patres Nobis Observandissimi.

VOlentes piam, ac Sanctam quondam Genitoris mei, uti etiam felicis recordationis Matris intentionem consequi, eo instinctu commoti, Reverendis Patribus totique Conventui hac de re scribendum statuimus: Notum enim est omnibus olim etiam Collegium Societatis JEsu Homonnense de jure ad Reverentias Vestras pertinere: Quare rogamus Reverentias Vestras, quàm possumus obnixè, non tam pristinæ, quàm modernæ nostræ affectioni, & favori annuere velint, hunc que locum in Oppido Homonna existentem, pro 12. Fratribus Ord. S. Francisci ædificandum, astruendum acceptent, quatenùs se se benevolentiæ, ac patrocinio nostro accomodare velint, Nos quoq; absque ulla remora Rev. Vestræ certiorem faciant. Cæterum si quæ adversa pars, vel ex parte Patrum Jesuitarum, vel undecunque nobis obveniret, partium nostrarum est abundè respondere, modisque omnibus dictum locum acriter tueri. His RR. VV. feliciter valere cupimus. Datum in Arce Ungh, die 9. Augusti anno 1651. Litteræ C. Georgii Drugeth, quibus Homonnam invitamus.

Earundem VV. RR.

Servitor paratissimus

C. Georgius Drugeth
de Homonna m. p.

N. 109. Hac Epistolâ cum Superioribus Provinciæ communicatâ, ipsi quidem, cum debita gratiarum actione locum acceptârunt, ea tamen conditione, ut idem Ill. D. Comes, propriis sumptibus Conventum restauraret, quod cùm tardius fieri potuerit, hinc est quod primum annô 1663. ad hunc locum reinducti sint Fratres nostri, Primusque constitutus Præsidens P. Paulinus Szokol. Evolutis denique annis octo, tandem annô 1671, Residentia hæc in formalem Conventum elevata in Capitulo Szakolczæ die 13. Maji ejusdem anni celebrato, electô in Proto-Guardianum M V. P. Paulô Szegedi. Provincia locum recipit. Ex Residentia fit Conventus.

Etsi verò Locus hic seu Conventus vicissitudines non paucas, ut exustionem, despoliationem à rebellibus, præsertim Calvino, & Luthero addictis regnicolis sit perpessus, ut seq. §. patebit, nihilominus ab anno 1663. quô, secundò eundem incolere cæperunt Fratres, ad hæc usque tempora semper ab eisdem inhabitatus, nec unquam ad notabile saltem tempus derelictus est.

N. 110. Est autem Conventus hic in quadro ut ut perfecto positus inferius fornitus, non item per totum superiùs, imo in primæva sui extructione, ferè totus in parte superiori ligneis tantumodo laquearibus adornatus fuit, post verò industriâ quorundam Superiorum, per partes forniri cœpit. Conventus non totus fornitus.

Hortum sibi adjacentem habet sat amplum, & amœnum fructibus præsertim abundantem, Aream quoque planè sufficientem. Hortus.

Viguit hic jàm hoc Sæculo Studium Philosophicum pluribus annis, quandoque etiam Sacræ Theol. Moralis, nunc verò ferè ab anno 1742. nullum in eo traditur Studium Litterarium. Studia hic habita.

Sustentatio Fratrum Religiosa, habetur ex eleëmosynis mendicando collectis, quam tamen non leviter sublevat, facta à Primo Sustentatio Fratrum.

Fundatore C. Georgio Drugetho, tam in Victualibus, quàm in ære pro veſtimentis Fratrum conſtitutta Fundatio, quæ modo bifariam, inter duas Caſtelli, & Bonorum adjacentium Dominas, nempe Annam Mariam, quondam Comitis Franciſci Csáky, & Thereſiam quondam Comitis Gothardi de Dernath relictas Viduas, Sorores Uterinas Zichianas inquam diviſa, benevolè penditur.

§. III.

De variis Viciſſitudinibus, & Memorabilibus hujus Conventûs.

N. 111. VIx annus ab hujus loci, ſeu Reſidentiæ in Conventum formatum erectione præterlapſus, non levem duo præſertim Patres paſſi ſunt tribulationem, quam ipſe qui paſſus eſt, P. nempe Chriſtophorus Agricola natione Germanus, prolixô ſatis calamô (hic nihilominus brevitati conſulitur) ita deſcribit. Annô Domini 1672. Poſtquam Fratres Homonnenſes, certis internuntiis, accepiſſent, rebelles quodam (quorum Coriphæi fuerant ex Oppido Nagy-Mihály) ad partes Homonnenſes caſtra movere; Duo è Fratribus, nempe P. Paulinus Szokol Vicarius, & P. Chriſtophorus Agricola (alii quid egerint nihil notatum reperitur) unum alterúmque currum victualibus, at præſertim rebus ad Eccleſiam, & Conventum pertinentibus onerantes, ſe ad Oppidum Szinna in Krajna ſitum refugii causâ receperunt, menſe videlicet Septembri memorati anni. Ubi in timore, & tremore in planctu, & jejunio aliquot dies commorantes, cogitabant die 3. Octobr. pro Solemnitate S. P. N. Franciſci, cum reculis ſecum acceptis, ad Conventum redire. Interim media circiter nocte fragor, tumultus & clamor factus eſt, rebelles namque Oppidum invadentes, coádunatis viribus Caſtellum, in quo ſoli Fratres erant adoriri, & expugnare cœperunt, quorum clamore, & tumultu, & in forium perfactione cauſato fragore excitati Fratres, dum relictis omnibus fugæ remedium quærunt, in manus latronum ambo incidunt, nam imprimis Patrem Vicarium in foſſa glaciali latitantem deprehendentes eripiunt, & mox ad fidem Orthodoxam abnegandam urgent, cum verò athleta Chriſti, ut potius ipſi ejurata hæreſi fidem ſalvificam amplectantur, hortaretur, quantis pro hoc favore tunſionibus ſaturatus ſit, ipſi, & ſoli Deo notum exiſtit.

PP. Paulinus Szokol Vicar. & Chriſtoph. Agricola dum latere volunt in manus Rebellium hæreticorum incidunt.

Simili modo Patrem quoque Chriſtophorum, ſepes, ut fugiat tranſilientem, equites rebellium intercipiunt, quem cùm ſtrictis gladiis examinâſſent ubinam, & quot ſint pedites à D. Lokinski pro parte Suæ Majeſtatis conſcripti? ipseque, utpote hujus negotii ignarus nihil reſpondiſſet, ligatum, ad Socium ſuum P. Vicarium perduxerunt, quem cùm non amplius ſolitô Religionis habitu, ſed lacera cujusdam Prædicantis togâ indutum, pileum ruſticanum in capite gerentem, in facie, luto, & ſanguine deturpatum conſpexiſſet, à lachrimis, ex pio commiſerationis, & fraternæ charitatis affectu ſe ſe continere non potuit: Sed & P. Chriſtophorus detracto ſibi habitu, nudus aliquamdiu ſedere debuit, donec illorum quiſpiam ſecretò Catholicus, muliebri pelliceo coopertum, ab inhumana illuſione aliquantiſper liberâſſet.

Comprehenſi veſtibus ſpoliantur.

Interim, non ſolum victualia modica, quæ habebant, verùm ſupellictilem quoque Sacram diripientes, atque inter ſe dividentes in profanos convertere uſus, Calicem pro communi poculo, Oleum Sacrum ad ſclopos ungendos, & mundandos, Albas pro induſiis Mulierum &c. Etſi verò pro liberandis his duobus Fratribus Oppidani Homonnenſes non pauci in unum collecti ſe rebellibus fortiter oppoſuiſſent, tamen cùm, pauci armis, plerique furcis tantum, falcibus, & ſecuribus inſtructi eſſent, terga vertere ſunt coacti, amiſſis numero ſuorum circiter 80. ſicque Fratres in rebellium manibus manere coacti, die 4. Octobris ipſa S. P. Franciſci ſolemnitate Nagy-Mihalyinum vincti perducti ſunt. Unde paulò poſt ope Magnifici D. Alexandri Barkoczy Catholici (qui 18. taleros pro eorum veſtimentis depoſuit) eliberati, Homonnam tandem rediêrunt.

Nagy-Mihalyinum vincti perducuntur. Sed per Barkoczium eliberati Homonnam redeunt.

Sed

Sed cùm fama eſſet, à rebellibus viciniam depopulari, timentes, ne rursùs in manus eorum incidant, Sztropkoviam versùs iter ſuſcipiunt, verùm incidunt in ſcyllam, dum volunt vitare charybdim, nam in itinere à prædonibus Ruthenis invaſi, non modo equis duobus, & habitibus ſpoliati, ſed inſuper graviter ſauciati, in quandam vallem deducti, ſine omni ſpe vitæ deſeruntur, quo in periculo conſtituti, dum ſibi mutuò abſolutionis beneficium impertiuntur, uni eorum B. Virgo Maria Scapularis, Sztropkoviæ coli ſolita, in mentem venit, ad quam cum Vota ſua ex intimo cordis affectu nuncupâſſet, seque Sacrificium Miſſæ ad ejus Aram oblaturum, ſi incolumis evaderet, voviſſet, mox videbatur illi, B. Mater, JEſulum in ſiniſtro brachio cum Scapulari dependente tenens adeſſe, dextram verò ſauciato capiti imponere, ac dicere: *Confide Fili non morieris.* Ex hoc igitur periculo mirabiliter evadentes, Sztropkoviam tandem pervenerunt, vovens autem, ſui non immemor Voti, Eccleſiam in qua Scapularis B. Matris Altare eſſe reſcierat, ingreſſus (cùm aliàs nunquam ibidem fuerit) agnoſcens B. Matrem ſibi apparentem, ejusdem per omnia formæ fuiſſe, qualis ſibi in Imagine repreſentaretur, Votum lubens exolvit, & ſummas quas potuit auxiliatrici rependit grates. Hæc cum Fratribus ita accidiſſe refert Chriſtophorus Agricola, quid verò cum ipſo Conventu hac vice actum ſit, non reperio annotatum.

Dein Sztropkoviam fugere volentes, à Ruthenis ſpoliantur, & ſauciantur.

Mortis periculum mirabiliter evadunt.

Longè verò majus diſcrimen ſubiit hic Conventus annô 1676. dum à rebellibus non modo expoliatus verùm etiam in tantum à depaſcente ſingula Vulcano, ruinatus eſt, ut per annos decem, & unum, per modum Reſidentiæ tantùm à Fratribus inhabitatus fuerit. P. Guard. Gregorius Kulcſar, cum ſuo Vicario Gerardo Kecskemeti è Conventu extracti, penes equos ligati, ac ſcuticis ſtimulati, ad durum carcerem ſunt deducti, cúmque aliter liberari non poſſent, Commendans Caſſovienſis, aliquot Prædicantes Calviniſtarum, & Lutheranorum in Caſſovienſi vicinia, comprehendi curavit, tamdiúque Caſſoviæ in carcere detineri, donec tanta pro eis pecuniarum ſumma depoſita fuiſſet, quantam rebelles pro prædictis Patribus poſtulâſſent, qua rebellibus transmiſſa, Patres quoque in libertatem ſunt aſſerti.

Conventus exuritur.

Guard. cſi Vicario à rebellibus carcere antur, ſed mox per Commendanteē Caſſov. liberantur.

Hæc ex libro, communiter *Aureo* dicto, & in Archivo Provinciæ conſervato deſumpta ſunt, atque etiam in adnotatione P. Leonardi Ondrejkovics, hujus Conventûs annô 1691. Guardiani reperiuntur. Miror tamen quomodo uterq; concordet quoad P. Vicarium Gerardum Kecskemeti, cum in Tabula Provinciæ annô, quô hæc facta ſunt, à Patribus Diffinitorii ordinata, P. Gerardus præfatus ponatur Vicarius Conventûs Fülekienſis, hujus verò Conventûs Vicarius, inſtitutus reperitur P. Georgius Löke, niſi fortè intermedio tempore mutatio quædam extraordinaria facta fuiſſet.

Porrò nominatus P Leonardus Ondrejkovics Guard. poſtquam abductionem illam Patris Gvardiani cum ſuo Vicario (quibus etiam tertium addidit nempe P. Iſidorum Krizidovski) retuliſſet, ita proſequitur: *Conventus iſte cum Eccleſia fuit incineratus, qui licèt fuerit ex aliqua parte tectus, ſemper tamen fuit per Hoſtes devaſtatus, ad tertiam uſque vicem; nunc (annô videlicet 1692.) Eccleſia cum Sanctuario eſt tecta, partim induſtriâ Patrum, priori tamen ex parte Illuſtr. Domina Fundatrix cooperuit, fornicem in Corpore Eccleſiæ fieri curavit, majus Altare erexit, pro Organo ultra 100. flor. expoſuit, in reliquo partim mulctati, partim ſponteneè præbuere auxilium.* Hæc ille.

Relatio P. Leonardi de Conventus exuſtione.

Ex quibus colligere licet, Conventum hunc, unâ cum Eccleſia, pluries fatalem tempore revolutionum ſubiiſſe vicem, nunquam tamen, ut jam tactum eſt, à Fratribus ad longius deſertum tempus, quinimò toties in eo reſtaurando deſudâſſe, quoties diſcrimen aliquod eundem ſubire contigit.

§. IV.

De Ecclesia, Corpore S. Bonifacii Mart. & Capella Lauretana.

N. 112. ECclesia Orientem respiciens, ad latus Conventus, quô annô, quorúmve ope exurrexerit, nulla est certitudo. Amplitudo non usque adeò magna, frequentiæ tamen populi percomoda. Versùs orientem Collateralem habet Capellam, S. Antonii Paduani dictam.

Patronus Ecclesiæ S. Bonifac. M.

Olim sicut Conventus, ita Ecclesia quoque Principalem Patronum veneratur S. Joannem Capistranum, post adeptum tamen Corpus S. Bonifacii Martyr. Decretô Ven. Diffinitorii pro celebranda Congregatione, ad diem 1. Febr. anni 1688. Szakolczæ concurrentis, nunc ejusdem Sancti Martyris Titulum retinet, & Patrocinium recognoscit.

Numerus Altarium.

N. 113. Continet Aras Num. 7. Principalis seu summa est S. Bonifacii Mart. *Secunda* ex parte dextra S. P. N. Francisci, *Tertia* ex parte opposita seu sinistra B. V. Mariæ ab Angelo salutatæ, *Quarta* ex parte Altaris S. Francici, est B. V: Mariæ Scapularis, sola Imagine sine ulla fabrica lignea adornata. Reliquæ tres sunt in Capella S. Antonii. *Prima* nempe ejusdem Sancti, antiqua, *Altera* S. Joannis Nepom. *Tertia* cum Reliquiis S. Bonifacii utraque ab Illustr. D. Com. Theresia Zichi Annô 1735. posita. Nec Ecclesia, nec Ara ulla est consecrata. Viget in ea Congregatio S. P. N. Francisci, & Devotio Viæ Crucis, singulis per annum diebus Dominicis Novilunii, & in Quadragesima etiam diebus Veneris, consueta cum Solemnitate peragi solita, quæ ut eò majore Populi Devotione, & frequentia perageretur, pius A. R. Domini Martini Ivanovics loci Parochi, & Districtûs ejusdem V. Archidiaconi zelus, Annô Domini 1751, fecit, ut quoties Exercitium Viæ Crucis peragendum foret, toties Processio publica è Parochiali ad nostram ducatur Ecclesiam.

Congregatio S. Fran. Via Crucis, ad quam Processio ex Parochia ducitur.

N. 114 Hanc Corpore, seu potius Insignibus Reliquiis S. Bonifacii Martyris (cujus Solemnia die 14. Maji celebrantur) decoratam esse, jam relatum est, nunc qualiter illæ ad hanc devenêre Ecclesiam, referendum est. Igitur, Reliquias has Comiti Sigismundo Drugeth de Homonna, ab Innocentio XI. Pontifice Maximo, Annô Dom. 1677. donatas fuisse, Authenticum Testimonium Rom. *Josephi Eusanii Aquilani, Episcopi Porphyrienſis, Sacrarii Apostolici Præfecti, & Pontificii Solii Episcopi Assistentis*, etiam actu in Archivo Provinciæ asservatum, probat; Traditio verò habet: Innocentium nempe XI. anteà *Benedictum Odeschalchi* dictum, priusquàm Sacris Romæ initiaretur, annis aliquot in Hungaria commoratum fuisse, quô tempore, non levem C. Sigismundus Drugeth cum præfato D. Benedicto contraxit amicitiam. Postquàm igitur ad Supremum Ecclesiæ apicem, Amicum evectum, accepisset Sigismundus, cum aliquot Sociis Hungaris, Romam, salutandi, & venerandi jam Supremi in Ecclesia Capitis gratiâ, est profectus, ubi inter alia Donativa, etiam Corpus S. Bonifacii accepit.

Quòd Homonnam reverenter delatum, aliquô tempore, Capella Castelli hospitiô recepit, usque dum post annos aliquot ad Conventum nostrum, transferretur. Sed cùm etiam ibidem, non nisi in Sacristia annis pluribus, absque publico cultu conservaretur, Illustr. Comitissa nata Zichi, Illustr. C. Gothardi de Dernath relicta Vidua, pietate, ac zelo erga præfatas Sacras Reliquias ducta, priùs Aram ex lapide polito, in jam dicta Capella S. Antonii erigi curavit, ac demum locô decenter adornatô, in eadem Ara, sub ferreis cratibus, tabuláque chrystalina toties relatas Reliquias collocari fecit. Quod quidem Annô 1735. die verò 14. Mensis Julii, in concursu multorum Magnatum, & Nobilium, aliorúmque mediocris, & inferioris sortis piorum Christi fidelium, contigisse (solemnisante ad Aram Illustr. Dominô Præpositô Lelesziensi Infulatô, & sermonem Hungaricum ad populum habente M. V. P. Bernardinô Mocsári Cassoviæ SS. Theol. Lect. Act.) Historia Domûs, seu Conv. Homon. testatur.

Theresia Zichi novũ Altare erigit in quo Ossa S. Bonifacii solemniter reponuntur.

N. 115.

N. 115. Insuper præter jam relatam S. Antonii Capellam, habetur, & altera Lauretana dicta, passibus circiter 30. à portico Ecclesiæ, intra tamen hujus cincturam Meridiem versùs distans. Ab anno 1642. quo ultima manus, Drugethorum ut creditur, Sacello accessit', plurimis Angelorum Regina saluti fuit, acervatímq; à Græci, & Latini Ritûs circumjacente populo adibatur, & mirificè colebatur, ob quod tam à *P. Mart. Szentivanyio Soc. J. Dissert. Paralip. Reg. Hung. p. 1. Dec. 3. Cathal. 9.* quàm ab aliis Scriptoribus inter Miraculosas B. Matris Imagines refertur. Capella Laureana Miraculosa

Illustrissima Familia Drugethiana, ejúsq; Posteri, hic sibi sepulturam elegerunt, è quibus sequentes in hocce Sacello tumulati deprehenduntur. 1mò Illustr. Comitissa Anna Perényi. 2dò Illustr. Com. Maria Theresia Keglevics, Illustr. C. Sigismundi Drugeth relicta Vidua, obiit annô 1710. 3tiò Illustr. Herculi Thomas, & Michaël Illustr. C. Francisci Csáky filii, prior æt. annorum duorum & dimidii, alter vero, æt. Mensium duorum, annô 1734. defuncti. 4tò Illustr. Herula Theresia de Dernath æt. an. 18. annô 1755. defuncta. Familiæ sepultura in eadem Capella.

Habentur etiam in Ecclesia Cryptæ duæ, una in Sanctuario post Aram majorem, in qua, ut plurimum Fratres nostri circiter 40. tumulati sunt. Altera verò in Capella S. Antonii, in qua inter reliquos majoris Conditionis defunctos conditi sunt Illustr. C. Franciscus Barkóczi, cum sua Illustr. Conjuge Susanna Petthö, Magnif. item & Spect. D. Paulus Okolicsanyi, pariter cum Conjuge sua Juliana Szentiványi. Quorum, & aliorum animæ per Misericordiam Dei requiescant in pace. Cryptæ duæ in Ecclesia.

NOMINA SUPERIORUM HUJUS CONVENTUS.

Annô

1531. P. Lucas Thagian Guard.
Post hunc Conv. desolatus, ut suprà.
1663. P. Paulinus Szokol, Præsid.
1665. P. Laurentius Barczi.
1667. P. Paulinus Szokol.
1668. P. Bernardinus Paulini.
1669. P. Gregorius Kúlcsár.
1671. P. Paulus Szegedi, Guard.
1672. P. Joannes Barkányi.
1673. P. Andreas Phülöp.
1674. P. Paulinus Szokol.
1675. P. Nicolaus Honti.
1676. P. Gregorius Kulcsár.
Tempore hujus Conventus exustus est, ideò in numerum Residentiarum redactus.
1677. P. Nicolaus Honti Præsid.
1678. P. Tiburtius Hermanienſis.
1679. P. Bernardinus Literati.
1681. P. Joannes Bárkányi.
1682. P. Franciscus Pettes.
1684. P. Gabriel Nagy.
1685. P. Stephanus Farkas.
1687. P. Conradus Maskóczi, Guard.
1690. P. Raphaël Samko.
1691. P. Leonardus Ondrejkovics.

Annô

1692. P. Emericus Nyájas.
1693. P. Josephus Biro.
1694. P. Innocentius Hajdu.
1695. P. Franciscus Sürtei.
1697. P. Thomas Kiss.
1698. P. Stephanus Tarhos.
1699. P. Bernardinus Bárkányi.
1700. P. Josephus Biro.
1701. P. Joachimus Molitoris.
1702. P. Thomas Kiss.
1703 P. Athanasius Sisto.
1707. P. Michaël Benovics, Præsid.
1708 P. Bonaventura Csetö, Guard.
1711. P. Basilius Maróthi.
1712. P. Chrisostomus Szalkai.
1713. P. Franciscus Koós.
1714. P. Basilius Maróthi.
1715. P. Athanasius Sisto.
1716. P. Michaël Ferenczffi.
1719. P. Alexander Sütö,
1720. P. Athanasius Sisto.
1722. P. Fortunatus Föczén.
1724. P. Petrus Roll, Prov. Pr.
1726. P. Martinus Sebestini.
1727. P. Bernardinus Horváth.
1728. P. Matthæus Csiszer.

1729. P. Franciſcus Kóos.
1730. P. Ladislaus Tarnóczi.
1732. P. Franciſcus Györi.
1734. P. Stephanus Fiſſer.
1736. P. Antonius Farkas.
1737. P. Dionyſius Major.
1738. P. Bonaventura Kovács.
1739. *A Menſe Novembri.*
P. Alexander Badzej.
1741. P. Dionyſius Major.
1742. P. Emericus Szent-Királyi.
1743. P. Cornelius Megyeſſi.
1744. P. Joachimus Szombati.
1745. P. Blaſius Szilágyi.
1746. P. Cornelius Megyeſſi.
1747. P. Franciſcus Wrancſics.
1750. P. Capiſtranus Nozdroviczki.
1753. P. Bruno Thurzo.
1754. P. Gregorius Nagy.
1755. P. Matthæus Budiács.
1756. P. Alexander Makai.
1757. P. Emericus Szovai.
1758. P. Capiſtranus Nezdroviczki.

XI. CONVENTUS PRUSZKENSIS AD SANCTUM GEORGIUM M.

§. I.

De Oppido Pruſzka, & Conventûs pro Patribus Marianis in eodem Erectione.

Situs Oppidi Pruſzka.

116. PRuſzka Oppidum, in Inclyto Comitatu Trencſinienſi, Diœceſi Nitrienſi, non longè à fluvio Vago ſituatum, ad Orientem reſpicit aliud Oppidum *Illavam* dictum, cum Magnifico RR. PP. *SS. Trinitatis* Cœnobio. Ad Meridiem pagum *Bohunicz* cum reliquis pone Vagum ſitis. A Septemtrione Caſtellum *Horocz*, ad Familiam Madocſanianam ſpectans. Denique ad Occidentem reſpicit Arcem *Oroſzlánkö* (Germanus Levenſtain dicet) in petroſo, & ſublimi monte collocatam, atque ad hocce Dominum Pruſzkenſe ſpectantem. Ornatur, præter Parochialem Sacram Ædem, Monaſterio Filiorum Seraphici Patris.

Erat hoc Dominium, aliàs *Oroszlánköenſe* ab Arce prædicta, nunc jam *Pruſzkenſe* dictum, olim juris Illuſtr. Familiæ *Jakuſithianæ*, qua deficiente, devolutum eſt ad Fiſcum, ex poſt ad Familiam *Breinerianam*, & hac mediante, ad *Königſegianam* à qua etiam actu manutenetur.

Fundator Conventûs Ill. D. Georgius Jakuſith Epiſc. Veſprim.

N. 117. Conventûs Fratrum Minorum in hocce Oppido exiſtentis, Fundator fuit, de Prima Familia Illuſtr. & Reverendiſſ. D. Georgius Jakuſith de Orbova, priùs Weſprimienſis, deinde Agrienſis digniſſimus Præſul. Hic enim Hæreditarius in Bonis Pruſzkenſibus Succeſſor, cùm videret, totum ferè Dominium hæreſi Lutherana infectum, zelô Fidei, & animarum accenſus, de Fratribus Minoribus ad ſæpè dictum Oppidum Pruszka inducendis cogitavit, Spe fretus quàm maxima, brevi ſpirituali horum labore, & induſtria, diſpellendas errorum tenebras, & animas ſubditorum ad lumen Orthodoxæ fidei reducendas.

Primò Monaſterium cum Eccleſia conſtruit.

Primò igitur ad Monaſterium, funditùs unà cum Eccleſia extruendum, vires impendit omnes, opúsque annô Dom. 1642. Feliciter conſumavit, ut ex ſequenti, Frontiſpicio Eccleſiæ appoſita patet Scriptura:

Orate pro Georgio Jakuſſith Epiſcopo Veſprimienſi, qui mole peccatorum preſſus, hoc Monaſterium à Fundamentis erexit A. D. 1642.

Fratres Minor. Prov. S. Mariæ illocat.

Neque erectum jam Monaſterium habitatoribus vacuum paſſus, mox Fratres Ord. Minorum Provinciæ S. Mariæ induxit; quorum, uti demum etiam noſtrorum Patrum indefeſſis laboribus, ita ſpei prælaudati Illuſtr. & Reverendiſſimi D. Fundatoris ſatisfactum eſt, ut à pluribus jam annis, in univerſo hocce Dominio ne veſtigia quidem Hæreſeos apparere videantur. Quod quidem fidei Orthodoxæ incrementum Illuſtr. D. Fundator oculis carneis videre minimè valuit, utpote

Brevi moritur.

præmatura morte annô D. 1647 præventus, & juxta ſuam, dum viveret factam diſpoſitionem, in hac Eccleſia ſepultus, prout iterum ſequentes lapidi Cryptæ, versùs majorem Aram exiſtentis inſculpti demonſtant, Caracteres:

Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi D. D. Georgii Jakuſſith de Orbova, Epiſcopi Agrienſis, Comitatuum Heves, & utriuſque Szolnok Supremi Comitis Sac. Cæſ. Regiæque Majeſt. Conſil. Intimi qui piè obiit Annô MDCXLVII. Die 21. Novembr. Æt. ſuæ annorum 38.

Minimè prætereundum videtur illud, quòd pientiſſimus Fundator, non contentus ſola Monaſterii, & Eccleſiæ è fundamentis, ut jam dictum eſt erectione,

Fundatio pro sustentatione Fratrum.

pro commodiori Religiosorum hic degentium sustentatione, certam quoque è Bonis suis statuit quottannis pendendam fundationem, quæ una cum Bonis ad Illustrissimam Familiam *Königseggianam* devoluta, ita his quoque temporibus præstatur, ut nulla Fratribus querulandi detur occasio, imò præter debitum, gratuitò ingruentibus Fratrum necessitatibus non semel succurritur.

§. II.

De Conventûs hujus, Nostræ Provinciæ Incorporatione, ejúsque moderno Statu.

N. 118. TAm ex hic, quàm suprà p. 1. hujus Operis N. 143. dictis, patet, Conventum hunc olim ad Patres Provinciæ S. Mariæ pertinuisse, ab eisque annis circiter 47. inhabitatum fuisse. Orta dein inter hanc, & Provinciam Marianam de Conventibus Strigoniensi, Budensi, & Pesthiensi quæstione, his per Sententiam Lazarianam annô 1689. die 24. Julii latam pro Patribus Marianis adjudicatis, etiam Conventus Sümeghiensis eisdem cessit, assignato in locum ejus pro Nostra Provincia hocce Conventu nempe Pruszkensi. Quem quidem locum, & si PP. nostri à die 14. Septembris anni mox prædicti, primò, ùt Residentiam tantùm Proto-Præsidente R. P. Leonardo Ondrejkovics Prov. Diffinitore Act. inhabitârint, sequenti nihilominùs annô Dom. 1690. curatis priùs, quæ necessaria fuerant, datus est ei Guardianus M. V. P. Capistranus Kossulics, Laudesque Divinæ pro more aliorum Conventuum in Choro persolvi cœperunt.

Pro Conventu Sümegiensi nobis datur Pruszkensis.

N. 119. Verùm quidem est, Conventui huic, à Primo sui Fundatore ultimam fuisse admotam manum, nihilque ad perfectionem desideratum, cùm tamen discedentibus ex eodem Patribus Marianis, supervenientes Fratres nostri, in toto vacuum reperissent, simul aucta dein Religiosâ Familiâ, tantorum habitationi insufficientem vidissent, non parùm succesivis temporibus in ejus instauratione, atque etiam ampliatione providi, & diligentes desudarunt Superiores, alii nempe supellectilem, tam Sacram, qnàm profanam procurando, alii sartatecta restaurando, alii denique ipsum Conventus ædificium cellis, & officinis necessariis augendo, & ampliando.

Quem PP. nostri instaurant, & augent.

P. Robertus Sklenár Guard. ædificium curat.

Primus P. Robertus Sklenár auxit Conventum annô 1733. cellis duabus. Idem ex antiquo Sacrario, vulgò *Sacristia* & vicino Repositorio novum instaurari fecit Refectorium, penes verò ex alio Conservatorio Coquinam parandis cibis necessariam. Ejusdem quoq; operâ supra Refectorium propè Turrim extructum est comodum A. R. P. Ministri Provincialis, aliorúmque Visitatorum hospitium, vulgò Provincialatus cum reliquis cellis ad alterum usque ambitum provectis, offerente liberaliter circiter viginti millia tegularum Spect. D. Ladislao Matyalovszki.

P. Anton. Schwab novum tractum inchoat.

Patris Roberti industriam imitatus R. P. Antonius Schwab, novum à fundamentis, annô 1740. inchoavit versùs aream tractum, quem elevatis pro septem Cubiculis muris, etiam tecto instructum, ab officio absolutus, Successori suo P. Florentio Vlcsek annô 1741. continuandum, & perficiendum reliquit.

Numerus Cellarum.

N. 120. Nunc igitur in Conventu hoc Cellæ per Religiosos Fratres inhabitabiles in tractu superiori tres circiter supra triginta numerantur. In inferiori autem ambitu præter Janitoris, & Pistoris cubicula, habentur quædam Officinæ,

Hortus.

& varia Sacræ Eleëmosynæ Conservatoria. Horto hic Conventus gaudet satis spatioso, tam ad Fratrum Religiosam quandoque distractionem, quàm ad subveniendum necessitatibus Culinæ, colligendis item variis arboreis fructibus percomodo.

Studia hic habita.

Quod Studium Litterarum concernit, diversa in hoc Conventu viguerunt Studia. Annô etenim 1690. ordinatum huc fuit Studium Theol. Moral. & Controversiarum Fidei, Lectore A. R. P. Stephanô Gelenio Provinciæ Patre Emerito. Annô sequenti fuit Studium solius Theol. Moralis, post hoc Philosophicum, successivis dein temporibus jam hoc jam illud tractabatur.

§. III.

Annô 1710. in Provinciali Capitulo Cremniczii celebrato ordinatum fuit ut Guardianus hujus Conventûs ſtudeat erigere habitationem pro Novitiis, quô non obſtante, variabatur Studium jam Theol. Moralis jam Philoſophicum uſque ad annum 1733. quô primum Novitiatus huc ordinatus, & duravit uſq; ad an. 1739. incluſivè, quô ſimul Philoſ. tradebatur, poſt verò, Novitiatu ceſſante diverſa tradebantur Studia. Rurſus annô 1748. reaſſumptus eſt Novitiatus, & perduravit uſque ad annum 1758. Novitiatus.

§. III.

De Eccleſia, aliisque ad eam pertinentibus.

N. 121. QUô annô Eccleſia hujus Conventûs ſit erecta, ac nobis tradita, jam ex ſupra allatis conſtare poteſt. Verumtamen, Capella Doloroſæ B. V. Mariæ, ad latus dextrum Eccleſiam ingredientium, jam à noſtris Patribus extructa eſt, nimirùm annô 1722, & ſequenti, induſtriâ M. V. P. Roberti Sklenar p. t. Guardiani. Capella Eccleſiæ adjungitur

Hæc Eccleſia omnino conſecrata eſt una cum Aris annô 1738. die 1. Junii per Illuſtr. & Reverendiſſ. D. Franciſcum Klobuſiczky Epiſcopum Nemeſinum, & p. t. Celeberrimi Archi-Capituli Strigonienſis Vicarium Generalem, cum impoſitione Reliquiarum SS. Servati, & Amandæ MM. Diésq; Anniverſaria Dedicationis Eccleſiæ, Dominica IV. poſt Pentecoſten determinata. Conſecratio Eccleſiæ & Altarium.

Porrò Altaria in hac Eccleſia nonniſi quatuor exiſtunt. *Primum* ſeu Majus S. Georgii Mart., quem tam Eccleſia, quam Conventus, ùt Patronum Principalem veneratur. *Secundum* Altare eſt S. P. N. Franciſci. *Tertium* S. Antonii Paduani. *Quartum* denique in Capella B. V. Mariæ Doloroſæ. Præter hæc in Sacriſtia à tergo Altaris majoris eſt quintum.

N. 122. Cùm verò Eccleſia hæc ſit admodum parva, ita ut populum diebus Dominicis, & Feſtivis concurrentem vix unquam capere poſſit, duo tantummodo habet pro condendis fidelium defunctorum Corporibus depoſitoria, ſeu Cryptas. Prioris ſeu Majoris conditor fuit, ipſe, Conventûs & Eccleſiæ Fundator. Alterius verò Minoris, Spect. D. Emericus Madocsányi hujus Conv. Syndicus Ap. pro ſe ſuáq; Familia, uti demonſtrat lapis Orificio Depoſitorii hujuſmodi poſitus. Cryptæ duæ.

Cæterum in illa Crypta majore, præter Illuſtr. & Reverendiſſ. D. Fundatorem, Fratrésque noſtros in hocce Conventu defunctos, tumulati requieſcunt, ex Magnatibus quoque non pauci.

Primò quidem Illmus D. Emericus Jakuſſith, prælaudati Illmi. D. Episcopi ex Fratre Nepos, ultimus hujus Familiæ Surculus, cum ſua Conthorali, Illma. Domina Polixena Serényi de Serény, ille quidem Annô 1692 die 3 Novembris hæc verò Annô 1694. die 6. ejuſdem Menſis pie in Domino defuncti. Relatio eorum, qui in Crypta majore tumulati ſunt.

N. 123. De mox prædicto Ill. D. Emerico videlicet Jakuſſith, illud ex fideli P. Leonardi Ondrejkovics relatione, P. Emericus Terchovics hujus Conventûs olim Guard. ſcriptô notatum reliquit: quòd nempe bina poſt mortem ſuam vice, familiariſſimo ſibi, & ſimul Commenſali, D. Georgio Horváth, viro aliàs probo apparuiſſet, *primò* in Arce (puto) Oroſzlanköienſi, tempore nocturno, rogando, eundem, ut pro ſe preces funderet, & nonulla per Illuſtr. Conthoralem ejus adhuc ſuperſtitem exequenda denunciaret, *ſecundò* paulò poſt in Caſtello Pruſzkenſi, in albo veſtitu ſui eliberationem, relictô ſuper ciſtam currulem ſigno, quod manûs ſiniſtræ exuſſit, ſignificando. Illuſtr. D. Emer. Jakuſſihtpoſt mortem bis apparet.

His addit P. Emer. Terchovics: *Signum hoc laminâ alba coopertum præfatus D. occultabat per aliquod tempus, nec alteri, quàm D. Comitiſſæ manifeſtavit, donec maturâ diſcuſſione, rem nonnullis prudentioribus patefeciſſent, ſicque paulatim divulgari cœpit. Quod ſignum nominatus P. Leonardus cum multis aliis magnæ Authoritatis Viris, ſe iterato inſpexiſſe, & conſideràſſe aſſerebat. Ciſtam verò cum præfato ſigno accepit ſecum Domina Comitiſſa Kohariana, horum DD. Fundatorum Filia, pro memoria.* Hæc ille.

Secundò Illustr. Dominus C. Andreas Serényi de Sereny, item quidam D. Capitaneus Ord. Equestris Puchovii defunctus, nec non alius D. Officialis Supremus Vigiliarum Præfectus, quidam D. Plebanus aliique magnæ notæ viri, quorum Patria, locus, Nomina, annus, dies obitûs, non sunt in libro annotata.

Tertiò Illustr. D. Maria Barbara Podstatski nata Comitissa de Königseg. Anno 1735. die 17. Septembris defuncta, & die 19. ejusdem tumulata.

Quartò Excellentissima D. Comitissa Antonia nata Breineriana, relicta vidua à Königseg anno 1740. die 6. Maji defuncta.

Quintò Ladislaus, & Elisabetha à Königseg gemelli annô 1743. die 27 Aprilis sepulti.

Sextò Excellentissima D. Christina Balassa relicta Vidua Excell. D. C. Wolfgangi Serényi, annô 1750. die 14. Martii defuncta, & 17. ejusdem tumulata. Reliqui in libro Conventûs reperibiles.

In altera Crypta tria tantumodo Corpora ex Familia Madocsanyiana defunctorum tumulata deprehenduntur.

Confraternitas, Via Crucis, &, Tert. Ordo.

Confraternitas S. Francisci erecta est in hac Ecclesia annô 1675. die 4 Octobris. Via Crucis annô 1738. cujus Exercitium habetur in Quadrag. singulis Dominicis, aliàs verò Dominicis tantùm Novilunii. Denique Tertius Ordo S. P. N. Francisci initium sumpsit annô 1745. existente Loci Guardiano, & dicti Ord. Primo Directore P. Ferdinando Fiala.

NOMINA SUPERIORUM HUJUS CONVENTUS.

Annô
1689. P. Leonardus Ondrejkovics.
1690. P. Capistranus. Kossulics. Guar.
1691. P. Benignus Prussius.
1694. P. Raphaël Samko.
1695. P. Clemens Nagy.
1696. P. Emericus Terchovics.
1697. P. Ladislaus Radosini.
1698. P. Carolus Fidler.
1700. P. Martinus Podivinski.
1701. P. Philippus Bradacs.
1705. P. Godefridus Mayer.
1708. P. Emericus Terchovics.
1710. P. Raphaël Samko.
1711. P. Ladislaus Radosini.
1712. P. Narcissus Czihlarik.
1713. P. Ludovicus Kitska.
1716. P. Bartholomæus Rozboril.
1718. P. Francisc̃us Thekal.
1719. P. Christophorus Nekulni.
1720. P. Simon Zazmusil.
1722. P. Robertus Sklenar.
1724. P. Philippus Vesseli.

Annô
1726. P. Robertus Sklenar.
1728. P. Dionysius Wlcsek.
1730. P. Robertus Sklenar.
1732. P. Alexius Kempa.
Die 12. Junii Vitâ functo successit ut Præsidens.
Eodem. P. Joannes Prochaczka.
1733. P. Robertus Sklenar.
1735. P. Joannes Prochaczka.
1737. P. Matthæus Motzak.
1738. P. Gregorius Vaczulik.
1739. P. Antonius Schwab.
1741. P. Florentius Wlcsek.
1742. P. Franciscus Liptai.
1743. P. Ferdinandus Fiala.
1745. P. Urbanus Fridrich.
1747. P. Ferdinandus Fiala.
1749. P. Matthæus Motzak.
1750. P. Hilarius Krepelka.
1753. P. Donulus Kneisl.
1756. P. Florentius Wlcsek.
Continuat usque modo.

XII. CONVENTUS SZENDRÔVIENSIS AD S. MARIAM ANGELORUM.

§. I.

Succincta Descriptio Oppidi Szendrô.

Situs Oppidi Szendrô.

N. 124. OPpidum Szendrö, Diœcesis Agriensis, Comitatûs verò Borsodiensis, sex circiter milliaribus à Libera Regiáque Civitate Cassovienſi, Meridiem versùs distans, etsi in se stat humile sit, situ tamen gaudet sat commodo, utpote montibus undique circumdatum, sic tamen ut agris quoque colendis neFluvius Oppidum in 4. partibus præterfluens. cessaria non desit planities. Oppidum hocce, piscosus interfluit Amnis *Bódva* dictus, qui ex alveo excurrens, in quatuor derivatur rivulos, unde tres Oppidi partes, quasi in tribus sunt collocatæ insulis.

Tria olim habuit propugnacula. Tribus olim gaudebat propugnaculis, quorum princeps in monte, Oppido ex parte Orientali inhærente à Bebeco ut fertur Ovium pastore, dein potente in Hung. Dynasta extructum fuerat, alterum, ad montis ejusdem radicem, tertium denique in insula Occidentem respiciente, collocatum fuit. Primum, jam currente Sæculo Francisci Rakóczi, in domum Austriacam odium funditus evertit. Alterum jam priùs desolatum, nunc ab Hæreditario suo Domino, Excellentissimo inquam D. Comite Antonio Csáky, ad normam Castelli restauratur. Denique tertium, quo tempore desolationem acceperit mihi non constat, in ejusdem tamen loco, jam annô 1636. Fratres Minores suam accepisse habitationem infra demonstrabitur, quos præter nullus hic Sacerdos Catholicus, ipsi namque jam ultra Sæculum Parochialia quoque obeunt munia. Nihilominus prope Arcem inferiorem ad montis radicem sitam, sat ampla extat Ecclesia, Calvinianorum deserviens usibus. Præter hæc omnia, tam ipsum Territorium Szendrövienſe, quàm proximum *Szalonnenſe* dictum, vitiferos habet colles, generosum, & cum Submontanis quandocunque comparabile propinantes vinum.

Montes vitiferi.

§. II.

De Introductione Fratrum Minorum ad Oppidum Szendrô, & Fundatione Vesselényiana.

NEmo miretur si pauciora, quàm sperâsset de Conventûs in Oppido Szendrô Fundatione, & erectione repererit, cùm enim binas gravissimas subierit ab igne omnia depascente clades, ùt infra patebit, documenta quoque, si quæ exstabant, eodem consumpta fuisse nullus dubitare potest.

Introductio Fratr. Min. Annô 1636. N. 125. Illud ex antiquo Provinciæ Urbario plane eruitur, quòd Introductio Fratrum nostrorum in hocce Oppidum acciderit Annô Domini 1636. per Illustr. Com. Joannem Homonnai, Civitatis Cassovienſis Commendantem, ita mandante Ferdinándo II. Rom. Imp & Hung. Rege, ac consentiente Illustr. & Reverendiss. D. Episcopo Agrienſi sequenti tenore:

Consensus Episc. Agrienſis pro Conventu erigendo. *NOS Emericus Lósi Episcopus Agrienſis, Comitatuum Heves ſienſis, ac utriusque Szolnok Supremus, ac perpetuus Comes, nec non Sacratissimæ Romanorum Imperatoriæ, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c Regiæ Majestatis Consiliarius &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit universis: Quod postèaquam Sacratissima Cæsar. Regiaque Majestas, Dominus noster Clementissimus, ad humillimam supplicationem eorum quorum intererat, ut Conventus in Oppido Szendrö vocato, inque*

Comitatu Borſodienſi exiſtente, habito extrueretur, tùc ædificaretur, benignè ſe reſolvere, ac ad noſtrum tanquam Ordinarii aſſenſum adhibendum clementer remittere dignata eſſet; Nos proinde ad debitam requiſitionem eorundem, Suæ Sacratiſſimæ Majeſtati in prædicto negotio ſupplicantium, quibus id ex dictamine Epiſcopali, Epiſcopatûs Noſtri præfati Agrienſis (cujus clavum Dei benignitate pro nunc gubernamus) incumbit, voluntati, & gratioſo arbitrio ſæpedictæ Sacr. Cæſ. Regiæque Majeſtatis, demiſsè accomodare volentes, tum ob id, cum etiam propterea, uti qua parte fieri poteſt, commodo Eccleſiæ proſpiceremus, zelúmque Chriſti fidelium magis, magísque accenderemus, non modo conſentiendum benignæ Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ conceſſioni, ſed præterea benedictionem quoque impertiendam, ac temporale quoque auxilium adhibendum in quantum fieri poterit, conſtituimus, & decrevimus, prout conſtituimus, & decernimus præſentium per vigorem. Datum Jaſzoviæ in loco Reſidentiæ Noſtræ modernæ Die 10. Menſis Septembris Annô Dom. 1635.

Emericus Lósi Epiſc. Agr. (L.S.)

Igitur Conſenſum Epiſcopalem annô 1635. emanâſſe ex Litteris mox relatis (quæ etiam actu in Originali in Archivo Provinciæ conſervantur) patet, at introductio Fratrum non niſi annô ſequenti peracta, Primúsque in loco conſtitutus eſt Præſidens P. Joannes Chryſoſtomus Gyöngyöſſi. Porrò locus extruendæ Reſidentiæ, ſucceſſivísque temporibus etiam Conventûs, aſſignatus eſt in extrema Inſula Occidentem reſpiciente, ubi Tertium illud ſupra relàtum Fortalitium quondam exiſtebat, quod jam tum potiori ſaltem ex parte deſolatum fuiſſe videtur.

Primus Præſidens.

Locus pro Conventu aſſignatus.

126. Cæterùm etſi Provincia, hac conditione, ſeu potius humili cum Supplicatione, ita prædictum acceptaverit locum, ut Patroni loci, ædificii quoque Promotores eſſe velint, illud nihilominùs non niſi emendicatâ à piis Benefactoribus eleëmoſynâ exurgebat, unde non mirum quod primùm annô 1671. in numerum Conventuum venire potuerit, ut infra dicetur.

N. 127. Quia verò in loco hoc uti nunc, ita magis pro illo tempore hæreticis repleto, Suſtentatio quoque Fratrum admodùm ardua foret, ſuſcitavit Deus Spiritum Comitis Franciſci Veſſelényi Regni Hung. Palatini, & Bonorum Szendrövienſium pro tunc Domini Hæreditarii, ejuſque Conſortis Mariæ Szécſi ut annô 1654. certam pro congrua Fratrum ſuſtentatione quottannis præſtandam liberaliter ſtatuerent penſionem. Cujus benignæ Reſolutionis Originale cùm ſucceſſivis temporibus interiiſſet rurſus in anno 1663. priorem ſuam verè piam, ſequenti ſcriptô firmavit Conſtitutionem.

C. Veſſelényi facit pro ſuſtentatione FF. certam fundationem.

Litteræ Fundationales.

NOS Comes Franciſcus Veſſelényi de Hadad perpetuus in Murány, Regni Hungariæ Palatinus, Judex Cumanorum, Aurei Velleris Eques, Comitatuum Gömör, item Peſth, Pilis, & Sold univorum ſupremus Comes, nec non Sacratiſſimi Principis D. D. Leopoldi Dei Gratia Electi Rom. Imp. ſemper Auguſti ac Germaniæ Bohemiæ &c Regis &c Intimus Conſiliarius, Camerarius, & per Hungariam Locumtenens. Et Comitiſſa Anna Maria Szécſi de Rima Szécs, memoriæ comendamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis. Quod poſteaquam Nos ſuperioribus, præteritis temporibus, in anno videlicet Domini 1654. die nimirum 9. menſis Januarii jam præteriti, moti pietatis Zelô, quô erga Ordinem S. Franciſci Seraph. ducimur, certam quandam pro Conventu ejuſdem Ordinis Szendrövienſi feciſſemus, & inſtituiſſemus fundationem, cujus Originalia, ſiquidem medio tempore à dictis Patribus Szendrövienſibus caſu quopiam deperdita, & abalienata eſſe dignoſcantur, ob hoc Nos eandem Fundationem denuò præſentibus de verbo ad verbum inſeri & inſcribi facientes, in omnibus punctis, clauſulis, & articulis approbamus, ratificamus, & corfirmamus, cujus tenor talis eſt:

Adgyuk tudtára az kiknek illik ezen levelünk rendiben, hogy mi a' Sz. Ferencz Szerzetibez kivált-képpen-való indulatunkból viſéltetvén itt Szendrôben ujonnan letelepedett azon Sz. Ferencz Szerzetin lévô Pater Franciſcanuſok Suſtentatiójára, rendel-

deltünk annuatim száz forintot, ugy hogy azt Kántoron-ként, tartozzanak ö kegyelmeknek le-tenni, az itt valò Szendrei Gondviselöink. Item hat hordó bort, száz Kassai köböl buzát, a' Csebi malomból a' Szabatumat, minden esztendöben vajat, boronzát, és egyéb-féle Victuálét pro discretione nostra, és mivel húst, tyúkot nem adhatunk, arra is annuatim ötven forintot adgyanak meg-nevezet Tiszt-Viselöink. Szénát, abrakot pro discretione. E' mellet az ujonnan erigált Ser-nevelöböl-is mindenik fözetböl egy egy hordócskát. Ezeknek pedig az felöl meg-irt dolgoknak effectuálására nem csak Mi, söt a' mi Maradékink, és Successorink-is usque ad pium Zelum nostrum obligatusok legyenek. Mellynek nagyob bizonyságára adtuk ezen pecsétes Levelünket kezünk irásával confirmálván. Datum in Arce Nostra Murány Die 9. Mensis Novembris An. Domini 1663.

Comes Vesselényi m. p. (L. S.) Comitissa Anna Maria Szécsy m. p. (L. S.)

Quæ quidem Fundatio, non modo, possidente Bona prædicta Comite Vesselényio, verùm eisdem, ob dicti Comitis infidelitatem ad Fiscum devolutis, quottannis debitè persolvebatur, at cùm successivis temporibus Dominium hoc Illustrissimæ Familiæ Csakianæ collatum fuisset, neque ipsa hujusmodi obligationem in se assumere voluisset, post multas hujus Conventûs Instantias, tandem apud Regiam Majestatem impetratum est, ne pia primi Fundatoris intentione fraudarentur, certámque quottannis ab I. Camera Scepusiensi per modum eleemosynæ acciperent pensionem, cum obligatione celebrandi unum Missæ Sacrificium hebdomadatim qualibet feriâ quartâ, & infra Octavam Nativit. Domini, eadem feriâ solemnem Missam, cujus Introitus est: *Dominus illuminatio mea, & salus mea &c.* pro felici Gubernio suæ Sacratissimæ Majestatis.

Bonis ad Familiam Csakianam devolutis cùm hæc fundarionē non præstare. Regia Majest. præstandā resolvit.

§. III.

De Residentiæ in Conventum Erectione, & duplici ejus Vicissitudine.

N. 127. JAm superiore tactum est §. quòd postquam Fratres nostri ad dictum Oppidum Szendrö introducti fuissent, annis fere 35. ut Residentiam tantumodo locum incoluerunt, obstabat enim Residentiæ in Conventum erectiom tum ratio supra allegata, quod nempe nullô solidô ædificii Conventus Patronô existente, ægrè admodum nervus ædificandi haberi potuerit, in loco præsertim Hereticis quaqua-versus repleto, tum maxima in Regno disturbia per rebelles causata, quibus factum est, ut paucis evolutis post primum Nostrorum ingressum annis, ruinatô, quod pro ratione temporis extruere poterant ædificiô, exulare sint coacti, quæ prima fatalitas in quem inciderit annum, non reperio annotatum, hoc solum in Actis Provinciæ ad annum 1646. lego: *De Conventu Szendröviensi desolato per disturbium relinquitur ulterior dispositio Patrum.* Unde post annum 1641. (quô in Præsidentem institutus fuerat P Georgius kiss) usque ad annum 1650. nullus Patrum vel Fratrum ad locum hunc legitur ordinatus.

Rationes cur Residētia in Conventum tardiùs sit erecta.

N. 128. Remittente autem aliquantisper rebellium furore, rursus Fratres nostri ad pristinum Szendröviæ regressi sunt locum, in quo sedulam adhibentes curam, piorum elëemosinis adjuti, in tantum successivis annis in ædificio Conventus processerunt, ut curatis omnibus, quæ ad formatum necessaria forent Conventum, tandem anno 1671. in Capitulo Provinciali Szakolczæ die 31. Maji celebrato, Residentia hæc in formalem Conventum sit erecta, instituto Proto-Guardiano M V. P. Michaële Kuratóczi SS. Theol. Lectore.

Residentia in Conventum erigitur.

Proto-Guard.

N. 129. Verumtamen non diu Conventûs prærogativâ gaudebat locus Szendröviensis. nondum enim tertius ab ejus in Conventum erectione effluxit annus, rursus in pristinam, ac fors in majorem venit desolationem, sic enim de eodem in

Conventus desolatur, & iterum fit Residentia.

in Capitulo Szakolczenſi die 13. Maji anno 1674. celebrato conſtitutum legitur: *Siquidem Conventus Szendrövienſis à rebellibus exuſtus, & deſtructus eſſet, ita ut neque ad Divina peragenda, neque ad Fratrum Religioſam inhabitationem locus aliquis decens relictus ſit, Ven. Diffinitorium declarat, impoſterùm ibidem non Guardianatum, ſed Reſidentiam eſſe debere, ubi autem Deo dante reſtaurabitur, eodem, quò prius titulò gaudebit.*

Relatio de Conventus exuſtione.

N. 130. Porrò tragædia hæc quâ Conventus in tantam venit deſolationem in Connotationibus *P. Chriſtophori Agricola* ita deſcribitur: Circa annum prænotatum, inſurgentibus adverſus Clementiſſimum Regem Leopoldum hæreticis, cùm fama ferret turmam Rebellium ex mille circiter, & quadraginta Capitibus conſtantem, Szendröviam adventare, non pauci, tam incolarum, quàm exterorum Vicinorum, Sexûs utriuſque, ad hunc ſe recepére Conventum, animô ſe pro poſſe contra hoſtes defendendi. Vix hoc factum eſt, ecce nocte quadam adſunt rebelles, vim omnem, ut interiora Clauſtri ingredi poſſint intentantes, ſed reſiſtentibus fortiter incluſis, ab hora tertia noctis uſque ad lucem nihil proficiunt, quare irâ frementes Conventum ſuccendunt, quô undique flammis abreptô, majoreque vi adhibita, raptis aliquot, tum Conventûs, tum quorundam militum pro defenſione Conventûs ad intra exiſtentium equis, cùm nil ampliùs efficere valerent, repulſam paſſi, amiſſis non paucis Sociis, furibundi diſceſſerunt, ipſe autem Conventus unâ cum Eccleſia, & toto ferè Oppido in cineres abiit.

Fratres ſe ad domum D. Syndici recipiunt.

Deſolatô ſic Conventu, cùm in eodem habitatio Fratrum nec commoda, nec tuta eſſet, ad interius Oppidum, ad domum D. Syndici (quæ ferè ſola incendium evaſit) ſe receperunt. Cúmque poſt dies aliquot, duo è Fratribus ad inviſendum Conventum pergerent, à latitantibus in foſſa quadam latrunculis invaſi, unus quidem eorum fugâ ſibi conſuluit, alter repentino ictu graviter fauciatus, in manus eorum incidit, abductúsque eſt, absque dubio ex odio fidei perimendus, nî Deus mirabiliter ereptum ad ſuos redire feciſſet. Hæc in Præfatis Connotationibus licet paulò fuſiùs.

Deinde ad Arcem inferiorem migrant, & ibi aliquo tempore habitant.

N. 131. Poſt hæc tutioris habitaculi gratiâ Fratres Noſtros ad Arcem inferiorem, quam ad montis radicem ſitam ſupra relatum eſt, ſe recepiſſe valde mihi perſuaſum habeo, duplici fundamento, primò quidem ex Arcis hujus per Officiales Regios Conſcriptione Annô 1681. die 21. Maji facta, in qua inter alia habetur: *Dari in ea duas Cellas Vinarias, quarum unam è rupe excavatam, & 40. vaſorum vini capacem Patres Franciſcani cum quatuor hypocauſtis, ſeu habitationibus recenter reſtauratis, atrio item, & Culina una, tertiáque parte Areæ macerie munita inhabitant.* Secundô ex Pari Inſtantiæ circa hoc tempus ad Auguſtiſſ. Imperatorem Leopoldum Nomine totius Provinciæ porrectæ, in qua humiliter ſupplicatur, pro expeditione Diplomatis Regii, ſuper Conceſſione jam facta in Arce præfata Conventum conſtruendi, ſecurioris commorationis gratiâ. E quo duplici fundamento manifeſto eruitur Fratres Noſtros circa annum 1681. in Arce præfata, jam quidem ex parte ruinata habitâſſe, verùm denegatô fors petitô Diplomate Regiô, ſedatísque pauliſper tumultibus, iteratò ad locum priſtinum rediiſſe, ubi reſtauratô ædificiô, jam ſecundò Reſidentia hæc ad numerum Conventuum venit, Annô 1694. in Congregatione Gyöngyoſſini die 20. Menſis Januarii celebrata, à quo tempore uſque ad annum Currentem in eſſe ſuo perfecto durat, & perſeverat.

§. IV.

Quomodo Adminiſtratio Parochiæ Szendróvienſis ad Patres devoluta ſit.

PErquàm notum eſt, poſt fatalem illam Hungarorum ad Campum Mohách cladem, tanta Lutheri, & Calvini Hæreſes ſumpſiſſe incrementa, ut major fere Regni pars eorundem erroribus infecta foret, quod Oppido quoque Szendróvienſi accidit, pauci hic admodùm, præſertim circa initia Sæculi prioris, Orthodoxæ

doxæ fidei Zelatores reperiebantur, cùm verò, & ipsi omni solatio Spirituali carerent, utpote nullum animarum pastorem, nullum pro Divinis persolvendis locum habentes, Indulto Ferdinandi II. Imp. & Hung. Regis annô 1625. factum est, ut in Arce inferiori Capella erigeretur, in eademque Sacerdos Catholicus cum certa solutione annua, ex proventibus præfatæ Majestatis Cæsareæ, & Regiæ præstanda interteneretur. Ejus tamen Capellæ actu ne vestigia quidem extant, sed recentissimè nova erecta est per Excel. Com. Antonium Csáki Dom. Arcis, vel potius Castelli.

In Arce inferiori Capella erigitur.

N. 132. Interim an & cujus Statûs Sacerdos, quamdiu item in Arce prædicta Catholico servierit populo? mihi minimè constat, hoc unicum, quòd annô 1633. & priori, è nostris Patribus unus hujusmodi servitia ibidem præstiterit, compertum habeo, ex duplici Epistola ad P. Ministrum Provincialem, eo tum Franciscum Szent-Benedeki, seu à S. Benedicto scripta, & in Archivo Provinciæ actu etiam in Originali reperibili.

Deducitur in Arce P. Nostrum servivisse An. 1633.

Primam scripsit Illustr. & Rndiss. D. Episcopus Agrienſis Joannes Pyber, in qua operosè hortatur prædictum P. Ministrum Provincialem, quatenus sub obedientiæ merito, velit imponere Patri Paulo in Arce Szendrövienſi jam ab anno existenti, & inde discedere cupienti, nei id faciat, saltem usque dum de alio animarum pastore provideatur, adjungens rationem: metuendum nempe esse, ne fors Novitii Catholici, qui ejusdem Patris operâ, Ecclesiæ Catholicæ sunt aggregati, & nondum in vera Fide bene firmati, in pristinam hæreseos revertantur contagionem &c.

Episc. Agr. Provincialem hortatur ut Patri discedere volenti ex Arce mansionē præcipiat.

Alteram scripsère Officiales Arcenses, qui pariter instant pro præfati Patris ulteriori cum iisdem mansione, eandem quæ supra relata est allegando rationem. Miror quomodo in illa priore, Episcopali inquam Epistola, Pater ille, Paulus, in posteriori verò Jacobus vocetur, cùm tamen utraque eodem annô, nempe 1633. eodemque Mense, videlicet Januariô, licèt diversis diebus emanaverit? Sed hæc nominis diversitas, rei veritati non videtur obesse, cùm in his facilè error irrepere possit, credibileque sit Illustr. & Reverendiss. D. Episcopum nomen Patris ignorâsse, illud certè negari non potest, pro eo tempore Patrem nostrum Catholicis Servitia Spiritualia præstitisse.

Arcenses pro Patre instant.

Error in Nomine Patris in Arce servientis.

N. 133. At iteratò non constat, an & quamdiu nominatus Pater in Arce toties dicta moram traxerit? conjicitur tamen usque ad novam de Sacerdote Ecclesiastico per Diœcesanum provisionem, qui demum annis aliquot Orthodoxis Sacramenta ministrabat. Postquàm verò successu temporis, & istô Catholici Arcenses, atque Oppidani Szendrövienses destituti fuissent, neque alium ad Munia Spiritualia obeunda habere valerent, converterunt cogitatum suum ad Patres nostros, jam Szendröviæ in loco præattacto residentes, requirentes eosdem pro talismodi Spiritualibus obsequiis, & functionibus præstandis, qui annuente desuper haud dubiè A. R. P. Ministro Provinciali p. t. existente, ita fideliter, & operosè servierunt, ut Domini Officiales Arcis, Orthodoxæ fidei in Szendrö, mediante I. Camera Scepusienſi, apud Regiam Cameram Hungaricam zelosè institerint, quatenùs ad Divinum Cultum promovendum, ob carentiam Sacerdotis Ecclesiastici, Regia Camera Hungarica, erga præstita, & deinceps fideliter præstanda Servitia Spiritualia, in fundationali Litterario Instrumento expressa, à Sua Cæsarea, Regiáque Majestate benignè resolutam pensionem annuam, Patribus hujusce Residentiæ resolvere vellet, super qua postulatione sequens acceperunt responsum:

In Arce Ecclesiasticus servit.

Illo vel discedente vel moriuo Arcenses nostros pro servitiis rogant.

Instant insuper apud Cameram Hung ut Pensio pro Sacerdote Catholico ordinara pro Nostris resolvatur.

Generosi DD. & Amici Nobis observandissimi.

SErvitiorum nostrorum paratissimam Commendationem. Litteras Dominationum vestrarum Gen. sub 15. præterlapsi Mensis Aprilis exaratas, nobisque 23. ejusdem cursu ordinario allatas, unâ cum inclusis Paribus benignæ Resolutionis, prædefunctæ Suæ Ma-

Litteræ Cameræ Hun. quibus Pẽsio illa pro Noſtris reſolvitur.

jeſtatis Cæſ. & Regiæ, condam Ferdinandi II. piiſſimæ reminiſcentiæ, pro Sacerdote Catholico in Præſidio Szendrövienſi intertenendo, adhuc in anno 1625. dudum antea transacto emanatæ, accepimus, & qualiter Dominationes Veſtræ Gen. pro pio ſuo zelo erga promotionem Eccleſiæ Catholicæ rectè indicent, ut proviſio illa, in dicta reſolutione Suæ Majeſtatis ſpecificata, Patribus Franciſcanis, in eodem Præſidio Szendrövienſi functiones, & vices Plebani Catholici defacto ritè obeuntibus, & in Vinea Domini die noctúque deſudantibus applicetur, apprimè intelleximus, nec ſumus ulla ratione contrarii, quin potius, ne pia intentio dictæ Suæ Majeſtatis fine ſuo fruſtretur, & etiam ut in prænotato Præſidio Szendrövienſi, Cultus Divinus cum incremento Eccleſiæ Catholicæ, tanto magis ferveat, & promoveatur, omnino Fundationem illam dictis Patribus Franciſcanis applicandam, & conſignandam cenſemus. Ac proinde Dominationes Veſtras præſentibus requirimus diligentiſſimè, quatenùs velint pro continentiis ſuprafatæ Reſolutionis Suæ Majeſtatis, tam de frumento, & Vino, tam etiam de centum, & quinquaginta florenis, præfatis Patribus Franciſcanis Reſidentiæ Szendrövienſis, ab illo tempore, quo poſt diſturbia eò reverſi ſunt, computando annuatim, & ſucceſſivis vicibus exolvendis, effectivam debitis in locis facere ordinationem. In reliquo &c. Poſonii 29. Maji. 1655.

N: N: Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Cameræ Hungaricæ Director, & Conſiliarii.

PP. Szendrövienſes ab an. 1655 Parochiam adminiſtrant, & Penſionem conſtitutã percipiunt.

Igitur ab Anno 1655. uſque ad hæc tempora, Patres Noſtri Szendrövienſes, ſicut exercitium functionum Parochialium continuant, ita conſtitutam, à Cæſarea, Regiáque Majeſtate Ferdinando II. penſionem, conſentientibus etiam ejuſdem Succeſſoribus, at præſertim actu feliciter regnante Auguſtiſſima Regina, Maria Thereſia, quottannis ritè percipiunt. Hoc ſolùm immutato, quòd cùm Penſio illa ex parte, de rebus in natura, ut frumento, & Vino conſtaret, (uti & ea, quæ olim per Com. Franciſcum Veſſelénium benignè conſtituta fuerat) impoſſibiléque videretur hæc ampliùs in natura præſtari, Annô 1690. ordinatum eſt, ut in ſortem quoque frumenti, & Vini, ac aliorum Deputatorum competens æris ſumma præſtaretur. Obligatio Patrum præter jam relatam eſt, Ludi-Rectorem quoque ex Ferdinandæa Fundatione intertenendi.

§. V.

Brevis Relatio de moderno Statu Conventûs, & Eccleſiæ.

Conventus nullum ſingularem habuit quoad ædificiũ Patronum.

N. 134. CONventus hic (idem de Eccleſia) nullum ſingularem (uti ſupra relatum eſt) in ſui erectione habuit Patronum, bis enim deſolatus, & incendio per rebelles cauſato conſumptus piorum Fidelium eleëmoſynis, & ex Cæſareo-Regia actuali Fundatione rurſus aſſurrexit. Cùm verò ædificium vetus Patribus minus ſtabile videretur, Annô Dom. 1718. novum, & ſtabiliùs ponere cæperunt, quod ex toto conſumationem accepit Annô 1737.

Novi erectio.

Situs Conventûs.

Conventus hic, priùs in quadro perfecto, verùm ſatis exiguo poſitus fuerat, ex quo cùm nec Cellæ pro Fratrum habitatione ſufficerent, nec locus pro eleëmoſynæ Sacræ conſervatione competens haberetur, ſuperadditus videtur Novus Tractus in longum, Septentrionem versùs extenſus, ſuperiùs quidem octo circiter vel novem Cubicula, ſubtus verò Sacræ Eleëmoſynæ Conſervatorium habens.

Numerus Cellarum.

Hortus.

Nunc igitur præter locum pro Refectione conſtitutum, Coquinam, & quædam Conſervatoria, habentur in eodem pro Fratrum habitatione Cellæ circiter ſeptem ſupra viginti. Horto quoque gaudet ex parte Septemtrionali ſatis ſpatioſo, & fructifero, ac tam pro diſtractione Fratrum, quàm pro Culinæ neceſſitatibus plurimum utili, & commodo.

Quæ Studia habita.

Quod Studium Litterarium concernit, Primum in hoc Conventu deprehenditur fuiſſe Caſuum Conſcientiæ, Annô Dom. 1725. Lectore M. V. P. Vito Komparics.

parics. Quod cùm aliquot annis mutatis nempe Lectoribus, & discipulis continuatum fuisset, ei successit Philosophicum, dein jam hoc jam illud tradebatur, licèt quandóque absque omni Studio Conventus manebat. Denique ab An. 1748. Novitii instituebantur usque ad Annum 1758. quô, in Congregatione Galgoczii die 30. Aprilis celebrata, Conventus hic pro Recollectione Patrum designatus est, ut jam supra in Parte 1. relatum habetur. Novitiatus. Recollectio

N. 135. Ecclesia (quæ unâ cum Conventu est sub Patrocinio S. MARIÆ Angelorum) easdem quas Conventus subibat vices. Ad eum, in quo nunc videtur Statum (cùm priùs longè minor fuerit) deducta est Annô 1741. industriâ, & sollicitudine R. P. Georgii Megyessi Ex-Diffinitoris, & Conventûs Guardiani Actualis. Est etiam actu absque Consecratione unâ cum Altaribus, quæ sunt quatuor, Majus, recentissimè Annô videlicet 1752. erectum, dicatum est Honori S. MARIÆ Ang. Altarium ex parte dextera intrantium, Honori S. Antonii Paduani perpetuo Privlieg. qua parte, sed propiùs ad portam Ecclesiæ, habetur Tertium, in Honorem B. V. MARIÆ de Laureto erectum. Denique Quartum ex parte sinistra è regione Altaris S. Antonii, cujus Sancti vel Sanctæ Honori designabitur, nondum constat, cùm adhuc Imagine principali careat, habet verò actu unam ex antiquis Iconibus S. Josephi. Patrocinium Ecclesiæ. Ejus Restaurario. Altaria.

Cryptæ in hac Ecclesia tres habentur, in Sanctuario una in qua Fratres nostri tumulantur, hic quoque tumulatum quiescit Corpus Illustr. D. Magdalenæ de Lulier. In Sanctuario altera, in quâ sepulta sunt Corpora Illustr. D. Comitis Petri Andrássi. Item Illustr. D. Com. Guadányi olim Arcis Szendrövienſis Commendantis ejusdemque Prolium, & Nepotum. Tertia denique infra Chorum in qua pariter aliquot Nobiles Personæ sunt tumulatæ. Cryptæ.

SUPERIORES HUJUS CONVENTUS.

Annô
1636. P. Joan. Chris. Gyöngyössi Præs.
1640. P. Georgius Jászai.
1641. P. Gregorius Kiss.
1644. P. Joan. Chrisost Gyöngyössi.
Sub hoc videtur locus desolatus, & ad tempus derelictus
1650. P. Georgius Jászai.
Per annos 5. nullæ Tabulæ reperiuntur.
1656. P. Vitus Burganovszki.
1657. P. Gregorius Gottman.
1659. P. Laurentius Jász.
1660. P. Lucas Constantini.
1661. P. Michaël Baghi.
1663. P. Lucas Constantini.
1665. P. Ludovicus Nováki.
1667. P. Lucas Constantini.
1668. P. Ferdinandus Egyegi.
1669. P. Andreas Phülöp.
1671. P. Michaël Kuratóczi Guard.
1973. P. Joannes Bárkanyi.
Sub hujus Guardianatu Conventus à rebellibus concrematus est.
1674. P. Bernardin Vigasd. Præsid.
1676. P. Nicolaus Honti.

Annô
1677. P. Athanasius Erdöss.
1679. P. Bernardinus Somodi.
1680. P. Georgius Bárkányi.
1684. P. Josephus Biro.
1685. P. Franciscus Endrész.
1686. P. Gerardus Peterlenyi.
1687. P. Josephus Biro.
1688. P. Paulus Szegedi.
1689. P. Dionysius Keleffi.
1690. P. Remigius Nyájas.
1692. P. Josephus Biro.
1693. P. Dionysius Keleffi.
1694. P. Joannes Barkányi Guard.
1695. P. Nicolaus Andrássi.
1696. P. Bonaventura Csetö.
1698. P. Basilius Maróthi.
1699. P. Thomas Kiss.
1700. P. Dionysius Keleffi.
1701. P. Bonaventura Csetö.
1702. P. Franciscus Sürtei.
1703. P. Bonifacius Szentléleki.
1705. P. Adalbertus Hetényi.
1708 P. Sylvester Vass.
1710. P. Franciscus Koós.
1711. P. Innocentius Sárközi.

1712. P. Fortunatus Föczén.
1714. P. Blaſius Móra.
1717. P. Joannes Kutaſſi.
1718. P. Franciſcus Koós.
1720. P. Adalbertus Heténvi.
1721. P. Joachimus Sükösd.
1722. P. Athanaſius Siſto.
1723. P. Bernardinus Horváth.
1724. P. Capiſtranus Terenyei.
1726. P. Joſephus Bede Prov. Pater.
1728. P. Georgius Megyeſſi.
1729. P. Martinus Sebeſtini.
1730. P. Georgius Megyeſſi.
1733. P. Joannes Kutaſſi.
1735. P. Franciſcus Györi.
1737. P. Urbanus Kovács.
1738. P. Antonius Farkas.
1739. P. Dionyſius Paláſti.
1741. P. Georgius Megyeſſi.
1744. P. Urbanus Nedeczki.
1745. P. Remigius Oláſz.
1746. P. Georgius Megyeſſi.
1747. P. Cornelius Megyeſſi.
1748. P. Georgius Megyeſſi.
1751. P. Emericus Szovai.
1752. P. Georgius Megyeſſi.
1753 P. Florentius Cſapo.
1754. P. Abrahamus Potyondi.
1755. P. Florentius Cſapo.
1756. P. Joannes Sárvári.
1757. P. Florentius Cſapo.
1758. P. Sigiſmundus Balás.

XIII. CONVENTUS KECSKEMETIENSIS AD S. NICOLAUM EPISCOPUM.

§. I.

Oppidi Kecskemét Situm, & Statum perſtringit.

N. 136. IN finibus Peſthienſis Comìtatûs Meridiem versùs jacet Kecskemét, Campeſtre, ùt Hungari vocant, Oppidum Privilegiatum, Diœceſis Vaczienſis. Cingitur (ſi Auſtrum demas) Vinetis leniter aſſurgentibus, ex quibus rubentis Vini, magè proficui, quàm generoſi magna legitur copia, ubi & Pomaria largiſſima ſunt. Trans Vineta latè protenſos ſerit Agros, & Campos habet procul excurrentes, quos pecudum probè paſtarum (unde Oppidum maximè dives eſt) Eliſios dixeris. Montes hic non alii, quàm quos potentiores venti ex Sabulo congerunt, ſed & diſpergunt. Qui ex Hungarico ſermone græcum nomen fabricant, Kecskemetinum *Ægopolim* ſeu *Caprarum Civitatem* appellant. Putat verò Franciſcus Foris Otrokocſi in Originibus Hung. Part. 2. fol. mihi 119. *Kecskemét*, ſeu Caprarum Civitatem dictum fuiſſe hocce Oppidum, quòd olim Caprarum majorem, quàm aliarum pecudum copiam haberet; ſtetiſſe item hoc loco *Partiscum* Metropolim Jazygum Metanaſtarum, hoc eſt eorum, qui aliunde huc commigrârunt. Hodierni tamen Kecskemetienſes ex Majorum aſſertione ſentiunt, iſthic fuiſſe quondam duos ſibi vicinos Pagos unum *Kecske*, alterum *Mét* dictum, crescente demum numero Incolarum in unum, cum nomine, coaluiſſe. Oppidi Situs. Nomenclatura.

Oppidum hoc vel inde frequens eſt, quòd Plebs mitiùs, quàm alibi, ferat jugum. Pars ejus potior, Catholica Sacra profitetur, reliqua poſt Calvinum abiit. Pauci hic Lutheri aſſeclæ; plures Schiſmatici Græci Negotiatores, quos, ſi excipias, populum hungaricè, idque cultiſſimè loquentem audies, ubi & Advenæ, ſuam dediſcunt linguam. Quod Magiſtratum attinet, Catholici ſolùm honore, & ordine priores, cum Helvetiis, ſua ex æquo alternant (utinam non) Officia etiam infima; Serie tamen accuratiſſimâ, quamvis Domus cum Plateis extra omnem (fortè abſente Geometrâ) ordinem ſint diſtributæ. Domus quidem ex incoctis ùt plurimum lateribus paratæ, arundine & teguntur, & ſepiuntur, interno tamen ſplendore non deſtituuntur. Reliquis inſignior eſt Domus Civica, Templo Divi Nicolai oppoſita. Populus, Religio, Ædes.

Bina à Catholicis frequentantur Templa; Parochiale unum D. Nicolai Epiſcopi honori devotum, quod accolunt Patres Franciſcani, ùt poſtea referam. Alterum SSmæ. Triadis Nomini ſacratum An. 1728. erigi cœptum, jámque ſcitiſſimo opere abſolutum; iſtô RR. Patres Scholarum, Piarum Fundatore Stephanô Kohàri An. 1715. die 6. Febr. introducti, gloriantur, eique annexum habent Collegium An. 1718. inchoatum, qui & humaniori literaturâ informant Juventutem. A Collegio ad Solem occiduum recedit nonnihil Capella Natæ Virginis, quam ambit Cæmeterium muris ſeptum. Eſt & ſuum Calviniſtis Fanum, á Parochiali Templo Boream verſus quindecim vix paſſibus divulſum; cui extruendo amplitudine pari, ac Parochiale ſuo cum Cæmeterio extenditur, facultatem à C. Stephano Kohári obtinuêre An. 1679. Duo ipſis præſunt Miniſtri; nonnullis Scholaribus Togatis Profeſſor præſidet: inferiores autem ſtudiorum Claſſes ſub diverſis Moderatoribus frequentantur ab alumnis numeroſiſſimis. Templa.

Prope Oppidum ad Brumalem Orientem eſt Capella Apoſtolorum Diviſioni dedicata, quam circumdat commune Sepulchretum Catholicorum, modicô intervallô àb Hæreticorum Cæmeterio diſtinctum. Capellæ, Cæmeteria.

Magis recedit Alia SS. Trinitati inſcripta Auſtrum versùs, in cujus circumferentia tumulati ſunt Catholici, qui An. 1739. obierunt ex peſtifera lue, quæ novem Menſium tractu ſæviens delevit universè homines, ùt ex Cathalogo, non niſi poſt bimeſtre invaleſcentis contagionis, ſignari incœpto patet, ſex mille, centum, & unum. Ad Occidentem plurimùm ſejungitur Ædicula B. Virginis Viſitantis Eliſabeth; prope quam Domus eſt Eremicolæ. Feſtô ejusdem hic celebris eſt devotio; ſingulo item Quadrageſimali Sabbatho operatur ad Aram è Conventu Sacerdos, populô non infrequente ſtipatus.

§. II.

Noſtrorum in Oppidum Ingreſſum, Conventúmque deſcribit.

Primò intrant PP. Franciſcani.

N. 137. TErtium jam decurrit Sæculum, quòd Kecskemetini Seraphici ſint Operarii. Primus in vetuſto Provinciæ Urbario ad Annum 1548. & 1550. legitur ſub Cuſtodia Strigonienſi Prædicator Kecskemetienſis P. Franciſcus de *Szerem-Ujlak* utroque Annô Berényienſis Conventûs (uti & ſubſequi Prædicatores) Familiæ adſcriptus. Unde conjicitur, non fixam hic ſedem fuiſſe initiò Franciſcanis, verùm ſtatis duntaxat temporibus ad annuntiandum Dei Verbum & miniſtranda populo Sacra, accurriſſe ad Annum uſque 1586. quô ultimum video P. Michaëm de Gyöngyös Concionatorem. Operarios hujuſmodi, *Fratres deputatos* nominant paſſim noſtra monumenta. Deinceps fortè (quam ob rem ignoro) debebant exeſſe; aut ſi cœptum continûarunt, ſignati non extant in dicto Urbario, quod Nobile documentum jam & Vulcanus volvit.

Ultimus Parochus moritur.

Eccleſiaſticos Parochiam olim curaſſe Kecskemetini indubium eſt, quorum ultimus fuit circa An. 1636. Patriâ Gyöngyöſienſis, cognomine Gyáffrás, uti refert Teſtis probatæ Fidei, & multâ Antiquitatum memoriâ pollens A. R. P. Joſephus Bede bis Emeritus Provinciæ Pater, & Oppidi hujus non immeritus Filius hodiedum feliciter ſuperſtes. Refert ipſe, quod dum adhuc in humanioribus ageret, noverit honeſtam provectioris ætatis Matronam, quæ ſupremæ antelati Parochi adfuerit Concioni, ſed & funeri. Mors autem illius hoc contigit fatô: Dum ad populum è ſuggeſtu diceret, ebulliit è naribus ſanguis, quem tametſi multis ſibi projectis ſtrophiis tergeret, ſopire tamen non valuit; inerruptô proin ſermone deſcendit, & tertiò poſt die exanguis factus, vivere deſiit.

Uti & duo RR. Patres S. J. Operarii.

N. 138. Vacante jam Parochi officiô petivêre Catholici à Rev. Patribus S. J. Tyrnavienſibus animarum Curatores, duósque obtinuerunt, peſte non multo poſt extinctos. Iterârunt ſupplicem Libellum tam A. R. Patri Præpoſito Provinciali prælaudatæ Societatis, quàm R. P. Georgio Forró Collegii Tyrnavienſis Rectori per Delegatos porrectum; at reſponſum eſt, pro ulteriori Fidelium ſolatio, qui mitti poſſent Patres, deeſſe: ſuasúmque ut paratus pro Societatis Viris locus, Franciſcanis offeretur: promiſſum attamen, quòd Gyöngyöſſienſes Patres, quoad valuerint, ſuam Kecskemetienſibus quoque operam ſubinde ſint impenſuri, quod & feciſſe eos, credi poteſt. Noſtri pariter è vicinioribus Domiciliis huc perſæpè divertentes, Spiritualibus mediis providerunt Catholicos; quot utrumque innuunt Litteræ tam R. P. Georgii Forró S. J. ad Kecskemetienſes An. 1637. die 14. Sept. datæ, tam binæ Kecskemetienſium ad Majores noſtros Annô 1644. die 28. Febr. & 22. Junii directæ. Scilicet iniquitate temporum illorum rariores fuêre Viri literati, & indidem pauciſſimi Spirituales.

Ad Oppidanorum poſtulata ſecundò inducuntur PP. Franciſcani.

N. 139. Poſtquam autem Romano-Catholicos viarum, expenſarúmque in ſtabili Paſtore quærendo pertæduiſſet, Legationem adornarunt, formatis, quarum modò memini, literis ad Superiores Provinciæ, rogantes impensè deſignari ſibi ab eis ſtabiles Religioſos, qui populi heterodoxos inter agentis, ſaluti, verbô, & Sacramentis proviſum irent; detulêre inſuper Patribus noſtris locum, prius Paræciæ deſtinatum. Auditi à noſtris benevolè, Patres An. 1644. in Capitulo Szakol-

kolczæ die 25. Junii coacto, pro Kecskemét nominatos, ibidémque ſub Proto-Præſidente P. Joanne Bapt. Gyöngyöſſienſi unà & Concionatore ſedem fixuros accepêre. Fuit & Proto-Parochus Franciſcanus recenter dictus P. Joannes, cui & hodie tali in Officio ſuccedunt omnes Domûs hujus Superiores; nam ad Parochi fundum, Officiúmque tenendum Supremi etiam in Hungaria Præſulis Georgii Lippai; Vaczienſis item Antiſtitis Ladislai Hoſzſzútothi, non diu poſt acceſſit Authoritas, ùt exhibent Litteræ utriuſque hic ſubſtratæ. Parochiam obtinent.

Litteræ Archi-Epiſcopi Strigonienſis:

NOs Georgius Lippay, Miſeratione Divina Archiepiſcopus Strigonienſis, locìque ejuſdem Comes perpetuus, Primas Hungariæ, Legatus natus, Summus & Secretarius Cancellarius, ac Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Conſiliarius Intimus. Damus pro memoria quibus expedit univerſis. Quod Nos Paſtorali cura, ac ſollicitudine noſtra Saluti animarum Divinitùs Nobis commiſſarum intenti, poſteaquàm ex fide digna relatione intellexiſſemus Oppidum Kecskemét in Diœceſi Vacienſi, & Comitatu Neogradieuſi exiſtens ob Parochorum, aut defectum, aut verò mutationem, aliàque incommoda, in Spiritualibus difficultates quandóque paſſum hactenus fuiſſe, ac defacto pati, huic inconvenientiæ Salutari remedio maturè, ac opportunè obviare volentes, benigne in Domino annuimus, & conſentimus, ùt ex prædicta Parochia Fratrum Ordinis Sancti Franciſci Provinciæ Sanctiſſimi Salvatoris Monaſterium fiat. Ita tamen, ùt præfati Fratres Franciſcani ad præſtanda ac exequenda nominatæ Parochiæ onera univerſa in Spiritualibus, ſub conſcientiæ puritate, ac cenſuris Eccleſiaſticis teneantur, ſíntque obligati. In cujus rei Teſtimonium damus illis præſentes noſtras, manus noſtræ ſubſcriptione, ac ſigilli munimine roboratas. Datum in Aula noſtra Archiepiſcopali Poſonii, die Vigeſima octava menſis Auguſti, Annô Milleſimô Sexcenteſimo Quadrageſimô Septimô.

GEORGIUS LIPPAY
Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Litteræ Epiſcopi Vaczienſis.

LAdislaus Hoſzutothi, DEI, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Vaczienſis, Præpoſitus Scepuſienſis, nec non Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Conſiliarius. Memoriæ comendamus tenore præſertim ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quod cum Reverendus Pater Michaël Szegedi, Provinciæ Sanctiſſimi Salvatoris Ordinis Sancti Franciſci Miniſter Provincialis Parochiam in Oppido Kecskemet habitam, & exiſtentem, ad continuam inſtantiam Catholicorum ejuſdem Oppidi in Monaſterium Patrum Franciſcanorum Strictioris Obſervantiæ, Provinciæ Sanctiſſimi Salvatoris, erigendi facultatem à nobis expetiviſſet, Nos itaque antelati Patris Michaëlis Szegedi tam piæ, ac Sanctæ petitioni ſatisfacere volentes, prædictam Parochiam in Oppido Kecskemet, ad formam Monaſterii cum formali clauſula erigendi, pro Patribus Franciſcanis Strictioris Obſervantiæ, Provinciæ Sanctiſſimi Salvatoris, conſenſum præbuimus, imò benevolum pariter & aſſenſum, Divinam impertientes gratiam, ut eadem Parochia in Monaſterium Patrum prædicti Ordinis erecta, cedat ad Gloriam DEI, Augmentum Fidei Catholicæ, & Patrum omnium, Fratrúmque ejuſdem Ordinis animarum Salutem. Harum noſtrarum, & Sigilli noſtri munimine roboratarum vigore, & Teſtimonio literarum mediante. Datum in Præpoſitura Scepuſienſi. Die Quinta Novembris. Annô Milleſimô Sexcenteſimô Quadrageſimô Septimô.

LADISLAUS HOSZUTOTHI
Epiſcopus Vaczienſis.

Incendio collapſam Reſidentiã Eccleſiam &c. Noſtris conſignat Status Catholicus.

Quæ forma, quæve amplitudo fuerit primi habitaculi, neſcio. Id certum, quòd poſteaquam ignis An. ùt puto 1676. majorem Oppidi partem hauſiſſet, Reſidentiámq; noſtram, Templum, Scholámque trivialem pari involviſſet ruinâ, Catholicus Status injuriâ temporum multùm preſſus, emendandísque ruinis planè impar,

par, unanimiter Noſtros ad Patres confugerit, útque corrogatô ſubſidio Ipſi Templum, Reſidentiam, & vicinam Scholam repararent, petierit, tradendo ea Reparatoribus irrevocabili ceſſione. Producam Ceſſionales ſeq. §.

N. 140. Collapſam proinde, ſed & ſibi conſignatam Eccleſiam, Reſidentiam, Scholam imploratâ Benevolorum ope ſuſcitarunt è ruinis Noſtri, & commodiori Statui reddiderunt. Repreſsâ tantiſper Turcarum, & malè contentorum Patriæ Filiorum hoſtilitate, effectum eſt ut Reſidentia hæc Annô 1694. à conſidente Gyöngyöſſini die 20. Jan. Diffinitorio in ſortem Conventuum cooptaretur. Primus hìc Guardiani munere functus eſt P. Athanaſius Mora. Primum Studium è Theologia Morali tractabatur An. 1703. Lectore P. Blaſio Mora. Succeſſit Schola Philoſophica, quæ primùm frequentabatur An. 1710. Lectore P. Michaële Mora. Vide hic tres inter Fratres triplicem Primatum (fatô quô, neſcio) condiviſum. Deinceps jam Morale, jam Philoſophicum, intercepto nonnunquam curſu, tractatum eſt Studium.

Conventibus adnumerat Reſidentiam V. Diffinitorium, & eò Studia ordinat.

N. 141. Singularem ædificii Patronum hic Conventus veneratur neminem, utpote quem noſtri Piorum tantùm ſuggeſtô nervô erexerunt. Moderno Conventui initium dedit P. Joànnes Nagy Guard. An. 1702. illô primùm erectô Tractu, qui Diſpenſam complectitur. Quô verò tempore perfectum ſit Ædificium, notitiam non habeo. Novi tamen Imbricibus contectum eſſe An. 1741. curâ P. Remigii Olaſz Guard. ut munimen Incendiis opponeretur. Conventus in majori Oppidi platea Situs, quadri figuram habet, ſi Ambitellum excipias, quô Eccleſia, & Chorus adiri debet. Ab Occidente Domum Civicam reſpicit, à Septemtrione Templum D. Nicolai habet, ſed & Fanum Calvinianum; ab Auſtro trans-cincturam veneratur Coloſſum, Nomini SS. Triadis à Catholico Magiſtratu An. 1742. poſt peſtem ſuperſtite eleganter ſublimatum, & quotannis Feſtô D. Regis Ladiſlai accurrentis populi Religione honoratum. Inde recedunt duæ Domus, in quibus habitantes Tertiariæ, puellas tenerioris ætatis ad literas, & pietatem informant.

Situs hodierni Cöventûs in- & exterior.

N. 142. Ab Oriente Conventum arbore, oleribúsque recreat Hortus ipſi adjacens, à P. Joachimo Szombati An. 1730. eâ, quâ viſitur normâ, & murô donatus. Area, Fabri Officinam An. 1751. inchoatam; frumenti item benè capax Repoſitorium habens nonnihil diſtenditur, lapide cincta. Patuit Horto, Areæq; dilatandæ vaſtum priùs ſpatium, quod poſiti jam termini interceperunt. Excurrit ad aream Ædes, ligneæ quondam ſtructuræ, Oppidanorum Authoritate, ex lateribus coctis An. 1736. ſuffecta, & prælatis muris occluſa; in qua *Domus* (ùt nominant) *Eccleſiæ:* Schola inſuper cum Ludi-Magiſtri habitaculo. Hìc ſuum primis ab Ingreſſu annis habuere Gymnaſium RR. Patres à Scholis Piis.

In medio Conventûs floret Hortulus. Superiores, inferiorésque ambitus comprehendunt Cellas, adnumeratô Valetudinariô, viginti octo. Is ambitus, qui ad Occiduum Solem eſt, cubiculis vacuus, ſolùm Myſteria Crucem bajulantis Chriſti proponit. Indolendum verò, quòd Fontem ſalubris aquæ (cujus penuriæ aliunde modò ſuccurri debet) in ejus gratiam obtrui neceſſum fuerit, dum conſtrueretur. Deflectit inde ambitus ad Templi Sanctuarium, An. 1700. P. Andreæ Paláſti, quà Guardiani curâ poſitus, ſuppeditante expenſas Conventu, quinque verò Operarios ad ædificii perfectionem uſque Catholicô Senatu præbente; de Proviſore autem Cæmenti ſilent Rationum Libri. Hic ambitus interſecans Cæmeterium, infernè ad Sacriſtiam, Templúmque viam facit; ſupernè duabus inſtructus Cellis ad Chorum ducit, qui ex tertia Cella primitus ibi poſita, An. 1724. paratus eſt revera informis, anguſtus, & Pſalmodiæ haud opportunus. Ex hoc, ut ad Eccleſiam proſpici poſſit, murus ad lævam Sanctuarii perruptus eſt; priùs verò concinendis Laudibus Dei, ligneus in Sanctuario deſerviit Chorus, parato ad eum ex ipſa Eccleſia aſcenſu; disjectô illô, Organum quoque in novum illatum eſt, quod pulſari ſolet in Ordinis Feſtis minus Solemnibus, &

Chorus qualis.

dum

dum Ambrosianus Hymnus nocturno tempore concinitur; aliàs sub Divinis resonat Organum Ecclesiæ.

N. 143. Ubi ambitus iste à quadro exorbitare incipit, Turricula prominet laminâ contecta, & binis parvis Campanis vocalis; earum sonô convocantur ad psallendum Religiosi; at sub Prima Canonica, & Vesperis Campanator majore in Turri, posteaquam primos pulsus feciſſet, vigilans, reliquos etiam facere, monetur. Dum mane, Vesperarúmque tempore in Turri Catholicæ Ecclesiæ pro Sacris fit pulsus, fit quoque in Turri Calviniana, prioris tamen fine expectatô; mandatô enim cavit annô 1679. Emericus (Stephani Frater) Kohári, ne Calviniani in pulsu Catholicos anteverterent. Campanæ in Turricula cui usui.

Porrò alimoniam Fratribus, qui modò 29. sunt, præbent partim Stipendia, quæ curis Parochialibus merentur, partim precariò obtenta sex circiter in locis, eleëmosyna. Ob funebres autem sermones crebriùs habendos, de pluribus Concionatoribus provideri solet, quibus sicubi, Kecskemetini messis multa multo in populo, qui *quò vilior ad prudentiam, eò pretiosior ad fidem.* S. Ambr. l. 2. in c. 2. Lucæ. Quod Lutheranos attinet, hi ab ore nostro haud pendent, sed Calvinianorum Ministrorum; id irritare tentabant Nostri sæpiùs, allegatis Regiis Mandatis, & Consistorialibus jussis, at incassum. Schismatici jam stabilem retinent sui Ritûs Sacerdotem, cui priùs, nonnisi majoribus Festis comparere, séque Parocho Oppidi insinuare moris erat. Utinam poni possent aggeres, qui Errorum inundationi obsistant. Cui subsint Lutherani, & Schismatici.

§. III.

De Ecclesia S. Nicolai Parochiali, & prætensivè Regulari candidè discurrit.

N. 144. IGnoratur Annus, quô surrexit Ecclesia Honoribus D. Nicolai Epiſc. (hunc & Conventus Titularem Patronum veneratur) sacrata. Ejus Authores Catholicos norma ipsa insinuat, à quibus temporum calamitate ad Lutheranorum manus transiit. Prius etenim Lutheri error labefactavit Hungariam, quàm Calvini; quippe ùt scribit Florimund. Ræmund. l. 4. c. 6. Lazarus Svendius jam circa An. 1540. Germano cum milite ab Imper. Ferdinando I. conductus, Agriam, Szolnokinum, & omnem ferè Tybisco adjacentem Regionem occupavit, & exturbatis passim Catholicis Sacerdotibus, Ministros Lutheranos suffecit. Hac ipsa rerum vicissitudine facilè (ùt reor) accidit, Kecskemetino quoque amandari Parochum Catholicum, Lutheranô Prædicante, qui & plebem infatuarit, substitutô. Id non abs re dictum; nam Tabularium hujus Conventûs ostendit Litteras, quæ referunt An. 1564. sub Judicatu Michaëlis Végh Catholici, à Lutheranis *Ecclesiam Majorem lapideam* in perpétuum consignatam fuisse Catholicis, appositâ, si imposterum prætensionem aliquam consignantes formarent, obligatione pendendi mille florenos, in pœnam violatæ Conventionis. Ecclesia verò Major lapidea, cujus in Litteris mentio, sive spectes Capellam S. Antonii, Ecclesiæ Nicolaianæ adhærentem, sive Ædiculam S. Michaëlis à tergo ejus positam, est hæc, de qua loquor. Et quoniam oppositum non constat, credibile est, ab antelato Anno, in præsens usque Ecclesiam istam Catholicis semper gavisam esse Possessoribus, vicina cum Parochiali Æde, cui dein nostrum, ùt §. II. scripsi, Domicilium succeſſit. Ecclesia à Catholicis ad Lutheranos transit. Recuperatur.

N. 145. Citra quæstionem Ecclesia hæc sæcularis Parochialis fuit ad annum usque 1678. Nostris in ea, solùm quà Parochis ab ingressûs tempore famulantibus. Annô demum, quem modò retuli, Ipsam igne devastatam, Primores è Statu Catholico restaurare haud valentes, cessêre Franciscanis jure irrevocabili. Subjicio Documentum Cessionale, Originali per omnia (ne verbis quidem, quæ Autographum subticuit, vel minus cohærenter posuit, reparatis) correspondens. Quod dum facio, nemo succenseat mihi, utpote cui non est animus, hìc jure, contendere, Igne vastata nobis consignatur.

dere, vel morsibus lacessere partem alteram nobis cæterà faventissimam; verùm soli historicæ relationi insistere, ut gratiam facerem iis, qui sæpe jactatæ Nos inter, & Catholicum Statum Cnntroversiæ ansam nôsse affectant. Ita verò sonat Documentum:

Anno 1678. die 5. Septembris.

EGo Paulus Deák Judex Primarius Oppidi Kecskeméth, Cæterique Jurati & Assessores veræ Religionis Catholicæ, singularissimè quidem Nobilis Andreas Patai, Paulus Szentkirály, Georgius Tóth, Lucas Bede, Joannes Nagy, Michaël, & Stephanus Herczegh, Stephanus Pulyai, Laurentius Szabó, Mathæus Szabó, Andreas Borbala, Ambrosius Komlósi, Franciscus Marko, Stephanus, & Nicolaus Kovács, Gregorius Császár, Nicolaus Varga, Bartholomæus, & Valentinus Szabó, Gregorius Cizmadia, Paulus Kovácz, Stephanus Vida, Michaël Tóth, Gregorius Kovácz, Stephanus Olah, Martinus Demeter, Mathias Benkö. Recognoscimus vigore præsentium, significantésque omnibus Excellentissimis, Illustrissimis, Reverendissimis, Spectabilibus, ac Magnificis, Admodum Reverendis, Prænobilibus, ac Generosis, denique tam Ecclesiastici, quàm Sæcularis cujuscunque Statûs, gradûs, Dignitatis, Officii, ac præeminentiæ Dominis Dominis, & benevolis semper gratiosissimis. Quòd videlicet nos circumdati cum essemus miseriis per aliquòt jam evolutos annos, convenimus non solum nos præmentionati ad locum determinatum, verùm etiam tota Communitas Paupercula respiciendo in primis supra Nos famem enormem exstitisse; qua eramus oppressi lamentabiliter, prænimia enim ejusdem in tantùm aggravabamur, moriendo tumulabantur homines.

Secundò famem immediatè insecuta est Pestis lugubris, eò magis in tantam devenimus vicissim calamitatem, vix aliqui nostrûm remansêre in vivis, defecimus.

Tertium est intolerabile, & nobis semper memorabile Incendium ubi major pars Oppidi, Templa, Cœnobium, Residentia Reverendorum Patrum Franciscanorum, Schola, & reliqua paramenta penitus omnia luctuosè in cineres redacta sunt, remanendo solùmmodo purissimus Templi murus, & majori etiam ex parte ad terram corruptus, & fermè desolatus, inter tot enim anxietates constituti prorsùs nulla habentes subsidia ædificandi, refugimus ad Reverendos Patres Franciscanos Ambrosium Iványkovich SS. Salvatoris Provinciæ Custodem, Præsidentémque Kecskeméthiensem Gregorium Kulcsár, nec non Guardianum Szegediensem Lucam Constantini (ne adhuc remanentes animæ essent sine Spirituali Documento, sicut antecedenter Reverendorum Patrum Franciscanorum etiam fruebamur Spirituali Instructione) ædificarent Templum, Residentiam, Scholam ex propriis suis Eleemosynis; annuentes itaque nostræ Instantiæ, & supplicationi præfati Reverendi Patres ædificarunt exfundamento omnia præmentionata ab igne combusta; nos solùmmodo aliquid de ligno, & calce administraturos, fatemur. Quare Divina favente Clementia videndo eorundem, & prædecessorum Patrum Franciscanorum Reverendorum ferventissimum Zelum erga nos in jugo Othomannico veros Catholicos Christianos, proprio nostro motivo & affectu Templum, Residentiam, Scholam à primo ad ultimum Nos, imò & Posteritates perpetuo resignamus Familiæ Sanctissimi Patris Francisci irrevocabiliter cum Benedictione, donec in Hungaria Reverendorum Patrum Franciscanorum unicus remanebit, possideant, & augeant ad majorem DEI Gloriam; pro cujus majori rei veritate communi Sigillo nostro roboratas tum Oppidi, tum Ecclesiæ dedimus Kecskeméthini Anno, & die quibus supra.

(L.S.) Verissimum Sigillum Oppidi.

(L.S.) Verissimum Sigillum Ecclesiæ.

Pro Parochiali Regulari habetur; sed id in Controversiam venit.

N. 146. Ecclesia proinde nostrâ sollicitudine restaurata, & ab Oppidanis Conventui inscripta, habebatur postea à Nostris, ùt Regularis Parochialis; Bona interim, quæ Fidelium Pietas ipsi addixit, suberant, modóque subsunt Juri (Franciscanis temporalis Dominii incapacibus) Senatûs Catholici, ex cujus gremio u-

nus

nus quotannis *Eccleſiæ Curator* nominabatur, nominatúrque per eundem Senatum. At ſub P. Remigio Olaſz Guard. An. 1741. palam controverti cœpit (quòd jam prius quaſi ſub cineribus gliſcebat) de Poſſeſſione Templi. Etenim *Curator* ſponte ſuâ, Guardianô haud requiſitô, locum tumulando cuidam defuncto effodi fecit in Cæmeterio Eccleſiæ, hactenus pro Regulari habitæ. Rem ægriùs ferens Superior, & Curatori vitio vertens, reponi ſibi audivit, nullam eſſe Curatoris obligationem tractandi prius rem cum Guardiano, ſi quam moliretur in Templo, vel Cæmeterio utpote Oppidano, minimè verò Franciſcano. Hæc vix accidêre, illicò è Majoribus Catholicorum nonnulli quæri cœperunt coram Diæceſano de dicto Regulari Superiore, poſtularúntque curis Parochialibus præfeci Eccleſiaſticum, compotes Voti propemodum facti, ſi Diœceſani animum Collatio Archi-Epiſcopalis, Epiſcopalisque §. II. recitata, non avocaſſet à ſubſcribendo.

Ventum eſt ultra. An 1749. die 5. Aprilis Sabbatum Sanctum erat, Reverendíque Patres Schol. Piar. ſub veſperum memoriam reſurgentis Domini Proceſſione circum Eccleſiam ſuam, Collegiúmque ducta celebrabant; cui celebritati ut quidpiam adderet Curator Eccleſiæ Nicolaianæ, motu proprio Campanas pulſari facit, quibus reſonantibus Populi pars ad eandem Nicolaianam Eccleſiam, ex opinione futuræ ibi devotionis, advolat. De auſu hoc cum Bonorum Eccleſiæ Curatore Guardianus expoſtulat; & ut æternaturam facti rationem audiat, ſed & videat poſteritas, Catholicus Magiſtratus majori Campanæ circumfuſas Literas (erant autem hæ, *Sum Conventus Kecskemetienſis Ord. Minorum S. P. Franciſci Provinciæ Hung. SS. Salvatoris. Fudit me Budæ Joannes Nuspieker 1694.*) quæ Campanam Patribus tribuebant, medio Calviniani Fabri Serrarii, Feriâ II. Pentecoſt. reclamante Conventu radi facit, his tantùmmodo relictis: *Sum... Kecskemetienſis. Fudit me Budæ* &c. Raduntur Literæ circa Majorem Campanã.

N. 147. His altercationibus obviàm ire cupientes Patres, deliberabant de alia Eccleſia cum Turri, ubi modo Hortus, pro parte Conventûs erigenda, quamobrem de Cæmento nonnihil providerunt. Ex obverſo Majores quoque Statûs Catholici ineunte an. 1752. convocata cum Plebe concluſerunt de Nova ampliore S. Nicolai Eccleſia conſtruenda, funditus eversâ Veteri, una cum Ambitello, qui eam Conventui nectit. Super intento hoc etiam Epiſcopalis procuratus eſt conſenſus. Mutatô Patres conſiliô, ſolemnem in Domo Eccleſiæ die 2. Febr. anni prædicti, medio D. Syndici Andreæ Balogh opponunt Proteſtationem, quo minùs Oppidani *Viâ facti* Eccleſiam prætenſivè Regularem, & ſub Dominio Sum. Pont. Benedicti XIV. exiſtentem vicino cum Tractu attentarent demoliri, aut fundum quoquo modô turbare, donec lis Judicis Sententiâ diſcriminetur. *Viam* proinde *Juris* ineunt Oppidani, & cauſam ſubjiciunt Epiſcopali Conſiſtorio Vaczienſi, à quo etiam evocatæ ſunt Partes, pro die 25. Maji. Anni 1752. Tunc deliberatum eſt, ut Actoratum in ſubſtrata Cauſa Oppidani edoceant, producántque in futuro conſeſſu, cui dies 23. Novembris ejusdem Anni præfixa eſt; interea partes ambæ ſuo in uſu, nihil immutando, permaneant. Intento Oppidanorum Proteſtatio opponitur; & bis coram Conſiſtorio litigatur.

Convenêre iterum die ſtatutâ, qua per ſententiam V. Conſiſtorii ab onere probæ actoratûs liberi dicti ſunt Oppidani; Patres autem Conventûs intuitu promotæ, ac judicialiter petitæ Quæſtionis: *An nimirum inactionata Eccleſia Parochialis Kecskemetienſis ſit verè Regularis? an verò Sæcularis?* eo quòd quæſtio talis ex ratione intereſſentiæ Ordinarii coram Foro illo diſcuti, ac definiri nequiret, ad producenda, ſi quæ eatenus haberent jura, ad Forum ſuum competens relegati ſunt. Pronunciata item poteſtas Oppidanis Kecskemetienſibus Eccleſiam Parochialem in loco, quo defactò conſiſtit, ſub cautelis per Ordinarium præſcribendis, reædificandi, *citra tamen præjudicium prætenſivorum jurium Patrum Franciſcanorum.*

Sic relicta in medio Controverſia hæret in præſens, Sæculari interim Curatore Bona Eccleſiæ adminiſtrante; jus item in Turrim, Eccleſiam, Cæmeteriúm-

riúmque ſibi vendicante, ſæpius cum amicæ pacis jactura: Patres autem divina dumtaxat obeunt Myſteria in Eccleſia. Dolet nobis certè plurimum, quòd cum Populo Conventui addictiſſimo benè aliàs conveniamus, & hac una in re conciliari nequeamus.

Interior facies Eccleſiæ, & Capel. S. Antonii.

Eccleſia hæc arte rudi conſtructa, primitus plebi fortè non multæ ſuffecit, qua ſuccreſcente partem illam Aquilonarem, quæ Capella S. Antonii nominatur, & humilior eſt, acceſſiſſe Eccleſiæ credibile eſt. Hodiernos tamen Incolas, quorum numerus An. 1759. conſignatus ad ſex mille, tercentos, viginti, & unum demptis iis, qui apud Heterodoxos ancillantur, aut famulantur (intellige Pœnitentiæ Sacramenti capacium; incapacium enim ad 2626.) pertingit, ſub Divinis, nec illô ſpatiô aucta, valet complecti. Tegitnr interna ejus facies tabulatis; Capella tamen D. Antonii fornice.

Aræ.

N. 148. Aræ in ipſa quatuor proſtant. I. Major Honori S. Nicolai Ep. & Conf. uti & Eccleſia, dicata eſt. Annum occultat; Inſigne verò Oppidanum præſefert. II. A cornu Evangelii in ipſo Sanctuario paululum recedit, Honori S. Stephani Hung. Reg. ante annos circiter decem à Cothurnariorum Cætu oblata. Huic in Navi obvertitur III. Ara B. Virginis, ad quam Sacra fiunt dum Congregatio Sacri Scapularis ſelectos dies agit. Ad Cornu Epiſtolæ, pariter in Navi, poſita eſt IV. Ara S. P. Franciſci, ad quam fit Devotio ſtatis Chordigerorum temporibus. De harum Auctoribus, & Anno erectionis, nihil habeo comperti. Lateralis Capella S. Antonii Pad. duas has Aras; unam S. Antonii Pad. quam Conventûs impendiis An. 1701. excitatam fuiſſe docent Rationum Libri; alteram S. Joſephi Nutritii Chriſti. Singulas autem hujus Templi Aras ornatu, luminibúsq; provident varii Cætus; & dum Ararum Dies Titulares recurrunt, Sacrificii, Veſperarúmque Solemnitas ad eas abſolvi conſuevit. Quod Chorum ſub Divinis, dum Religioſi Dies ſunt, attinet, eum Organo, cantúque Sæculares curant.

Quid hic conſecrati ſit?

N. 149. De Conſecratione Eccleſiæ ſcitur nihil; de Altaribus veró ſcribitur in Hiſtoria Domûs, quòd An. 1698. die 17. Maji Illuſtr. ac Reverendiſſ. D. Michaël Dvornikovics Epiſc. Vacz. Guardianum agente P. Matthæô Cſiſzer, Aram Majorem in Honorem S. Nicolai Ep. Aram B. Virginis in Honorem Ejusdem: Aram S. P. Franciſci in Honorem Ejusdem: Capellam demum S. Michaëlis Archangeli in Cæmeterio ſitam die 18. Maji ipsô Feſtô Pentecoſt. ritu ſolemni conſecrârit. Teſtimonium originale peractæ Conſecrationis plures Patres ſe vidiſſe, ibidem ſubſcripſerunt quidem, ſed nutat in eo Autenthia hujus Documenti, quòd prædictô Annô alium à Matthæo Guardianum fuiſſe, Tabulæ conſtanter perhibeant.

Sunt duæ Confraternitates cũ Tert. Ord. S. Franc. & Via Crucis.

N. 150. Confraternitatum hac in Æde Sacra erectarum una, tempore prior eſt Chordigerorum S. P. Franciſci incepta An. 1681. altera eſt S. Scapularis B. Virg. de Monte Carmel. An. 1725. die 23. Apr. ſub P. Dionyſio Paláſti Guard. Præſide P. Ferdinandô à S. Brunone Carmelita, facultatémque præbente Reverendiſſ. P. Generali Carmelit. introducta. Defuit tamen utrique (an à primordiis? neſcitur) eſtò inſcriptorum frequentiâ celebri, Epiſcopalis Authoritas; idcirco eam An. 1737. die 6. Decembr. Illuſtr. ac Reverendiſſ. Michaël Carolus ab Althan Epiſc. Vacz. Litterâ & Sigillô teſtatam, adjecit. Tertius Ordo Pœnitentium S. P. Franciſci pariter viget, qui ortum ſuum repetit potiſſimùm ab An. 1754. quamvis antea quoque nonnullos ſibi addictos habuerit. Accedit pium ad Stationes Viæ Crucis exercitium, quod quavis Lunæ novæ Dominica, & ſingula Quadragenarii Jejunii Feriâ 4tâ Populi devoti accurſus inſignit. Concionibus, quas Feſtis, Dominicísque diebus ininterruptè ad confertiſſimum Auditorium dicimus, adduntur Catecheſes omni (exceptô Novilunii, vel ob Concionem à meridie habendam interceptô) Dominico die.

Sacriſtia, & Cryptæ.

Sacriſtia Eccleſiæ proxima, fortè & coætanea eſt, quæ, dum ſupradictus ambitus, ipſi ex parte ſuperimpoſitus erigeretur, geminas illas, quas modò habet, murô pertusô accepit feneſtras, priſtinâ ejus normâ in paucis mutatâ. Cryptam

hic

hìc eo ipsô Annô, utpote 1700. Patrum industria, & Conventûs expensæ parârunt, sed quos sepultos teneat, ignoro. Est & in Sanctuario Ecclesiæ una; in Navi Ecclesiæ ante Aram B. V. altera; hæc Nostrorum vitâ functorum Cadavera excipit, illa quos conditos habeat, mihi non patet. Facit demum ad Sacristiæ ornatum Arula S. Annæ, quam An. 1756. Tert. Ordinis munificentia, & P. Georgii Kernhoffer Guard. zelus excitavit.

N. 151. Templum hoc murô cinctum etiam Fidelium corporibus tumulandis circum se locum concedit, habetquè intra illum, ab Borealem partem Ædiculam S. Michaëlis Archangeli (quando & à quibus? memoriæ non proditur) erectam; hìc Archangeli Festâ die absolvitur Divinorum solemnitas. Fertur olim Calvinistarum superstitione profanatam fuisse, dum adhuc hodiernô Templô carerent; sed verius est eos diversum è lignis in hoc Cæmeterio habuisse Oratorium, incendii jam dicti sævitie exustum. Dum enim ipsi novam pararent Ecclesiam, vendicabant ex Cæmeterio Templi Catholici partem mediam intuitu præattacti Oratorii; quos ut placarent Catholici, bis mille Imperiales contribuerunt ad erigendam Calvinianæ Ecclesiæ Cincturam. Docet hoc Archivum Conventûs transumptis autenthicè Literis, in quibus Calvinistæ, & ligneæ suæ Fabricæ (Capellæ autem D. Michaëlis è lapide composita est) meminerunt, & de præbita per Catholicos 2000. Imperialium summa dant testimonium. Non eo tamen inficias à Calvinistis Michaëlinum Sacellum occupatum fuisse eô, quô sum erigi curabant Templum intervallô, defectu nimirum alius, pro ritibus suis, opportuni loci. In Templi Cinctura Sacellum est D. Michaëlis.

Porrò Frontem Ecclesiæ obtegit Turris solida, quæ ab Architectura; item Campanis, de quarum principe jam egi; Horologio etiam (quod horæ sonitui præludit tintinnabulô) comendabilis est. Turris.

§. IV.

Res Memoriâ Digniores de hoc Conventu adscribit.

QUæ de hoc Conventu posteritati transcribenda putavi, in Patrum salutari labore, & laboris fructu consistunt. Gloriari non expedit quidem, sed ne quis malevolus convitietur Religionem nostram his in partibus, vel otiô defluxisse, vel ad corradendam stipem tantùm vigilasse, nec animarum lucra quæsisse, erit operæ pretium ea consignare. Et verò.

N. 152. Dum adhuc Turcica sub ditione gemeret Kecskemétinum, suscepimus animarum curam & gessimus, quamvis cum Turca Tartarus, perduellésque Patriæ Filii in nos, Oppidanósque atrociter sævirent. Sunt in Tabulario Provinciæ Literæ: *Nos Romano-Catholicæ Ecclesiæ &c.* in contestationem fidelium operarum nostrarum à Majoribus statûs Catholici, Kecskemètini an. 1716. die 12. Febr. exaratæ; quæ cumprimis referunt Patrem quendam Georgium (in dubiè *Séra* fuit) Tökölianorum strepituum tempore per Rebelles è Residentia raptum, hostiliter vexatum, Equo sine ephippio insidere, multáque per passuum millia cursitare adactum fuisse, quem demum Boni Oppidani curâ suâ, & ære in libertatem asseruerint. Accidisse videtur hoc 1686. annô. Subjungunt dein, Patrem cognomine Letkési (verius Joannem Litkei) post primam obsidionem Budensem à Pestiensibus Turcis captum, & pessimè habitum; quem à Barbaris in captivitatem jam jam abducendum, eorundem Oppidanorum fatigia, & pecuniæ rehabuerint. Id, quantum mihi conjicere licuit, factum est An. 1687. Notant & hoc, quòd Tartari à Civibus, & Conventu spolia tulerint, & Patres minacibus securibus huc, illúcque dispulerint. Parochiales curas adhuc sub Ditione Turcica suscipiûnt Nostri & multa sustinent.

N. 153. Scribitur ibidem ultra, quòd lue pestiferâ vicibus ternis intra curriculum Anni 1644. & 1719. in Oppido grassante; Patres fidelium animabus Spiritualem operam navaverint. Signanter P. Joachimus Schütt (mansit Kecske-

Peſtilentiæ tempore ſerviunt.

metini ab An. 1681. uſque ad An. 1698. quo mortem oppetiit) Vir ætatis provectæ, ut liberius infectis prodeſſet, extra Conventum deſolatnm quoddam Sacellum habitationi delegit, unde faciliùs accurrere poſſit, quò ægrotantium neceſſitudo poſtularet. Dum An. 1709. tertiùm (prima, & altera contagio in Literis inſinuata, ad quos annos referri debeat incertum eſt) abſummeret Kecskemetienſes Peſtis, octo Conventûs Patres vitam, & fatigium pro eis expoſuêre; ex his bini duntaxat evasêre, utpote Caſparus Szenczi Concionator, & Alexander Spanik. Nullus interea ex tot animarnm millibus, niſi fortè earundem, vel Curatorum incuriâ, absque Sacris è vivis exceſſit. Ita loquuntur præcitatæ Literæ, & demum teſtantur Salvatorianos aliis etiam temporibus nunquam non diligenter ſibi concreditis ſerviſſe, ſemper imò Devotionibus in plebe augendis incubuiſſe.

Addi debet his contagio An. 1739. jam quartâ vice á noſtro incolatu in Oppidanos ſe ſe effundens, quam §. I. inſinuavi. Calamitoſo hoc tempore plures Patres ad ſolandos in ſpiritu peſte correptos ſe conſecrarunt. Pro faciendis autem rebus Sacris, erectum fuit contabulatum Oratorium, è Regione Coloſſi SS. Trinitatis, muro areæ noſtræ à foris incumbens, ubi dum Divina tractarentur, populus ſubdio, ut infectio caveretur, ſe ſe diffundebat. Facti immunes à peſtilentia Fideles, in Oppidi circuitu quinque Crucis Signa, quaſi Præſidia, An. 1742. levârunt, quorum etiam Gratitudo ordinavit, ut quotannis Venerabile Sacramentum in Feſto Exaltatæ Crucis ſtipante, vel comitante populo circa totum Oppidum deferretur, ad dictas quinque Cruces ſolemni cum Benedictione interſtitia faciendo; Devotionem hanc & hodie confertiſſimus populus, ad Hæreticorum ſpectaculum proſequitur.

Catholicos à labe hæretica præſervant, & Hæreticos convertunt

N. 154. Sed & Spirituali Epidemiæ (Hæreſi) occurrerunt hoc in Oppido Patres, eſtó penitus extinguere haud valuerint. Vivebat puſillus grex Catholicus promiſcuè cum Hæreticis Sæculô ſuperiore in Hungaria prædominantibus, & Kecskemetini copioſiſſimis; tamen in Profeſſione ſua manſit ſtabilis ſub Franciſcanis Paſtoribus, qui etiam multis Authores fuêre, ut ejuratâ hæreticâ perfidiâ ad Romana Sacra accederent; & quidem Converſorum Cathalogus ab An. 1714. die 1. Julii, uſq; ad An. 1759. diem 14. Jan. conſcriptus, mille nonaginta ſeptem exhibet. Si impigrum præcedentia quoque tempora nacta fuiſſent calamum, dubiò procul recenſerentur plures. Hodie Heterodoxi tertiam nonniſi partem Incolarum faciunt.

Populum ad leges Chriſtianas componunt.

Fructus alii Laborum noſtrorum videntur in Moribus populi, ad normam Legum Chriſtianarum (ſi quotidianorum advenarum nævos excipias) compoſitiſſimis. Apud hunc ſancita per Matrem Eccleſiam Jejunia ſancta ſunt, & carne impolluta: vix tres reperias, qui petita diſpenſatione per ollas carnium vulnus inferrent Legi; nimirum ſunt *Priſcæ ſeveritatis* Hungari, non modernæ laxitatis. Populus pro audiendo Verbo Dei, vel ducenda Proceſſione, ad unum æris campani pulſum, accurrit numeroſiſſimus. Dum ad ægros Panis Euchariſticus defertur, obvii quique, non attentô ſpectantium Incredulorum geniô, humiliter vel in lutulenta via curvant genua, & adorant: nonnunquam Patri ad ægrum tendenti ſe ſe aſſociant. Peculiare eſt & illud, quod primævorum inſtar Chriſtianorum Fratris, Sororísve nomine ſe invicem paſſim compellent. Accedit Sacras erga Perſonas in plebe reverentia, & non tenuis munificentia. Dignus revera Populus, cujus Majoribus vel ipſe Barbarus hoſtis faveret. Audi inſigne Privilegium.

Notabile de Turcico Pallio.

Annô 1596. Mahometi II. Turcar. Imperatori Hungariam invadenti obviàm ivêre Oppidi Primores, ferentes Dona ſexcentarum Ovium, centum boum, quatuordecim curruum pane onuſtorum. Flagitabant veró mitti ad ſe Chaúz quemdam, qui eos à tranſeuntium Turcarum incurſibus tueretur. Imperator redditis pro munere 300. aureis, & aurô texta Veſte, remigrare jubet Kecskemetienſes; & ſi quis Turcarum, damnum Oppido inferre vellet, donatam Veſtem exhiberi mandat. Quam ob rem, obſervatis hoſtium turmis, Judex prælaudatâ Veſte

ſte indutus eis occurrit, quam ſtatim ac conſpexêre Turcæ, mirum! ex equis deſilientes, oſculô ſunt venerati, & ſi quidem Judex annuiſſet, noctem in Oppido extraxerunt ſuis impendiis; ſin' autem, ultrò ſunt progreſſi. Ita P. Georgius Káldi S. J. Conc. 2. Dom. III. poſt Epiph. & Math. Faber, Dom. II. poſt Paſch. Conc. 2. Veſtis hujus (Pallium fuiſſe dicunt) ſolahodie ſupereſt memoria.

Ad commendationem Conventûs etiam deſervit, quod de ejus gremio Patres Colocz Colocz (eſt Civitas Archi-epiſcopalis ad meridiem divulſa à noſtro Oppido octies mille paſſibus) ſuum in Spiritualibus famulatum præſtent jam ab an. 1689. quo primum Operarium lego Alexandrum Spánik. His etiam temporibus non ſolùm in Pœnitentiæ Tribunali, ſed & Cathedra Quadrageſimalibus plerúmq; ſermonibus operantur, indulgente & favente tum Archi-Præſule, tum loci Reſſimô Parochô.

Colocz operantur in Spiritualibus.

Memoriæ cõmendabile appono hoc ultimum. An. 1753. die 28. Martii. Czigledini (Oppidum eſt ampliſſimum Budenſium Sancti-Monialium, nobilis Calvinianorum Sparta, Kecskemetinô Septemtrionem versùs quatuor abſcedens milliaribus) ademptum eſt Hæreticis Regia Authoritate, reſtitutúmq; Catholicis Templum; deſignata item Primæ Solemnitati gratiarum actoriæ dies prima Aprilis. Felix hæc recuperatio Vicinis confeſtim innotuit, & ex eis multos (Kecskemetinô trecenti ibant ordinatô agmine) excivit pro prima celebritate ornanda. Tunc Sermonem Sacrum, & primum in hac revindicata Eccleſia habuit P. Eliſæus Loziczki Concionator Conventûs Kecsk. Subſequa die tertiâ Maji, quâ, Feſtum Inventionis S. Crucis Titulare eſſe volebant ſua in Eccleſia Czigledienſes, viſus eſt accurſus amplior quàm quater mille hominum. Ipſe unicus Kecskemetienſis populus Sacris ſub Vexillis, & nitrati pulveris diſploſione procedens mille ducentis, & amplius, conſtabat hominibus; cúmque multitudinis pars in Eccleſia Verbum Dei, quod propoſuit P. Joannes Ozorovſzki Concionator Szolnokienſis, audiret, ad reſiduam in circuitu Eccleſiæ conſiſtentem, èx ſuggeſtu ad rudera Sacriſtiæ locato, dixit Sermonem P. Vincentius Blahó Phil. Lector in Conventu Kecskem. Huc facit, quòd Novellis hoc in Oppido Catholicis primus, quà reſidens Capellanus, An. 1744. & 45tô Sacra miniſtrârit hujus Conventûs P. Daniel Berkai. Illis hodie Eccleſiaſticus præeſt. Jam ſequuntur

Dum Czigledini Eccleſia recipitur, & primô encæniar, Noſtri concionantur,

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô
1644. P. Joannes Bap. Gyöngyöſſi.
1647. P. Stephanus Szegedi.
1649. P. Joannes Bap. Gyongyöſſi.
1650, P. Paulus Szegedi.
1651. P. Laurentius Barczai.
1656. P. Chryſoſtomus Gyöngyöſſi.
1657. P. Bartholomæus Koloſvàri.
1659. P. Martinus Sadányi.
1660. P. Joannes Cſiki.
1661. P. Nicolaus Baróti.
1662. P. Antonius Szúnyogh.
1663. P. Chryſoſtomus Gyöngyöſſi.
1665. P. Bartholomæus Koloſvári.
1667. P. Caſparus Jáſzberényi.
1668. P. Ambroſius Ivankovics.
1669. P. Emericus Pásztohi.
1671. P. Nicolaus Baróti.
1672. P. Nicolaus Honti.
1673, P. Georgius Szécsényi.

Annô
1675. P. Caſparus Jáſzberényi.
1676. P. Nicolaus Baróti.
1677. P. Ferdinandus Egegi.
1678. P. Gregorius Gyöngyöſſi, aliàs Kulcsár.
1679. P. Gabriel Nagy.
1681. P. Gerardus Kecskeméti.
1683. P. Dionyſius Kelefi.
1684. P. Joachimus Schútt.
1686. P. Joannes Litkei.
1687. P. Georgius Séra.
1689. P. Athanaſius Móra.
1690. P. Paulus Szegedi.
1692. P. Caſparus Búzás.
1694. P. Athanaſius Mora Proto-Guar.
1695. P. Cornelius Sellyei.
1696. P. Andeas Fülöp.
1697. P. Raphaël Géczi.
1699. P. Chryſoſtomus Szalkai.

1700. P. Andreas Paláſti.
1702. P. Joannes Nagy.
1705. P. Joannes Bárkányi.
1708. P. Thomas Kiſs.
1709. P. Franciſcus Szürtei.
1710. P. Alexius Borics.
1711. P. Adalbertus Hethényi.
1712. P. Caſparus Szenczi.
1714. P. Athanaſius Siſto.
1715. P. Joſephus Bede Prov. Pr.
1717. P. Bernardinus Horváth.
1718. P. Joannes Gyüre.
1719. P. Bernardinus Biró.
1720. P. Franciſcus Koós.
1721. P. Matthæus Cſiszer.
1722. P. Caſparus Szenczi.
1724. P. Dionyſius Paláſti.
1725. P. Andreas Farkas.
1726. P. Joachimus Sükösd.
1727. P. Mathæus Cſiszer.
1728. P. Joannes Nagy.
1730. P. Joachimus Szombati.
1731. P. Adamus Kropff.
1733. P. Daniel Hárai.
1734. P. Dionyſius Paláſti.
1737. P. Remigius Olasz.
1738. P. Bernardinus Mocsári.
1739. P. Remigius Olaſz.
1742. P. Joſephus Lénárt.
1743. P. Jeremias Várkonyi.
1744. P. Alexander Badzej.
1747. P. Dionyſius Györi.
1748. P. Florentius Cſapó.
1750. P. Adalbertus Kalcsó.
1751. P. Athanaſius Hihalmi.
1752. P. Alexander Badzej.
1753. P. Georgius Kernhoffer.
1756. P. Capiſtranus Nozdroviczki.
1757. P. Philippus Kriſton.
1758. P. Nicolaus Mándli.

XIV. CONVENTUS BECZKOVIENSIS. AD S. JOSEPHUM CHRISTI NUTRITIUM.

§. I.

Brevis Oppidi Beczko Descriptio.

N. 155. BEczkovium Oppidum à vini austeritate satis famosum, duarum circiter horarum itinere, Secundo amne vago, Trencsiniô distans, in ejusdem Nominis Comitatu, Diœcesi verò Nitriensi situm, cum Castro præruptæ undique rupi insidente, ab ortu montana vitifera, à meridie salubrem campum, ab occasu, & Septemtrione flurium Vagum prospicit. Cultissimis olim florebat ædibus, quarum nunc fere rudera conspiciuntur, uti etiam murorum, quibus, aliquando cingebatur. In Suburbio Parochus facit Sacra, in delubro satis amplo, intra cincturam verò licet collabescentem, Fratrum Minorum extat Conventus cum Ecclesia. Situs Oppidi Beczko.

Tam Oppido, quàm Arci originem dedisse fertur. Striborius præpotens Trencsiniensis Dynasta, denominationem autem non infacetus Striborii Morio, *Buczko*, dictus, ad cujus petitionem Oppidum hoc ille unâ cum Castro exædificâsse eidemque contulisse dicitur, unde demum mutatâ unâ duntaxat litterâ Beczko nominatum est. Ejusdem Origo.

§. II.

Origo, & Moderna Conventûs Constitutio.

N. 156. EX Historia Domûs hujusce colligitur, in loco sic brevibus adumbrato Illustriss. D. Comitem Valentinum Balassa non modò fundum, pro Conventu futuro Fratribus assignâsse, verùm construendi quoque ædificii, se Patronum liberaliter obtulisse, hujusmodi tamen pios ejus, nobisque desideratissimos conatus improba Illustriss. D. Comitis mors planè irritos fecit. Amplius quid post mortem prioris, egit Comes Franciscus Nádasdi, fundamenta Ecclesiæ, è terræ profundo ad staturam circiter hominis elevando, sed hujus quoque ulterioribus conatibus mors superveniens obstitit. C. Valent. Balassa intendit Conventum FF. Minoribus ædificare sed morte prævenitur Idem accidit cum C. Nadásdi.

Tertium tandem, qui opus compleret, suscitavit Omnipotens, & Misericors DEUS, Illustr. nempe, ac Reverendissimum Dominum Jacobum Hasko, Emeritum Episcopum Nitriensem (nam Episcopatum post cursum unius annni liberè resignavit) & Actualem Præpositum Vág-Ujhelyiensem, qui Annô 1689. opus imperfectum alacriter aggressus, non modo cœptum Ecclesiæ ædificium continuavit, sed Conventum quoque decenter, secundùm paupertatis Franciscanæ normam, è fundamentis erexit, ac anno reparatæ salutis 1696. faustissimè consumavit. Ill. Reverendiss. D. Jacob. Hasko Fundator Conv.

N. 157. Et estò pientissimus Fundator, totalem Operis perfectionem videre minimè potuerit, utpote jam plenus dierum Annô 1695. die 19 Octobris in Festo S. Petri de Alcantara (ad quem specialem Devotionem habuisse fertur) post varias infirmitates, patientissimè ad exemplum Jobi toleratas, præsente animæ suæ Curatore P. Nostro Matthæo Vankovics, p. t. Capellano Vág-Ujhelyiensi vitâ excedens, sumptibus tamen à se relictis, opus ipsum, annô, ut mox dictum est 1696. pium Fundatoris desiderium diligentissimè explente A. R. D. Joanne Racsay Patritio, & Parocho Beczkovienſi, ac statim à primordiis hujus ædificii Inspectore fideliſſimo, omnino consumatum est. Antequam Opus perficiat moritur.

Primùm Fratres Nostri huc illocantur an. 1690.

N. 158. Porrò ex Actis Provinciæ constat, Patres nostros hoc locô, primò incolatum per modum Residentiæ fixisse Annô Domini 1690. Proto-Præsidente R. P Corneliô Sellyei Prov. Diffinitore, uti ex Tabula ejusdem anni die 23 Julii in Conventu Szakolczensi occasione Congregationis intermediæ compilata, deprehenditur. An verò prioribus annis hic quispiam Fratrum manserit? sicut negari non potest, ita neque pro certo affirmari. Illud certum est Residentiam hanc in formalem Conventum erectam fuisse Annô 1696. in Capitulo Provinciali Cassoviæ, pro die quidem 4. Aprilis congregato, at non nisi 26. ejusdem Mensis ob seriùs, perceptam necessariam facultatem, celebrato, electô in Proto-Guardianum M. V. P. Remigiô Hadarz'.

Ex Residentia fit Conventus an. 1696.

Moderna Conventûs Constitutio

Et si Conventus hic non leves temporibus revolutionum subierit vicissitudines, ut infra referetur, actu tamen in debita consistit perfectione, & satis commodum præbet Fratribus in eo degentibus hospitium. Est in quadro debito positus, ad duas elevatus Contignationes. In superiore præter Hospitium unum, & P. Ministri Provincialis alterum, habet pro Fratribus Cubicula numerô 19. inferius verò tria, quibus Refectorium Culina Dispensa, & pro Sacra Eleëmosyna, necessaria quædam accedunt Conservatoria.

Area, & Hortus.

Sicut Aream, ita hortulum quoque ad Conventum habet admodum exiguum, & ad subveniendum Culinæ necessitatibus minimè sufficientem, ideoque altero longè ampliore extra tamen Oppidum existente utitur, relicto ejus Dominio, P. Dom. Ladislao Köszegi.

Studia quæ hic vigebãt.

Quod Studium Litterarium concernit, plerúmque Philosophia, quandóque Theologia Moralis tradebatur. Annô 1740. lue pestifera grassante, etiam Novitios Galgocziô huc translatos, quosdam verò jam hic receptos ultrà annum aluit; actu denique Moralis Theologiæ Studium perseverat.

§. III.

De Ecclesia Eamque Concernentibus.

Ecclesiæ Erectio.

N. 159 ECclesia hujus Conventûs decenter erecta est eodem tempore, & Authore, quô Conventûs. Cujus Consecratio, uti & Altarium Numerus patet ex litteris Episcopi consecrantis sequentis tenoris:

Ejus Consecrationis litteræ Testimoniales ab Episc. consecrante datæ.

Annô 1701. die 6. Mensis Junii. Ego Ladislaus Matyasovszki, Episcopus Nitriensis, consecravi Ecclesiam hanc Beczkoviensem, Ordinis S. Francisci Reformatorum, in Honorem S. Josephi, & singulis Christi fidelibus, hodie unum annum, & in die Anniversario Consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus 40. dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessi.

Numerus Altarium.

Item eodem annô, & die, quibus supra, in eadem Ecclesia consecravi Altaria sex: Primum, *quod est Majus in honorem S. Josephi.* Secundum *in Cornu inter Sanctuarium, & Corpus Ecclesiæ ad dextram intrantium in honorem S. P. Francisci Seraphici.* Tertium *ex eadem parte, in honorem Crucifixi JESU.* Quartum *itidem ex eadem parte in honorem S. Joachimi.* Quintum *in honorem B. Virg. Dolorosæ, ex alia parte vicinum Sanctuario.* Sextum *in honorem S. Annæ, quibus omnibus Reliquias Sanctorum: Primi, Zephyrini, & Lucilli Martyrum inclùsi.*

Dies Anniversaria Consecrationis.

Et quamvis Res, de Consecratione Ecclesiæ ita se habeat, celebritas tamen Anniversaria Dedicationis per multos annos, quacunque demum ex causa intermissa fuit nempe usque ad annum 1739. quô ad Superiorum Conventûs hujus Supplicationem, Illust. ac Reverendiss. D. Vicarius Gen. Ven. Capituli Nitriensis pro eadem ritè celebranda Dominicam IV. post Pentecosten designavit.

Nova Altaria.

Præter autem enumerata, sunt alia quoque duo in eadem Ecclesia, intra Sanctuarium Altaria, unum ad dextram intrantium S. Joannis Nepom. aliud ad sinistram S. Antonii Paduani, quod simul est Privilegiatum Perpetuum quotidianum, ex Concessione novissima Benedicti XIV. & determinatione Diœcesani.

Et

Et hæc duo Altaria nondum ſunt conſecrata, uti nec illud quod noviſſimè in Sacriſtia B. V. MARIÆ Saſſinienſis erectum eſt.

Nova Altaria.

Stationes Doloroſæ Viæ Crucis hic erectæ ſunt Annô 1645. ſub Guardianatu M. V. P. Xaverii Szumrak, cujus Exercitium cum conſueta Solemnitate peragi ſolet in Quadrageſima quidem ſingulis, aliàs verò tantùm Novilunii Dominicis.

Congregatio S. P. N. Franciſci erecta fuerat Annô 1697. Primo Promotore, & Directore M. V. P. Jacobo Róſa, quæ hic Beczkoviæ, & Vág-Ujhelyini, magno creverat numerô, uſque ad annum 1708. ſed iſtô, per rebelles expilatô Conventu, direptáque omni ſuppellectili tum Eccleſiæ, tum Conventûs, ac etiam dictæ Congregationis Albô, ceſſaverat quoque ſolita Devotio Chordigerorum, annô tandem 1711. rurſus reſuſcitata viget hucuſque.

Congregatio S. Franciſci.

N. 160. Porrò Eccleſia hæc duabus proviſa eſt Cryptis, quarum una ſituata eſt ad gradum Sanctuarii, eſtque communis ſepultura Fratrum. Altera verò inter Altaria S. Joachimi, & S. Annæ prope principalem Eccleſiæ portam. Plures hic de Nobilitate ſepulturâ donati, ego principaliores adfero:

Cryptæ duæ.

Annô 1703. die 25. Novembr. Illuſtriſſ. Domina Emerentiana nata Balaſſa, Illuſtr. D. Com. Sigiſmundi Eſzterházi Conſors.

Ex Magnatibus hic tumulati.

1712. A. R. D. Adamus Uhrovics Parochus Beczkovienſis, inter Fratres ad gradum Sanctuarii die 6. Maji ſepultus.

1716. Die 20. Maji, Illuſtr. Domina Catharina Jakuſſith, Illuſtr. D. Caſpari Szunyog Conſors.

1720. Die 31. Martii Illuſtr. Domina Bar. Catharina Révai, Perill. D. Ladislai Borſiczki Conſors.

Eodem: Die 30. Martii Illuſtr. Domina Com. Anna Maria Eſzterházi, Magnifici D. Caroli Bartodeiszki Conſors.

1723. Die 17. Novembr. Illuſtr. Domina Bar. Anna Luſinſzki, P. Domini Joannis Mednyanſzki Conſors, quam ipſe quoque Maritus annô 1726. die 13. Aug. ſecutus.

1731. Die 29. Martii Reverendus D. Joannes Földvári Presbyter Eccleſiaſticus, pariter ad Cryptam Fratrum ſepultus.

1734. Die 15. Junii, Illuſtr. D. Nata Baroniſſa Révai, Excell. D. Com. Caſpari Eſzterházi Conſors.

Eodem: Die 19. Septemb. Illſtr. D. Joannes L. B. de Réva.

1741. Die 3. Aprilis Illuſtr. ac RR. Dom. Ladiſlaus L. B. Révai Canonicus Strigonienſis.

1747. Die 12. Maji Illuſtr. Herula Polixena Nata Eſzterházi de Galantha.

1749. Die 22. Martii Illuſtr. Dom. Chriſtina Eſzterházi. Illuſtr. Dom. Com. Petri Révai Conſors.

Eodem: Die 6. Junii Illuſtr. D. Eliſabetha Gilányi, Illuſtr. Dom. Franciſci Lib. B. Vécſei Conſors.

Eodem: Die 27. Junii Illuſtr Dom. Com. Petrus Rêvai de Reva.

1750. Die 22. Januarii Illuſtr. D. Com. Sophia Eſzterházi quondam Conſors Illuſtr Dom Joannis L. B. de Réva. *Quorum, & OO. Fidelium Animæ per Miſericordiam Dei Requieſcant in pace.*

§. IV.

De Quibuſdam Conventûs, & Eccleſiæ Viciſſitudinibus.

N. 161 HActenus ea, quæ pro bono hujus Conventûs quodamodo ſervierunt retuli, nunc illa, quæ deſolationem ejus cauſârunt nota facere cupio. Conventus enim hic uti complures alii partim à flamma omnia depaſcente, partim verò à perverſis Regnicolis, tam legitimo ſuo Regi, quàm maximè Deo, per admiſſos in fide errores rebellibus, non levem paſſus eſt deſolationem.

Per incendium Conventus exustus.

Et quidem primam non post multos à sui erectione annos, annô videlicet 1703. Causavit incendium in Suburbio excitatum, quod vento vehementi ad Oppidum perlatum, uti plures alias domos, ita omnia Conventûs sartatecta in favillam redegit, duas simul liquefaciendo Campanas, quæ cum omnia paulo pòst piorum Benefactorum liberalitate in integrum restituta fuissent, successit altera per rebelles hæreticos causata.

Per rebelles spoliatus.

Igitur dum glorioſissima arma Cæsareo-Regia contra rebelles progressum optatissimum habere cœpissent, & rebelles, è Civitatibus, ac locis, ubi nostri Conventus reperiebantur, cedere debuissent, ne inulti recederent, virus iniquitatis suæ in quosdam Conventus nostros effuderunt, uti & in hunc Beczkoviensem, eundem cum initio anni 1708. ex integro despoliantes, ut è sequenti P. Sigismundi Lunda Loci Guardiani, ad P. Ministrum Provincialem scripta lachrymabili Epistola patere potest. Tenor ejus talis est:

Admodum Reverende P. Provincialis &c.

Litteræ P. Guardiani ad Provincialem scriptæ, quibus spoliatum significat Conventũ.

PEr expressum Fratrem Ambrosium Clericum, informandam censui suam Paternitatem Adm. R. de lamentabili, non tam facilè audita tragœdia, quam, æterna maledictione digni rebelles Hungari, per insultum involantes ad Oppidum Beczkoviense, non secus, ac Canes rabidi, præcisè pro expilando Conventu nostro pauperculo, ut ipsorum nequam Hominum Os blasphemum fatetur, à suis Principalibus exmissi, perpetrarunt; qui intrantes Conventum strictis gladiis nobis mortem minitantes, nisi eis certam sumam pecuniæ pro eliberanda vita nostra deposuerimus, aut adminùs res mobiles fidelium suæ Majestati, in Conventu depositas consignaverimus, secus mortem minimè evasuri; & quia nemo id quod non habet dare consvevit, videntes paupertatem nostram, ipsorum pravæ intentioni absolutè contrariam, Conventum ipsum, & minimum ejus angulum perscrutati, minimè intactè reliquerunt, ita ut non sit cella in Conventu quam non violassent, maculâssent, perfregissent, & quidquid in Cellis in rerum natura fuit, eas lectisterniis, libris, & denique omnibus spoliârunt. Ex Sacristia apparamenta Ecclesiastica pœne omnia, valoris præcipuè alicujus abstulerunt, & quod crudeliùs, intrantes Ecclesiam, Altaria dissecuerunt, denudârunt, & mappas &c. acceperunt. Tandem horrendum! Tabernaculô perfractô, in eóque Ciboriô, Ven. Sacramentô ferè plenô repertô, in terram effusô, pedibúsque Sanctissimô conculcatô, Ciborium ipsum, unà cum omnibus quatuor Calicibus Conventûs abstulerunt, Domúmque Dei hoc modô sacrilegô, & diabolicô polluerunt. Oppidum ipsum, sicut & Suburbium foris, insatiabili ignis voragini manciparunt, mirabiliter sine dubio Conventu ab excustione servato; hic ploratus, & ululatus indesinens, non est homo, qui Divinam Majestatem ad vindicandum non provocet, & non exoret. De pluribus enormitatibus uberiùs A. R. Paternitatem Vestram informaturus præsentium exhibitor Fr. Ambrosius, ego verò afflictissimus unà cum pauperculis Fratribus maneo. In Excidio Beczkovienſi, 18. Jannarii An. 1708.

P. S. 16, & 17. lamentantes hæc pessima perpessi sumus. D. Confrater Nicolaus in indusio una cum uxore, & prolibus remansit, omnibus spoliatus, lamentatur, & supplicat pro aliqua parte antiqui panni.

Pœna Speciei Sacras dispergentis.

Ad hæc in Historia Domûs additur, Species nempe Eucharisticas præ foribus Templi fuisse è Ciborio ejectas, & dispersas, sed non sine præsenti dispergentis, & tam indignè tractantis pœna, nam glande plumbea ex arce emissa trajectus miserè in loco delicti periit, Species verò Sacras Fr. Christophorus Huin Laic. cum reverentia collegisse fertur.

Iterum binis vicibus Conventus exuritur.

Hæc ergo est Clades altera, quam anno sequenti nempe 1709. secuta est tertia, dum per incendium in Conventu subortum tecta Conventûs, & Ecclesiæ, quæ à rebellibus intacta manserant, iterum in cineres sunt redacta. Et si verò iteratò restaurata fuissent, successit tertium damnosissimum universo huic Operi miserabilem causans devastationem incendium, quod annô 1728. die 1. Febr. è

mise-

miſera exortum Caſa, ac vento valido ad Oppidum perlatâ flammâ, Eccleſiam, Conventum Turrim cum Horologio, & tribus Campanis ferè in nihilum redegit.

N. 162. Poſt tot funeſtiſſimas incendiorum ſtrages, Deus Miſericors plures ſuſcitavit Patronos, quorum gratioſô adminiculô Eccleſia, & Conventus, è cineribus denuò conſurrexerunt, dum ab anno 1728. uſque ad 1730. architectura ex integro appoſita ſupportandis imbricibus apta, iisdémque ſucceſſu temporis cooperta, ſecurum in futurum contra voracem flammam exiſtit tutamen. Turris quoque annô 1735. ſecuriori architecturâ tegulari proviſa, cum totali renovatione externa perfecta eſt. Conventus cum Eccleſia reſtauratur.

Huic autem Reſtaurationi, tam internæ, quàm externæ, potior munificentia acceſſit Illuſtr. & Reverendiſſ. Domini L. B. Adalberti Révai p. t. Præpoſiti Vágh-Ujhelyienſis, & Conventus hujus Syndici Apoſtolici. Item Celſiſſimi Principis Emerici è Com. Eſzterházi Archi-Epiſcopi Strigon. Item Illuſtriſſimarum Comitiſſarum Eſzterházi Sophiæ, & Polixenæ. Nec non Spect. D. Joannis Ambró Conventûs Vice-Syndici. Concurrentibus etiam aliis piis Benefactoribus, quorum Nomina Libro Conventûs ſunt inſerta. Patroni Reſtaurationis.

NOMINA SUPERIORUM HUJUS CONVENTUS.

Annô.

1690. P. Cornelius Séllyei Præſid.
1692. P. Joannes Dobronyai.
1696. P. Remigius Hadarz Guard.
1699. P. Venceſlaus Uhrovics.
1701. P. Martinus Ziveczki.
1795. P. Mathias Hanuska.
1708. P. Sigiſmundus Lunda.
1710. P. Franciſcus Svetlovics.
1713. P. Matthæus Vankovics.
1714. P. Franciscus Svetlovics
1715. P. Martinus Padiáſſi.
1717. P. Matthæus Vankovics.
1720. P. Philippus Veſeli.
1722. P. Matthæus Vankovics.
1733. P. Conradus Poloni.
1725. P. Joannes Prochaska.
1725. P. Gregorius Vaczulik.
1728. P. Conradus Poloni.
1731. P. Gregorius Vaczulik.
1734. P. Valerianus Dedek.

Annô

1735. P. Innocentius Geisler.
1737. P. Ambroſius Vagyura.
1738. P. Franciſcus Krslovics.
1739. P. Vitus Komparics.
1741. P. Cyprianus Banſzki.
1742. P. Cornelius Ratpilai.
1743. P. Franciſcus Liptai.
1744. P. Xaverius Szumrak.
1745. P. Caſimirus Schimſalik.
1746. P. Cornelius Ratpilai.
1748. P. Matthæus Moczak.
1749. P. Modeſtus Trubeczki.
1750. P. Stephanus Mazurka.
1751. P. Chriſoſtomus Melicharek.
1753. P. Marcus Richter.
1756. P. Stephanus Mazurka.

Continuabat uſque ad diem 6. Martii Anni 1759. qua in Vicarium Provincialem electo, in Guardianatu ſucceſſit:

1759. P. Edvardus Holics.

XV. CONVENTUS SZÉCSÉNYIENSIS AD SANCTISSIMUM SALVATOREM.

§. I.

Brevis Descriptio Oppidi Szécsény.

Situs Oppidi Szécsény.

N. 163. OPpidum Szécsény, Archi-Diœcesis Strigonienſis, ferè in umbilico Comitatûs Neogradienſis conſtitutum, eſt Situ, ſi quod aliud, pulcherrimô præditum, montibus námque, & ſylvis, licèt ab ipſo non parum, præſertim ex parte Septentrionali recedentibus, velut quidam Hortus ferè undique circumdatum, proſpectum omni ex parte habet gratioſum, ſive enim Orientem versùs, & Meridiem conjicias oculos, glebam ad procreandas Segetes conſpicies aptiſſimam, ſive Occidentalem, & Septentrionalem conſideres plagam, peramœna, eáque ſat vaſta, viſum non modicùm recreantia intueberis Prata, quæ præterfluit piſcoſus fluvius *Ipoly* dictus.

Ejusdem Domini Poſſeſſores.

Oppidum hoc olim circa annum 1440. fertur fuiſſe ſub Dominio Franconii Dalmatiæ Bani. Pòſt hunc verò ad manus Domini Michaëlis Orſzág Comitis Palatini deveniſſe; ex poſt circa annum 1550. ad Familiam Loſontzianam, ac tandem annô 1606. ad Illuſtr. Familiam Forgacſianam eſt devolutum, à qua ad hæc uſque tempora legitimo, & hæreditario jure poſſidetur. Muris (qui jam majori ex parte collapſi ſunt) circumdatum, atque fortificatum eſt annô 1652. Verùm quo tempore Caſtro (quod cum Oppido ruinatum, in Caſtelli morem nunc conformatum, à Familia Forgacſiana incolitur) donatum fuerit, quoque illud ruinatum ſit, non comperio.

In ipſo Oppido ſola Fratrum Ordinis Minorum cernitur Eccleſia, cum adjecto Monaſterio, foris tamen, ſeu extra illud Septentrionem versùs extat altera, eáque exigua Eccleſiola, ad jurisdictionem Parochi ſpectans, qui ex proximo Pago *Ludany* dicto, huc quandoque comparere ſolet, & functiones peragit parochiales, cùm priùs annis quàm plurimis Patres Noſtri hoc loco Parochiam adminiſtrâſſent.

§. II.

De Origine hujus Conventûs, & prima ejus Deſolatione.

Conventus olim pro Conventualibus ædificatus, datus eſt nobis Obſervantibus.

N. 164. CONventus hic inter antiquiores hujus Provinciæ meritò numerandus eſt, utpote Annô 1452. à præfato Oppidi Domino, nimirum Franconio Dalmatiæ Bano pro Fratribus Conventualibus fundatus, qui tamen pauló poſt ab eisdem derelictus, & penitùs deſolatus, Pontificis Pauli II. authoritate ad inſtantiam D. Comitis Michaëlis Orſzág Regni Hung. Palatini, Oppidi Szécsény, jam terreſtris Domini, datus eſt Annô 1466. Nobis Obſervantibus, ut patere poſt ex Bulla memorati Pontificis, annô mox dicto emanata, & in Archivo Provinciæ reperibili, Tenoris ſequentis:

Bulla Pauli V. Rom. Pontif. pro Conventu Szécséniensi.

Paulus Epiſcopus Servus Servorum DEI.

Dilectis Filiis Abbati Monaſterii Derecske, & Præpoſito Eccleſiæ de Boſok Strigonienſis Diœceſis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Pliis Fidelium votis, quæ Religioſorum locorum inſtaurationem, & Divini Cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, & ut optatum ſortiantur effectum, favorem benevolum impartimur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilecti Filii Nobilis Viri Micha-

Michaëlis Ország Comitis Palatini petitio continebat, quòd domus Fratrum Minorum Oppidi Szécsény Strigonienſis Diœceſis, ab Eisdem Fratribus Conventualibus nuncupatis, qui illam inhabitare conſveverant, deſtituta exiſtit, & quòd Eorundem Fratrum incuriâ locus ille penè deſolatus, ac deſtructus eſſe dignoſcitur, quòdque, ſi domus ipſa, & illius neceſſariæ Officinæ reparentur, & Fratres dicti Ordinis de Obſervantia nuncupati, ad habitandum in illa introducerentur, locus ille eorundem exemplari vitâ, monitionibus, & exhortationibus, continuiſqué prædicationibus Verbi Dei, ut veriſimiliter creditur, cum Chriſti Fidelium illarum partium animarum ſalute, in dies ſuſciperet augmentum. Quare pro parte dicti Comitis, qui ut aſſerit, ad Eoſdem Fratres de Obſervantia nuncupatos ſpecialem gerit devotionis affectum, & domum ipſam de bonis ſibi à Deo collatis, pro animæ ſuæ Salute reparare intendit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi domum hujuſmodi, & illius Officinas reparandi, & inſtaurandi, nec non Eisdem Fratribus de Obſervantia nuncupatis, illam pro Eorum habitatione recipiendi, & inhabitandi licentiam concedere, aliásque in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac hujusmodi pium propoſitum Comitis Præfecti plurimum in Domino commendantes diſcretioni Veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs Vos, vel alter Veſtrum, ſi & poſtquàm vocatis, qui fuerint evocandi, de præmiſſis Vobis legitimè conſtiterit, Eidem Comiti domum, & illius officinas hujuſmodi reparandi, & Eiſdem Fratribus de Obſevantia nuncupatis, illam pro Eorum habitatione recipiendi, & perpetuò inhabitandi licentiam Authoritate Noſtra concedatis. Non obſtantibus, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri prohibitine, ne prædicti, & aliorum Ordinum Mendicantium Fratres, in quibuſvis Civitatibus, terris, & Caſtris, domos, & loca ad habitandum de novo recipere, ſeu jam recepta mutare præſumant ſinè Sedis Apoſtolicæ licentia Speciali de prohibitione hujuſmodi ſpecificè mentionem faciente, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac dicti Ordinis Juramentô, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis & conſvetudinibus contrariis quibuscunquè. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per Te vigore præſentium concedi contigerit Guardiano, & Fratribus, qui domum ipſam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis Privilegiis, immunitatibus, gratiis, & favoribus, aliis domibus, & Fratribus, dicti Ordinis conceſſis, & quibus aliæ domus, & Fratres dicti Ordinis in genere potiri, & gaudere poſſunt, aut poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, Authoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Annô Incarnationis Dominicæ Milleſimô Quadringenteſimô Sexageſimô Sextô. Quarto Nonas Januarii. Pontificatûs Noſtri Annô Tertiô.

Reſtauratus eſt à Com. Országh Palatino.

Poſtquàm igitur Conventus hic, Pontificis prædicti authoritate, & benevolentia, ad Noſtrorum Poſſeſſionem Fratrum deveniſſet, & à Præfato Comite Palatino Michaële Ország, debitè à ruinis vindicatus fuiſſet, commodiſſimum præbuit Fratribus noſtris per plures annos incolatum, & uni inſuper è decem Cuſtodiis, quas olim Provincia numerabat denominationem, ut in ſupra dictis videre licet.

Ceſſit in prædam Turcis.

N. 165. Floruit verò devotione, ac Religione, perfectúsque in ſua ſtructura ſtetit, eoúſque, donec Inclytum Regnum Hungariæ, verâ fide, pietate, ac victoriis clarum extitiſſet, verùm poſtquàm per fatalem cladem Mohacſianam viribus exhauſtum eſſet, perfidiáque Mahometana Budam, Regni Metropolim ſui juris feciſſet, Oppidum etiam Szécsénienſe cum Conventu circa annum 1544. in prædam venit Turcarum, qui Fratribus ejectis, facti ſunt Incolæ loci, ferè uſque ad annum 1594.

§. III.

De Receptione Conventûs iteratáque ejus Deſolatione.

N. 166. ET ſi Oppidum Szécseny cum Caſtro, annô ùt præfertur 1594, vel immediatè antecedente, vi, & potentiâ Clariſſimi Herois Nicolai Pálffi,

Recuperato à Turcis Szécsénio Noſtri imô poſt annos 16. Conventum recuperant.

ut refert *Iſtv. Hiſt. de Reb. Hung. lib. 28. circa finem* à Turcis revindicatum fuiſſet, non tamen illico Fratres noſtri ſuum, utpote deſolatum, & majori ex parte per barbaros ruinatum recipere valebant locum, ſed elapſis ferè 16. annis, tandem annô 1610. Menſe Januariô in feſto S. Joannis Chriſoſtomi per Comitem Sigiſmundum Forgács Regni Hung. Palatinum, qui jam tum rerum potiebatur introducti, & velut novi Incolæ terræ, facti, Conventûs ruinas reparare cœperunt, quibus infra annos duos munificentiâ Benefactorum reparatis, rurſus locus hic in numerum Conventuum eſt aggregatus annô 1612, primúsque pro hac vice in eo Guardianus inſtitutus, R. P. Stephanus Szelevényi, ſimul Diffin. Act.

Occupatô iteratò per Turcas Szécsénio Conventus deſolatur.

N. 167. Porrò poſt hanc, ut mox dictum receptionem per duos ſupra quinquahinta annos utcunque floruit hic Conventus, in quo frequenter quidam Fratres Clerici litteris humanioribus inſtituebantur, ut ex Tabulis ejus temporis patet; verùm annô 1662. rurſus Turcarum potentiâ prævalente, cùm Oppidum ab eis captum fuiſſet, Conventus Vulcano traditus, ferè ad incitas redactus eſt, Corpus Eccleſiæ verſum eſt in ſtabulum equorum Turcicorum, Sanctuarium pro Moſæa deſerviit, Sacriſtia pro balneo, Cellas ſupra Sacriſtiam ædificatas, Primus ipſorum *Begus* ſic dictus inhabitabat, Muri denique Conventus, & Officinæ in Turcica tuguriola transformatæ; Fratres verò iteratò exulare ſunt coacti.

Animus eſſet hic recenſendi injurias, calamitates, & infortunia maxima, quæ hic Conventus ſubinde ſuſtinuit, verùm illa deſcribere antiquitas planè prohibet, oblivione enim fermè deleta ſunt univerſa, interim hanc miſeriarum maximam ſenſiſſe dixerim, quòd pluribus annis, ex habitaculo devotorum Religioſorum, factum fuerit latibulum prædonum, ſibíque non ampliùs ſimile, ſine lachrymis conſpici vix potuerit.

Pulſis Szécsénio Turcis aliqui è Patribus ad locum deſtinantur, ſed tamen in eo non manent.

N. 168. Manſit autem Conventus hic à noſtris deſertus ab anno præfato nempe 1662. uſque ad 1684. imò veriùs dixerim uſque ad an. 1689. Nam licèt expulſo hinc victricibus Chriſtianorum armis hoſte barbaro, quod annô 1683. acciſſe traditur, in Capitulo Provinciali anni 1684. die 4. Maji Galgoczii celebrato, quatuor Patres, & duo Fratres Laici, ad locum hunc ordinati legantur, è quorum numero fuit etiam A. R. P. Athanaſius Erdöſs immediatus Ex-Miniſter, & pro hoc loco inſtitutus Præſidens, eorum tamen commoratio hic vel nulla, vel exigui temporis fuit, tum quòd ruinato Conventu, non haberent ubi caput reclinent, tum quòd Szécsénium pro eo tempore non hominum, ſed beſtiarum terræ potius habitaculum fuerit, unde ſequentibus annis nullus Patrum vel Fratrum pro hoc loco ordinatus fuiſſe deprehenditur. Quod ultro ex Actis quoque Provincialibus deduci poteſt, inter quæ talis V. Diffinitorii An. 1688. pro celebranda Congregatione Szakolczæ congregati ordinatio legitur. Seſſ. 2. N. 3. *Ad deſertum Szécsényienſem locum, quamprimùm à Sæcularibus inhabitari cœperit, poterunt etiam duo ex Noſtris Patribus mitti.*

Ordinatio Diffinitorialis de loco Szécsény.

Præſid. cõſtituitur P. Andreas Fülöp Provinc. Pr.

Eodem annô nempe 1688. pro die 1. Septembris Congregatum Galgoczii, ad definienda quædam Provinciæ Negotia Diffinitorium, Seſſ. 3. N 3. ita determinavit: *Cum locus Sécsényienſis à Ven. Diffinitorio pro Reſidentia acceptetur, Præſidens loci illius inſtituitur A. R. P. Andreas Phülöp, atque ideò queſtam illorum PP. Gyöngyöſſienſes non ampliùs impediant, neque attentare præſumant.*

Relatio P. Joan. Barkányi de modo quo FF. Noſtri ad deſertũ locum Szécsénienſem regreſſi ſint.

N. 169. Cæterùm quid poſt hanc Diffinitorialem Conſtitutionem evenerit, M. V. P. Joannes Bárkányi, aliàs Conc. Act. in Gyongyöſs, qui pariter ad hunc deſertum locum hac occaſione ordinatus fuiſſe videtur, ſequenti ſcriptô in Archivo Provinciæ reperto notatum reliquit, quod ego hic brevitati ſtudendo, paucioribus taliter referendum duxi.

Cùm afflicta Mater Provincia Conventum Szécsénienſem priſtino nitori reſtituere vellet, A. R. P. Andream Phülöp, de Alma Provincia benè meritum Provinciæ Patrem, hominem religioſum, Divis Cœlorum Incolis, terrigenísque charum Primum Præſidentem Annô 1688. die 1. Septembr. declaravit, verùm ob grandævam venerandámque ætatem, in loco deſerto non habens ubi ſenile reclinet

clinet caput, Szécsénium minimè intrare valnit, unde pro hyematione Conventus Gyögyöſſienſis eidem ab A. R. P. Miniſtro Provinciali eſt aſſignatus.

P. Joannes Bárkányi Szécsénii conatur ingredi.

Ego autem Fr. Joannes Bárkányi, directrice obedientiâ Sacrâ, veni ad has partes ruinatas, omnium ferè locorum incolis deſertas, cùm in Pago Haláſz tres ruſticanas Caſas inveniſſem, figendo pedem in veſtibulo Lucæ Végh, duabus ſeptimanis permanſi, Miſſæ Sacrificia perſolvendo, infirmorum curam gerendo, cum patientia præſtolabar Divinæ gratiæ affluentiam, & oneris ſuſcepti inchoationem. Pater autem Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis conſolatus eſt me in omni tribulatione, & anguſtia mea. Cujus lumine Sacro inſpirante, vulgari, nativóque idiomate ſcripſi Invitatorias ad omnes pagos, adhortans lamentabiliter univerſos, ut ad diem Divo Matthæo Ev. dicatam comparerent in hoc deſolato Conventu.

Invitat vicinos populos per litteras.

Confluit plebs è diverſis locis.

Ubi verò præfixa die Sereniſſimus Syderum Monarcha, radiantibus oculis illuxiſſet, turmatim, è diverſis, longéque diſtantibus locis plebs confluxit, & ſummâ animi devotione in Domino exultavit, ut advertit priſtinæ devotionis futuram redintegrationem, per humiles S. Franciſci Filios. Tandem ubi adveniſſemus ad exteriorem Eccleſiam Spiritui S. dicatam, celebravi Miſſam in menſa curru advecta, invocando Numinis auxilium, ut ad ſui Nominis gloriam proſperum faceret iter noſtrum.

Præmittitur Miſſæ Sacrificiū.

Intrant Oppidum, demum Conventum.

Poſt hæc cùm portæ Oppidi appropinquâſſemus propter Veprium, dumorúmque ubertatem introire non valentes, *Bæta* ruſticali (fors ligone vel ſarculo) nobis viam fecimus ad Conventum. Flendum magis erat, quàm gaudendum in tam abominanda deſolatione, & viciſſitudine miſeranda; ſerpentum, ranarum, ſylveſtriúmque beſtiarum, tunc erat domicilium, Szécsénium, lapis vix hæſit lapidi, domus ſupra domum corruit, & diſſipati erant muri ejus. Ad Eccleſiam ergo licèt magno labore intrantes, ſede parvula reperta, plurimos cùm Sacramentaliter abſolviſſem, Sacra quoque Synaxi refeci. Concione dein habita, & Sacra Baptiſmatis undâ abluto infante Joannis Nagy de Haláſz, regreſſus ſum in prædictum pagellum ſollicitè expectans adventum huc deſtinatorum.

P. Joannes Confeſſiones excipit comunicat &c. & ad priſtinum regreditur locum.

Poſt aliquot ſeptimanas eorundem præſentiâ viſitavit me Altiſſimus, unde communi Voto ingreſſi ſumus Conventum hunc, viventes in ſumma pauperie, fodulis (ex conſcriptis per eundem rationibus conſtat per fodulas ipſum intellexiſſe cacabos fornacis) pro ollis & ſcutellis, pro orbe aſſere ſepulchrali utentes, nuda humô, nudè uſi ſumus, carentes, lectiſterniis, & omni ope mortalium. Intemperiem aëris ſuſtinuimus uſque ad 6. Decembris, ultrò ferociente algore nimio, hyemalis auſteritas nos ibi manere non ſivit, quare ad ſupra dictum pagum reverſi, cùm neque ibi ob incolarum inurbanitatem manere quiviſſemus, Paſztoviam in Vigilia Nativitatis Domini pervenimus, cúmque Parochia hæc Paſtore ſpirituali viduata fuiſſet, ibidem cum Fratribus meis curam animarum vigilanter egimus. Inde poſt Reſurrectionem Domini venientes denuò Szécsénium, religioſam duximus vitam, manuali labore, & mendicatione utcúnque proficientes.

Cum reliquis huc ordinatis iterum Cōventum intrat

Superveniente frigore nimio cum eisdē diſcedit.

Et hæc ſunt quæ Pater Joannes Bárkányi, excellens ſuo tempore Verbi Divini Prædicator, atque etiam poſt hoc Diffinitor aggregatus, de ſuo in hunc locum ingreſſu ſcriptô reliquit, quæ ideò hic apponenda cenſui, ut è tanti Viri teſtimonio diſcat poſteritas, quanti Patribus noſtris conſtiterit locus Szécsénienſis.

P. Joannes Bárkányi Præſid. cōſtitutus conatur ædificium reſtaurare.

N. 170. Cæterùm mox dictus Pater, Annô eodem videlicet 1689. hujus loci Præſidens inſtitutus, non parum deſudabat per fluxum duorum annorum, in Conventus ruinati aliquali reſtauratione, ut ex Rationibus introitûs, & exitûs Eleëmoſynæ per eundem connotatis patet, ſed longè majore opus intentatum egebat ſublevamine, quàm ut quotidiana ei ſubveniretur mendicatione; ſolidioris

× Lozna baota = bolta ?

igitur Patroni expectanda erat liberalitas, de qua Altissimus paulò post providit ut ex sequentibus patebit.

§. IV.

De Restauratione Conventûs, ejúsque moderno Statu.

Primas Regni Georg. Szicsényi offert pro ædificio Conventus 10000. fl. Rh.

N. 171. POstquàm Patres Nostri ad locum Szécsénienſem modo út præfertur rediissent, annis ferè novem eundem ùt Residentiam incoluerunt, sollicitè interim cogitantes, qualiter ipsum ad pristinum statum reducere possent, sed quia non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei hoc erat opus, ipse suscitavit eis Patronum liberalissimum, Celsissimum nempe Principem, Regníq; Primatem Georgium Szécsényi, honoris Dei, & Cultûs eidem debiti piissimum Zelatorem, qui Fratrum condolens miseriæ Annô Dom. 1696, pro structura Conventûs obtulit flor. 10000. quibus successivè majori ex parte assurrexerunt Tractus duo incipiendo à Sacristia (quæ sola cum duabus desuper cellis, Sanctuario, & Turri politis lapidibus olim ædificata ruinam evaserat) usque ad modernam Dispensam inclusivè, idque sub inspectione A. R. P. Joannis Ziveczki Provinciæ Patris Emeriti.

Residentia in Conventum declaratur.

Et quidem inferioribus partibus illorum in perfectionem deductis, superior à parte Areæ imperfecta manserat, Cellas enim super imponendas præstolabatur, sed hæ quoque ex post sub Ministeriatu A. R. P. Sigismundi Viebëra Secundò electi, in annis 1703. & 1704. suam sunt assecutæ perfectionem. Quod tamen minimè expectantes Provinciæ Superiores, Residentiam Titulo Conventûs decorârunt Annô 1697. in Congregatione Szakolczæ die 12. Mensis Maji celebrata, Primum ponentes Guardianum P. Adalbertum Hetényi.

In latere Ecclesiæ pergula extruitur.

N. 172. His duobus Tractibus habitis, restaurabatur Ecclesia (de qua §. sequenti) quæ posteaquàm majori ex parte perfecta fuisset, nec daretur commodus ad Chorum recens erectum accessus cœpit Annô 1730. ædificari in latere Ecclesiæ Pergula, seu Ambitus cubiculis carens à Turri, usque ad fores Chori, unâ cum gradibus ibidem exstantibus, idque sub Guardianatu P. Danielis Harai, quod opus annô sequente planè perfectum fuit.

Erigitur quartus Tractus Patrono Georgio Miszleniczki.

Restabat adhuc tertius Tractus ad Occidentem, ab Ecclesia usque ad Dispensam ædificandus, in eo enim præter murum ruinosum, nihil reliquum fuerat. Maximum proinde habuêre desiderium Superiores hunc quoque promovendi, & Conventum ad debitam perfectionem deducendi, cùm interim sumptus necessarii deessent, rursùs Omnipotens Deus suscitavit Patronum, Spect. D. Georgium Miszleniczki, pro tunc Illustr. D. Com. Pauli Balassa Bonorum Præfectum, qui cùm Murarios, cæterósque operarios se exoluturum spopondisset, imò in effectu quoque 1000. flor. Rh. præstitisset, administratis per Conventum materialibus opus annô Dom. 1732. inchoatum, annô 1734. consumationem accepit.

N. 173. Porrò in Tractu hoc, subtus ædificatum est Refectorium (cùm prius fuerit in Tractu aream respiciente) primámque Cœnam, aut potius Collationem in eodem sumpsêre Fratres die 24. Julii in Vigilia S. Jacobi Ap. in parte verò superiori 14. Cellæ bipartito extructæ, móxque clausurâ pro Fratribus Novitiis adaptatæ. Eodem tempore Coquina quoque Refectorio proxima est ædificata; at Infirmaria in Tractu eodem, ejusdémque Patroni singulari Munificentiâ primùm annô 1742. exurrexit.

Numerus Cellarum.

Nunc igitur Conventus hic in sua positus perfectione in superiori Contignatione numerat Cellas pro Fratrum habitatione 32. præter Infirmariam, & Conservatorium Guardianatui conjunctum In Tractu verò inferiori non nisi sex Cellas per Fratres habitabiles continet, reliqum occupant, Refectorium Coquina, Dispensa, & Necessaria Sacræ Elëemosinæ Conservatoria.

Studia Novitatus.

N. 174. In Conventu hoc olim, nimirum Annô 1650. & sequentibus usquè ad ejusdem per Turcas anno 1662. factam desolationem, Clerici quidam Litteris

ris humanioribus imbuebantur. Postquam autem de novo florere cœpisset erectus est Novitiatus Annô nimirum 1702. & duravit usque ad annum 1717. Quô Studium Philosophicum tradi cœpit Lectore P. Feliciano Doroszlai, continuatúmque fuit per plures Philosophiæ Lectores ad annum 1724. Hoc verò iteratò pro Novitiatu designatus est, quem usque ad hæc tempora retinet cum magno Provinciæ fructu.

N. 175. Hortô Conventus iste gaudet duplici, unô ex parte Conventûs Orientali, asseribus cinctô, sed exiguô, alterô verò ex parte Occidentali, paulò ampliore ex munificentia Illustr. D. C. Joannis Forgács; cùm enim hortum quemdam extra Oppidum existentem, quem ex gratia Excellentissimi D. Stephani Kohári ferè annis 30. excolebant, præfato D. Comiti Joanni Forgács, ex eo, quod longè à Conventu distans, parùm commodus censeretur, annô 1732. restituissent, spatium Conventui à parte Occidentali vicinum impetravêre, in eoque successivis temporibus hortum, & utilem, & amœnum excoluêre. Hortus duplex.

N. 176. Quod Fundatorem hujus Conventûs concernit, Primus fuerat memoratus suprà D. Frankonius Dalmatiæ Banus, post hunc Excell. D. C. Sigismundus Forgács Regni Palatinus, cum sua Consorte Catharina Pálffi. Post hos Celsissimus Princeps, & Regni Primas, Georgius Szécsényi. Hodie autem recognoscit, & honorat Fundatores suos Illustrissimam Familiam Forgacsianam, Hæredem mox dicti Excell. Domini Sigismundi Forgács, hujus siquidem, & Consortis suæ munificentiam respiciens Nostrum Ven. Diffinitorium, Illustr. D. Comitem Joannem Forgács. prout, & eorum Hæredes in linea recta descendentes Titulô, ac Privilegiô Fundatorum condecoravit. Fundatores Conventûs.

N. 177. Denique quod attinet Titulum, & Patrocinium hujus Conventûs, & Ecclesiæ annô 1679. in Congregatione Diffinitoriali Szakolczæ habita, dum Residentia Titulô Conventûs decoraretur, simul Patronus tam Conventui, quàm Ecclesiæ assignatus fuit S. Jacobus Major Apost. quem ùt talem venerabatur usque ad annum 1738. quô superiores Provinciæ in Conventu Fülekiensi ad diem 25. Maji congregati sequentem fecerunt determinationem: *Siquidem in hac Provincia sub Nomine SS. Salvatoris militante nullus Conventus sub ejusdem SS. Salvatoris Titulo à multis annis denominatus fuisset, Sigillum verò Conventûs Szécsénienſis antiquum, & authenticum clarè demonstret, tum per Effigiem SS. Salvatoris, tum per Caracteres in eo expressos dictum Conventum Szécsénienſem olim fuisse Sanctissimo Salvatori, dicatum; eatenùs V. Diffinitorium eundem taliter, id est SS. Salvatoris denominari mandat, pro cujus solemnitate assignatur Festum Transfigurationis D. N. J. Christi. A quo etiam tempore gaudet Titulo SS. Salvatoris.* Titulus seu Patrocinii Conventûs.

§. V.

De Ecclesia, Eámque Concernentibus.

EX superiore §. pa et, desolatô per Turcas Conventu, solùm Ecclesiæ Sanctuarium cum Turri, Sacristia, & duabus Cellis ruinam evasisse, Corpus verò Ecclesiæ Stabulum equorum Turcicorum factum, & si non funditus eversum, plurimùm tamen labefactatum fuisse, ita, ut sinè solida restauratione non ampliùs aptum videretur ad laudes Divinas in eo persolvendas, hinc receptô locô, Patres Nostri, longiori tempore, in solo Sanctuario Divina peragebant. Receptô locô Divina in Sanctuario tantùm peraguntur.

N. 178. Pristino igitur nitori, & decori Ecclesiam Dei restituere cupientes Fratres, Annô 1723. sub Ministeriatu A. R. P. Josephi Bede ruinatis antiquis Muris, ejectisque ex toto fundamentis, nova jecerunt, pro novo Corpore Ecclesiæ, quod etiam Deo ipsos prosperante Annô 1733. feliciter terminârunt. Ædificii hujus Principalis Patronus extitit Excell. D. Stephanus Kohári Judex Curiæ, qui piô motus Zelô ter mille flor. Rh. obtulit. Secundavit P. D. Joannes Gömrei Corpus Ecclesiæ de novo extruitur. Patroni ædificii.

rei præfati Excell. Domini Bonorum Proviſor, mille Rh. offerendo. Reliquæ expenſæ obtigerunt ex piorum fidelium oblationibus.

Altaria ſeptem. N. 179. Eccleſia hæc actu Septem Aris decorata eſt: Principalis ſeu Major, Patronum ſuum recognoſcit Illuſtr. D. Comitem Joannem Forgács cum ſua Ill. Conſorte Margarita Cziráki. Olim quidem S. Joanni Nepomuceno dicata fuit, Majus Transfigurat. Dom. actu verò Transfigurationem D. N. J. Chriſti repreſentat. Erecta eſt Annô Dom. Eſt conſecratũ cum Eccleſia. 1730. conſecrata verò una cum Eccleſia Annô 1732. die 25. Maji per Illuſtr. & Reverendiſſ. D. Sigiſmundum Berényi deſignatâ pro Anniverſario Dedicationis Dominicâ infra Octavam Aſcenſionis Domini.

Secundum Altare. Alterum Altare collocatum manet poſt Aram Majorem, eſtque B. Virginis MARIÆ.

Tertium Tertium in Sanctuario collocatum ex parte Conventûs pariter B. Virginis MARIÆ, ſed Doloroſæ.

Quartum. Quartum ex eadem parte, at extra Sanctuarium S. Joannis à Capiſtrano, allatum Gyöngyöſſinô Annô 1724.

Quintum. Quintum ex parte eadem non longè à ſuggeſtu concionatorio, S. Joannis Nepomuceni.

Sextum. Sextum ex parte dextera intrantium è regione Altaris S. Joannis Capiſtrani, eſt S. Antonii Paduani, Privilegiatum, quod Patronum habuit Excell. D. Comitem Paulum Balaſſa, cum ſua Illuſtr. Domina Juliana nata Comitiſſa Battyányi.

Septimum. Septimum denique non longè à porta Eccleſiæ eſt S. P. N. Franciſci Chriſti Stigmatibus inſigniti.

Cathedra. Suggeſtus quoque Concionatorius ſatis elegans in hac habetur Eccleſia, quem Opere Sculptorio fieri curavit Excell. D. Com. Paulus Balaſſa, uti etiam coloribus, & auro adornari Annô 1747.

Via Crucis. Viæ Crucis Exercitium ſuum ſumpſit initium Annô 1739. Menſe Aprili, Patronum Imaginum, ſeu Stationum egit Spect. D. Adamus Királyi I. Cameræ Poſon. Viennæ Agens, & Provinciæ noſtræ Confrater Generalis.

Numerus Cryptarum atque in iis ſepultorũ. N. 180. Cryptæ in hac Eccleſia ſex habentur. *Prima* eſt poſt Aram Majorem cum quinque cellulis, pro Fratribus noſtris ſepeliendis. In eadem tamen ſepulta manet Illuſtr. D. Maria Perényi, relicta Balaſſiana, quæ An. 1731. die 6. Novembr. huc illata eſt. Uti etiam duo Nepotes ejus Ignatius, & Antonius Illuſtr. D. C. Pauli Balaſſa Filioli ex Illuſtr. D. C. Zſicſi, nati. Nec non Herula Illuſtr. C. Joannis Forgács nomine Eliſabetha An. 1730. die 3. Febr. tumulata. Hic item An. 1741. die 12. Novembr. ſepultus eſt: Perill. D. Joannes Jánoſi Æt. annorum 96. qui annis 33. egit Syndicum Apoſt. hujus Conventûs. Denique An. 1754. die 5. Febr. piè in Kékkö defunctus, & hic 8. ejusdem Menſis tumulatus eſt Spect. D. Georgius Misleniczky Excell. D. Comitis Pauli Balaſſa Bonorum Præfectus, qui quantus hujus Conventûs olim extitit Benefactor, jam ex ſupra dictis patere poteſt.

Secunda Crypta. *Secunda* Crypta, eſt ante Aram Majorem quam, Illuſtr. D. Comitiſſa Margarita Cziráki fieri curavit pro ſuo defuncto Illuſtr. Comite Joanne Forgács, uti etiam pro ſe ſuísque hæredibus Maria, Ladislao, Roſalia, Catharina, Sigiſmundo, Franciſca, & Joanne tantùm. E quibus ſequentes hic jam tumulati ſunt: Illuſtr. Com. Joannes Forgács Annô 1735. Illuſtr. Com. Ladislaus Forgács An. 1747. die 28. Sept. Prædicta Illuſtr. Comitiſſa Margarita An. 1751. die 18. Novembr. Præter hos autem etiam Illuſtr. Comitellus, Comitis Joſephi Forgács parvulus Filius, ex indulto Patronæ Cryptæ adhuc viventis.

Tertia. *Tertia* exiſtit ſub ultima feneſtra Sanctuarii prope Altare S. Antonii, ad quam cùm annô 1729. die 30. Octobr. deponeretur quidam D. Franciſcus Nagy, inventa eſt tota tumbis repleta, ita ut niſi purgetur nemo amplius in ea tumulari poſſit.

Quarta. *Quarta* ſituata eſt in medio Eccleſiæ expenſis Conventûs An. 1734. extructa,

in

in qua non pauci jacent utriusque Sexûs fideles, quorum Nomina sufficiat libro Conventûs esse inscripta.

Ex Latere hujus à parte Meridionali ante Aram S. Antonii habetur *Quinta* expensis Excell. D. C. Pauli Balassa pro se, & suis Hæredibus per lineam rectam descendentibus, annuente etiam V. Diffinitorio præparata An. 1735. Tumulatus in ea hactenus manet Comitellus nomine Balthasar memorati D. Comitis Filius, ex Juliana de Battyán progenitus. Quinta.

Sexta denique situata est prope porticum Ecclesiæ cujus Orificium patet Ecclesiam intrantibus. Hæc Annô 1741. pariter Conventûs expensis est extructa, in qua tamen nemo hactenus fertur tumulatus. Sexta.

Habetur quoque ex latere Ecclesiæ Meridionali Cæmeterium in ea longitudine, in qua est ipsa Ecclesia, in quo multi fideles tumulati quiescunt. De hoc annis prioribus Controversia quædam orta fuerat, verùm Annô 1751. facta per Ecclesiasticas Personas inquisitione, cùm Conventum ad idem Jus habere compertum fuisset, illud ultroneè quoque stabilitum est. Cæmeterium ad latus Ecclesiæ.

N. 181. Cæterùm quia post Conventûs, & Ecclesiæ Restaurationem, Turris quoque suum accepit augmentum, & illud hìc referendum judicavi. Itaque augeri ea cœpit Annô 1750. ad finem Mensis Aprilis sub Guardianatu M. V. P. Modesti Knoll, & quidem ab ea fenestra cui superposita est Inscriptio talis: *Ab hinc aucta.* Cùm vero prædictus P. Modestus in Capitulo eodem anno die 5. Julii Galgoczii celebrato, in Diffinitorem Act. electus fuisset, Successor ejusdem M. V. P. Paulus Ladislaides idem ædificium omnino continuavit, finivítque usq; ad altitudinem proportionalem, adjutore in expensis flor. Rh. 400. Spect. Dom. Georgio Misleniczki. Elevatur Turris

Elevatis muris tectum quoque idem P. Guardianus ex tabulis cupreis superimponi fecit. Globus supremus cum Cruce appositus est annô eodem die 1ma Mensis Octobr. decantatô tamen præviè Sacrô. Globus, (qui capit Urnas quatuor) est ponderis unius Centenarii. Crux verò 25. libras supra duos Centenarios adæquat. Patroni Globi, & Crucis fuêre Excell. D. Com. Paulus Balassa, & Reverendiss. D. Josephus Szentillònai Archi-Diœcesis Strigon. Vicarius Generalis. Porrò totum hoc augmentum Turris terminatum est die 21. Julii An. 1751. Tegitur tabulis Cupreis.

NOMINA SUPERIORUM HUJUS CONVENTUS

Et si hic Conventus à Nostris receptus sit Annô 1466. cùm tamen nullæ extent Tabulæ usque ad annum 1531. ignota etiam manent Nomina Superiorum.

Annô.
1531. P. Ladislaus de Kereszturi.
1533. P. Michaël de Belényes.
Post hunc iteratô desunt Nomina aliquot superiorum. Intra hoc quidem tempus fuit etiam Guardianus.
P. Ambrosius de Bánya.
sed quô Annô non extat.
1542. P. Bernardus de Dobra Kuttya.
1544. P. Franciscus de Keszi.
Tempore hujus Conventus desolatus mansit usque ad annum 1610.
1610. P. Mathias Sáari Præsid.
1612. P. Stephanus Szeleyényi Diffin. & Guard.

Annô.
1613. P. Michaël Somlyai.
1616. P. Gregorius Nádasi.
1622. P. Andreas Losonczi.
1626. P. Mathias Sáari.
1629. P. Michaël Pataj.
1631. P. Joan. Bapt. à Terugio Italus.
1632. P. Emericus N.
1635. P. Mathias Leo.
1638. P. Gregorius Kiss.
1640. P. Bartholomæus Kolosvári.
1643. P. Franciscus Szegedi.
1647. P. Ægidius Schemnitiensis.
1649. P. Franciscus Szegedi.
1650. P. Stephanus Szegedi.

Hic aliquot Tabulæ videntur deeſſe.

1656. P. Accurſius Comaromienſis.
1657. P. Caſparus Jászberinyi.
1659. P. Valerianus à S. Cruce.
1660. P. Bartholomæus Koloſvári.
1616. P. Lucas Conſtantini.
1662. P. Bartholomæus Koloſvári.

Tempore hujus Conventus per Turcas occupatus deſertus manſit uſque ad annum 1684.

1684. P. Athanaſius Erdöſs Præſid.

Qui tamen vel planè non, vel exiguo manſit tempore Szécsénii ut ſup.

1689. P. Joannes Bárkányi Præſid.
1691. P. Caſparus Molitoris.
1693. P. Chriſoſtomus Szalkai.
1694. P. Joannes Zivečzki Prov. Pr.
1679. P. Adalbertus Hetényi Guard.
1698. P. Andreas Paláſti Prov. Pr.
1700. P. Bernardinus Bárkányi.
1701. P. Chriſoſtomus Szalkai.
1702. P. Joſephus Fodor.
1703. P. Alexius Borics.
1708. P. Raphaël Göcz.
1710. P. Chriſoſtomus Szalkai.
1711. P. Fortunatus Föczén.
1712. P. Raphaël Göcz.
1713. P. Dionyſius Keleffi Prov. Pr.
1751. P. Adalbertus Hetényi.
1717. P. Ladiſlaus Farkas.
1719. P. Nicolaus Nagy.
1720. P. Joachimus Süköſd.
1721. P. Bernardinus Biro.
1722. P. Joannes Kutaſſi.
1724. P. Bernardinus Horváth.
1725. P. Gabriel Borics.
1726. P. Lucas Danielſzki.
1727. P. Joannes Gyüre.
1728. P. Clemens Petrik.
1729. P. Daniel Hárai.
1731. P. Joannes Nagy.
1733. P. Gregorius Gulyás.
1735. P. Athanaſius Kerekes.
1736. P. Remigius Olaſz.
1737. P. Gabriel Hero.
1738. P. Nicolaus Tuchinſzki.
1739. P. Adalbertus Kalcſo.
1741. P. Daniel Hárai.
1742. P. Capiſtranus Nozdroviczki.
1745. P. Paulus Siket.
1746. P. Emericus Szentkirályi.
1747. P. Sigiſmundus Balás.
1748. P. Athanaſius Zlaterics.
1749. P. Modeſtus Knoll.
1750. P. Paulus Ladislaides.
1753. P. Athanaſius Hihalmi.
1754. P. Georgius Gangel.
1755. P. Sigiſmundus Balás.
1756. P. Andreas Oroſz.

Continuat uſque ad hoc tempus.



XVI.

XVI. CONVENTUS EPERIESIENSIS AD SANCTUM JOSEPHUM à JESU MARIA.

§. I.

De Denominatione Conventûs Eperieſienſis, & Civitatis, hujúsque brevi deſcriptione.

N. 182. CONventûs Eperieſienſis Nomenclaturam deſumit ab Eperieſino Civitate, in qua ad murum, quaſi in medio Slavonicæ Plateæ eſt ſituatus. Eperieſinum verò à fragorum, (hungaricè *Eperj*,) frequentia, Eperies, aut Eperieſinum nominatur. Eſt Civitas in Inclyto Comitatu de Saáros Primaria, intra terminos Almæ Diœceſis Agrienſis concluſa, ac inter reliquas Hungariæ Urbes celebrior, Regiis, Liberíſque adnumerata, ac Armis cum Inſigni trium fragorum, ſeu Roſarum, & duobus fluviis, Tarcza, & Szekcſo, per Ladislaum V. DEI Gratiâ Hungariæ Regem, Annô 1453. dotata. Cœpit ædificari, aut potiùs murô circumdari Annô 1394, adeoque temporibus Bonifacii Papæ IX, & Sigiſmundi Regis Hungariæ, qui in Regem coronatus eſt Albæ-Regali An. 1387. Eperieſinũ Celebris, Liberáque Civitas.

Jacet in ſolo ab Ortu ad Occaſum inclinato. Munitur Mœnibus, ac duobus muris, foſſatóque prælto, duobus item concluditur fluviis, parte ex una Tarczâ, ex altera Szekcſone. Urbs eſt culta, cui ad decus acceſſit Tribunal, *Dicaſterium* dictum. Cives ejus partim Orthodoxi, partim Heterodoxi, qui tamen in Senatum aſſumuntur, omnes Romano-Catholicam Fidem profeſſi ſint, eſt neceſſe. Gaudet Gymnaſiô Societatis JESU, ac bipartita Sancti Patris Franciſci Seraphici Familiâ, Patribus nimirum Strictioris Obſervantiæ, Franciſcanis nuncupatis ad S. Joſephum, & Patribus Conventualibus ad S. Joannem Baptiſtam, ornatúrque quatuor Magnificis Eccleſiis, junctô Monte Calvariæ. Conſtitutio Civitatis. Cives partim Orthodoxi, partim Heterodoxi.

Situm ejus exteriorẽ, ſi conſideres, partim laxatur in campos flexuoſos, hortósq; peramœnos, partim in colles modicè tumentes ſupinatur, vel apricos, vel ſilvoſos, tantummodò Pagis, & Caſtellis advicinantibus interruptos. Non procul erumpit fons acidularum, vi medicâ pollens. Ponè Soóvarinum, ubi olim ſalis lapidei fodinas nobiles, nunc coquendo Sali ſalſæ aquæ venas aptas conſpicies. Plura de Civitate Eperieſienſi legere cupienti, ſervient Hiſtorici, ego propoſitum meum proſequor. Unde ſit Territorium ejus.

§. II.

De Introductione Fratrum Minorum Strictioris Obſervantiæ in Civitatem Eperieſienſem.

PRætermiſſis voluntariis quorundam Relationibus de Introductione Patrum Noſtrorum in Prædelineatam Civitatem Eperieſienſem, quæ nec ex antiquo Provinciæ Urbario, nec ex Civitatis Archivo ſufficienter probari poſſunt, in Hiſtoricam Narrationem mentionatæ Introductionis Noſtræ, producam ſolummodò ea, quæ illam veriorem faciunt. Itaque

N. 183. Poſteaquàm Patres Noſtri pluribus annis (ùt referunt antiquæ Provinciæ Tabulæ) ex Conventu Sebeſienſi adventantes, afflictis Catholicis Eperienſibus, Orthodoxis Paſtoribus deſtitutis, Divina Servitia, cum Parochia Soóvarienſi zelosè adminiſtrâſſent, neque ſuum Religioſum Domicilium Eperieſini haberent, ineſsétque Civitati huic, certum deſolatum Monaſterium, Annô 1655. Nobilitas, & tota Univerſitas Catholica Inclyti Comitatûs de Saáros, viſis, & Incipit Introductio Fratrum Noſtrorum in Civitatẽ, & poſt perpeſſas multas afflictiones perficitur. 1672.

perpensis Relatorum Patrum Nostrorum in cura Animarum indefessis fatigijs, apud Augustissimum Imperatorem Ferdinandum III. humillimè institit, quatenùs Patribus Franciscanis, & Introductio Eperiesinum, & Introductis dictum desolatum Monasterium, in quo jam Senatus Lutheranicus frumentum, & in Ecclesia, ad instar Cellarii reformata, Vinum conservabat, pro exercitio Religionis Catholicæ benignè concederetur. Annuit Sua Sacratissima Majestas piis supplicantium Votis, negotiumque indilatè effectuandum, Cameræ Scepusiensi Vigore rigorosi extradati Mandati commisit, Tenoris, ùt sequitur:

FERDINANDUS III. DEI Gratiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. &c. Rex.

Benignum Mandatum Ferdin. III. jubens Introductionem Fratr. Minor. in Civitatem.

EGregii Fideles Nobis Dilecti. Qualiter ad humilem Instantiam, & devotam, sedulamque interpositionem Universorum Catholicorum in Comitatu Saárosiensi degentium apud Majestatem Nostram, pro parte & in Persona Religiosorum Fratrum Ordinis S. Francisci in Monasterio Sebessiensi DEO famulantium ratione resignationis certi desolati Monasterii in medio Civitatis Nostræ Regiæ Eperiesiensis habiti, & aliàs ab antiquo ad dictum Ordinem spectantis, demissam factam ad Fideles Nostros Prudentes, ac Circumspectos, Judicem, cæterósque Cives jam fatæ Civitatis Nostræ Eperiesiensis scripserimus, ex hisce amæno Benignarum Literarum Nostrarum ad Eosdem datarum exemplo, Fidelitas, Vestra intellectura est uberiùs. Quod pium, Salutaréque ipsorum propositum, Nos quoque clementer promotum esse volentes, Fidelitati Vestræ harum serie firmiter committimus, & mandamus; quatenùs intellecta hacce benigna Voluntate, & Ordinatione Nostra, primùm quidem benignas hujusmodi requisitorias Literas Nostras Senatui Memoratæ Civitatis Nostræ Eperiesiensis, ritè, & debitô modô exhibere, ac tandem Eundem Nomine Nostro, omni meliori & congruentiori, quô fieri poterit, modô, eò disponere, efficeréque velitis, ac debeatis, quô Præmemoratum Monasterium, pro Exercitio Religionis Catholicæ, Prænarratis Fratribus Franciscanis, citra difficultatem, & renitentiam restituatur, & resignetur. Facturi in eo rem functione Vestra condignam, & Nobis benè gratam: Quibus in reliquo Gratiâ Nostrâ benignè propensi manemus, rescriptum quoque Vestrum super id expectaturi sumus. Datum in Arce Nostra Regia Posonienſi Die 29. Mensis Junii, Annô Millesimô, Sexcentesimô Quinquagesimô Quintô.

FERDINANDUS

Georgius Szelepcsény
Episcopus Nitriensis m. p.

Prædictum Mandatum Hæretici nil curant.

N. 184. Ast nullô secutô effectu: Lutherani enim posthabitô benignô Sacratissimæ Majestatis Mandatô, nec Patres Nostros admiserunt, nec desolatum Monasterium pro incolatu tradiderunt: quô tamen non obstante Patres Nostri varia opprobria, vexas, & injurias à Lutheranis cum reliquis Catholicis sustinentes (ùt liquet ex Processu contra eosdem successivè formato, & in Archivo Conventûs conservato) zelô Animarum provocati, per privatas domos latitantes Catholicis Sacra faciebant, usque ad Annum 1660., quô LEOPOLDUS I. Sui Genitoris FERDINANDI III. piam Voluntatem in Fratres Minores effectuare cupiens, rursus seriosè demandavit Domino Comiti Francisco Wesseliny, pro tunc Regni Palatino, ut Patribus Franciscanis Eperiesinum admissis, memoratum desolatum Monasterium quantocyùs tradatur, ipsúmque Senatum Eperiesiensem ad obsequendum Ordinationi Palatinali, suô benignô Mandatô strictè commonuit: cujus Tenor:

Emanat alterum Leopoldi I.

LEOPOLDUS DEI Gratiâ Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ &c. &c. Rex.

PRUDENTES, ac CIRCUMSPECTI, FIDELES NOBIS DILECTI.

Benignum Mandatum Leopol. I. ſimiliter adurgens Introductionem mentionatam.

PRobè recordabimini, qualiter non ita pridem benignè, & ſeriò Vobis commiſerimus, ut augeſcente Numerô Catholicorum in iſta Civitate Noſtra degentium, certum Monaſterium deſolatum, pro Exercitio Religionis ipſorum reſignaretis, remitteretisque; Vos tamen, non ſcitur, quibus ducti conſiderationibus adverſanti prorſus Voluntate, non ut hujuſmodi benignis Mandatis Noſtris pro eo, ac par eſſet, obtemperando, idipſum in effectu præſtitiſſetis, ſed ne reſponſum quidem ad ea, dare voluiſſetis, magno cum Auctoritatis Noſtræ Regiæ Præjudicio, & evidenti Mandatorum Noſtrorum neglectu. Quod utique, licèt Nobis placere nequeat, & meritò debitam quoque animadverſionem mereatur, nihilominùs tamen, priusquàm ad rigoroſiora media condeſcendendum ſit, iteratò Vos remonendos eſſe duximus, ſeriò, & firmiter mandantes, quatenùs in conformitate prioris Commiſſionis, & mandati Noſtri, memoratum Monaſterium deſolatum, dictis Catholicis, in medio Veſtrûm commorantibus, & magno Religionis Catholicæ deſpectu, in privatis Ædibus Sacra peragere debentibus, quantocyùs reſignare, & remittere debeatis; ne ampliùs eapropter ad Majeſtatem Noſtram recurrentibus, ulteriùs quoque iis, contra Vos lamentandi, & conquerendi anſa relinquatur. Quod ipſum Negotium, ut tantò efficaciùs finem ſuum ſortiri queat, Fideli quoque Noſtro, Nobis ſincerè Dilecto, Regni hujus Noſtri Comiti Palatino peragendum detulimus, cujus Relationi, Nominéque Noſtro fiendæ Ordinationi, ut Voſmet obſequenter accommodare debeatis, omninò volumus, & jubemus. In reliquo Benignitate Noſtra Vobis propenſi manentes. Datum in Caſtro Noſtro Laxemburgh Die 9nâ Maji, Annô Domini Milleſimô, ſexcenteſimô, ſexageſimô.

LEOPOLDUS

Georgius Szelepcsény
Archi-Epiſcopus Colocenſis m. p.

Nec huic Mandato parent hæretici.

Verùm nec huic benigno, nec Anni immediatè ſubſequentis 1661. in ſimili forma Suæ Sacratiſſimæ Majeſtatis ſecundo, ſerioſo, & comminatorio extradato Mandato, illicò paruit protervus Senatus Lutheranicus Eperieſienſis, quin potiùs negotium pervicaci ſilentio involvit, cum gravi damno Religionis Catholicæ, derogaminéque Authoritatis Regiæ, ac proinde Introductio Noſtra ad Annum uſque 1671. protracta, eôdemque terminata fuit hoc modô.

N. 185. Annô ſignatô 1671. ex benigna Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ Domini Noſtri Clementiſſimi LEOPOLDI I. ordinatione, deputati fuêre Commiſſarii, utpote Illuſtr. ac Reverendiſſ. D. Georgius Bárſony Epiſcop. Varadienſis. Spect. D. Sigiſmundus Holló, Cameræ Scepuſienſis Primarius Aſſeſſor. Et Illuſtriſſ. Dom. Franciſcus Henricus Comes à Mansfeldt attunc Civitatis Eperieſienſis Commendans, qui Die 17. April. conſidentes in Domo Weres-Balintiniana negotium Introductionis Noſtræ cum Senatu tractare cœperunt, quod etiam per triduum continuârunt, Patribus interim Noſtris rei eventum per biduum præſtolantibus, qui favorabilis fuit, nam fractâ Senatûs Lutheranici pervicaciâ, jam toties memoratum deſolatum Monaſterium cum Eccleſia ſatis humili, Nobis traditum extitit, hac tamen ſub conditione, ut frumentum ex eo liberè evehatur, quô ejectô Die 19. April. Primi Patres Noſtri, Pater nimirum Arſenius Dioſſy, & Pater Simon Szakolczenſis illud ſubintrantes, & occupantes, *Te DEUM laudamus* cum Sacro decantârunt, habitô etiam Sermone ad Populum per Patrem Georgium Szecsényi ad Aram S. Antonii.

Primi Patres intrant deſolatum Monaſterium, & Te Deum laudamus decantant.

Annô 1672. 7mâ Julii mediô Deputatorum à Sua Sacratiſſima Majeſtate Commiſſariorum, præmiſſis de more præviis inquiſitionibus, omnia Templa Eperieſini ab hæreticis ſunt revindicata, ex quibus Slavonicum (in quo nunc Patres

Revindicantur Templa ab hæreticis.

Conventuales Divina persolvunt) per Inclytam Commissionem traditum fuit Nostro Patri Præsidenti Ambrosio Trettin, verùm expost (qua de causa? ignoratur) Dom. Loci Parochus Benedictus Bagyoni, acceptis à dicto Patre Præsidente Templi Clavibus, tradidit eas Patribus Conventualibus, qui hodiedum Ecclesiam possident.

Exoritur Rebellio, & Religiosi ex Civitate pelluntur.

N. 186. Vix illocati Patres Nostri ad desolatum Monasterium, mox exorta Rebellione de intermixta praxi Civium, propter accepta Templa exacerbatorum, Die 28. Septembr. Annô ùt supra 1672. immissis Rebellibus, cum Commendante D. Joanne Messing, & 50. Viris militaribus, ac Patribus Societatis, expulsi sunt, & Templa Catholica iterum ab hæreticis occupata. Attamen paulò post Noster Pater Simon cum Sociis revocatus, durante Rebellione, in privata Domo D. Gabrielis Kapy Divina Catholicis administrabat; cessante verò Rebellione, post adventum in Civitatem Excell. D. Generalis à Kopp, Judex Civitatis eò tum Michaël Haker annuente Senatu, spontè restituit Patribus Nostris claves desolati Monasterii, quod jam secundò intrantes inhabitare cæperunt.

Revocatus noster P. Simon cum Sociis, & degens in domo privata Divina Catholicis ministrat.

Annô interim subsequente 1673. per Illustriss. D. Com. Othonem Ferdinandum à Wolkra, Senatus Lutheranicus reformatus fuit in Catholicum, omniáq; Templa rursùs ab hæreticis, bonis modis recepta: Sícque Patres Nostri jam pacificè Eperiesini habitare cœperunt, & succesivè ex conquisitis Eleëmosynis, Ecclesiam, & cessum desolatum Monasterium reædificaverunt, restaurârúntque, usq; ad An. 1678. quô P. Jacobus Ragyocius Guard. cum P. Vicario Andrea Szentei, Concionatore Cyrillo, Parocho Soóvariensi Clemente, duobus Fratribus Antonio, & Dominico, ac duobus Servitialibus Sæcularibus à Festo S. Jacobi usq; ad Festum S. Bartholomæi peste sublati sunt; supervenientes autem Patres quietè incoluerunt sic restauratum Conventum usque ad Annum 1682.

Reformatur Senatus Lutheranicus in Catholicum.

Fratres nostri vivunt pacificè, & Convent. reædificat.

Ortus Rebellionis Tökölianæ

N. 187. Quô prævaluit revolutio Emerico-Tökölíana: occupatô siquidem à Rebellibus Fülekinô, Metropoli Superioris Hungariæ Cassoviâ, Eperiesinô quoquè Militem Cæsareum exire coëgerunt, cum quo iterum omnes Religiosi propudiosè expulsi sunt, ac consequenter à Divinis Servitiis inhibiti: imo quidam ex Ordine Nostro Sacerdotes, mediô Hajdonum ex Urbe educti, unus autem curru simali ad certum colliculum evectus, indeque curru inversô ludicrè ad Vallem præcipitatus fuit, paulò post, se recolligendo Sebessinum properavit.

Expelluntur propudiosè Religiosi.

Diruitur iteratò Cõventus, Altaria profanantur, Cruces ludibrio exponuntur.

N. 188. Post opprobriosam hanc Nostrorum Fratrum de Urbe expulsionem, restauratus Conventus, unà cum Ecclesia, sub Judicatu cujusdam nefandi Flesshaker, funditus eversus, & demolitus fuit, ex lapidibus verò sic diruti Conventûs & Ecclesiæ, Senatus Lutheranicus Scholas, quidam autem Cives domos sibi ædificarunt. Tabernaculum asservationi Sacratissimi Corporis Christi dedicatum, profanatum, Altaria cum Sanctorum Imaginibus confracta, Sacræ Statuæ Mutilatæ, & destructæ, Crux cum Crucifixo Salvatore ante Conventum situata, impiâ manu succisa, ac in lutum præcipitata, conculcata, cum improperiis perfidæ Gentis olim Judaicæ: *Tu Papistice DEUS salva teipsum, & videas, quia statim in luto volutaberis.* Imò Cruci jam jam cadenti vernaculè insultabant: **Dobre se trimay Bože Papežky / aby gsy se nepolámal.** Ex confractis confectísq; Statuis, Cruce Salvifica, ac Altaribus, Cereviſia cocta, sub nomine sanctæ Cereviſiæ, ad quam potatores se invitabant, dicendo: **Podme na swate Piwo.** Ejusmodi nefandorum criminum, criminosi Primipilli, tres signanter Cives Grinkranecz, Rajcherth, & Schvarcz Divina illicò ulciscente Nemesi, luerunt repentinas pœnas; unô morte repentinâ sublatô, aliô sensu auditûs destitutô, tertiô continuâ agitatione capitis punitô, quô etiam ad Fidem Orthodoxam conversô, motus ille ad ultimum vitæ spiritum perseveravit, licèt aliquantulùm temperatus fuerit. Habentur hæc, & plura alia etiam in Archivo Reverendorum Patrum Societatis notata.

Improperia Crucifixo Salvatori impinguntur.

Criminosi Profanatores, & improperatores repentinas luunt pœnas.

N. 189.

N. 189. Duravit hæc Catholicorum, cumprimis Religioſorum, ſub motibus Tökölianis ab hæreticis, & rebellibus Eperieſinum poſſidentibus perſecutio, ab Anno ùt ſupra 1682, ad Annum 1685, quô iterum glorioſis Armis Suæ Sacratiſſimæ Majeſtatis, Bellíque Duce Generali Schultz recuperatum fuit. Patres verò Noſtri quidam adhuc priore Annô ſubintrantes, in privata Domo Sacra faciebant, interimque pro compellendis hæreticis ad reædificationem Conventûs per eosdem diruti apud Suam Majeſtatem LEOPOLDUM I. laborantes, tandem obtinuerunt Compulſorium Mandatum, ut Lutherani, qui cauſa fuêre demolitionis Conventûs, vel amicabiliter cum Patribus conveniant, vel ex toto dirutum reædificent Conventum Tenoris ſequentis:

Durat rebellio fermè per 40or annos.

Porrigunt interea Memoriale ſupplicantes reædificationem Conventûs ab hæreticis diruti, apud Leopoldum I.

LEOPOLDUS Dei Gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. &c. Rex.

PRUDENTES, ac CIRCUMSPECTI, FIDELES NOBIS DILECTI.

Benignum Mandatum Leopoldi I. compellens Lutheranos ad reædificandũ Conventum.

AD demiſſam, eámque legitimam Religioſorum Patrum Ord. S. Franciſci Seraphici Provinciæ Sanctiſſimi Salvatoris Hungariæ Superioris Inſtantiam, Conventum, ſeu Monaſterium Eorundem, in hac Civitate Noſtra Eperieſienſi ſitum, Tökölianáque factione ante Annos quatuor ſuum incrementum ſumente, per Senatum Civitatis Ejuſdem Noſtræ Lutheranum occupatum, Eidem Provinciæ, & Ordini iterum non ita pridem reddi, & reſtitui curavimus quidem; verùm utì informaremur, Monaſterium illud una cum Eccleſia, per nonullos Cives, & Senatores pariter Lutheranos, abſque omni neceſſitate, uſque ad fundamentum dirutum, & ſolo æquatum; lapidibus verò illis certam aliam domum in eadem Civitate Noſtra extructam eſſe. Propter quem auſum temerarium Eorundem Civium, & factum erga DEUM, atque Religionem ſummè deteſtabile, gravius quidem puniri deberent iidem, Cives, & Senatores, nihilominùs pœnam eandem pro innata Nobis Benignitate temperantes, omninò volumus, & Vobis harum ſerie firmiter præcipientes committimus, atque mandamus, quatenùs, re ſic ſe habente, Cives illos, qui cauſa demolitionis annotati Monaſterii, & illius Eccleſiæ fuerunt, per omnia opportuna media, ad reſtaurationem, reædificationémque jam fati Monaſterii, & Eccleſiæ ſumptibus, & expenſis propriis fiendam compellere, Domum verò illam, quam lapidibus ita ruinati Monaſterii, & Eccleſiæ extrui curant, pro manſione, & inhabitatione ipſorum Patrum, & Fratrum uſque ad reædificationem, & reſtaurationem Monaſterii, uti præmittitur, impenſis dictorum Civium fiendam iiſdem Patribus, & Fratribus tradere & conſignare debeatis, & teneamini, niſi unà cum illis graviorem eatenus animadverſionem Noſtram experiri velitis. Secùs nullatenus facturi. Vobis de cætero Cæſareâ & Regiâ Gratiâ Noſtrâ propenſi manentes. Datum in Civitate Noſtra Viennæ Auſtriæ Die 21. Menſis Junii Annô Domini Milleſimô, Sexcenteſimô, Octuageſimô Sextô.

LEOPOLDUS

Joannes Maholány.

N. 190. Acceptô igitur hoc Suæ Sacratiſſimæ Majeſtatis benignô Mandatô, Cives, qui cauſa fuerunt diruitionis, cum Patribus Noſtris amicabiliter convenerunt, deponendo 4000. Florenorum Rhenenſium pro reædificatione Conventûs: quâ pecuniâ cum reliquis Eleëmoſynis Patres Noſtri ædificârunt unum Tractum ex parte horti, qui hodiedum extat, cum Sanctuario, interim Divina peſolvebant in domo privata per Magiſtratum ex Mandato Suæ Sacratiſſimæ Majeſtatis adinterim aſſignata, donec accepiſſent facultatem à Venerabili Capitulo Agrienſi celebrandi, & concionandi in Eccleſia Parochiali, perfecto tandem Sanctuario, & Tractu, ad eum inhabitandum ſe contulerunt, qui iterum Annò 1696. exortô incendiô Feriâ Quartâ Cinerum incineratus fuit, ſed

Conveniunt Lutherani cum Patribus noſtris amicabiliter.

paulò poſt reſtauratus eſt ex collectis piis Eleëmoſynis, induſtria M. V. Patris Joannis Gocz Guardiani.

§. III.

De Conſtitutione Structuræ Moderni Conventûs, & Eccleſiæ.

Conventus ſucceſſivè ædificatur.

N. 191. POſt reſtauratum incineratum Conventum, ùt præmittitur, in anno 1696. manſerat is in uno Tractu ex parte horti conſiſtens cum 12. Cellis, uſq; ad annum 1727. quô, tum ex Munifica Liberalitate Illuſtriſſimæ Familiæ Klobuſiczkianæ, tum ex piis Variorum Benefactorum Eleëmoſynis ſub Guardianatu P. Urbani Sveſztka erectus fuit penes Eccleſiam Tractus Secundus, in eoque quinque Cellæ. Anno autem 1733. ſub iterato Guardianatu P. Urbani continuatum fuit

Fundatores

ædificium, & inchoatus Tractus Tertius ex parte Civitatis. Tandem annô 1734. ſub Guardianatu P. Modeſti Trubeczki continuatus fuit Tractus Tertius, quô completô inchoatus eſt, ac unà completus Tractus Quartus Munificentiâ jam memoratæ Inclytæ Familiæ Klobuſiczkianæ, ac piorum Eleëmoſynis, ſignanter Familiæ Melczerianæ, de qua habuimus in Provincia Chariſſimum Fratrem Laicum Alexandrum Melczer vocatum.

Cellæ inhabitabiles, & Conſervatoria.

N. 192. In hoc Conventu jam ex integro completo Cellæ inhabitabiles, inclusô etiam Refectoriô numerantur 33. Conſervatoria 2. granarium infra tectum 1. Porro Fratres huncce Conventum inhabitantes vivunt ex Eleëmoſynis, quibus interteneri poſſunt præter propter 26. veſtiuntur autem fundationali Gra-

A quibus vitantur, & veſtiuntur Fratres.

tiâ Illuſtriſſimæ, ùt præattactum, Familiæ Klobuſiczkianæ. Inclytæ item Familiæ Splényianæ, Pettheöianæ, Turcſanyanæ, Navarianæ, Teczianæ, Mariáſſianæ, Ezerniczkianæ, Karſchianæ. Viguit in hoc Conventu, & etiamnum viget ab

Viget Studium Philoſophicũ.

Anno 1732. Studium Philoſophicum. Advicinatur immediatè huic Conventui hortus, ſed ob ſuam parvitatem pro neceſſitatibus culinaribus minimè ſufficiens.

N. 193. Quamvis Structura hujus Conventûs, ùt in priori §. notatum eſt, non tantùm Munificentiæ Illuſtriſſimæ Familiæ Klobuſiczkianæ, verùm etiam aliorum Dominorum Patronorum Chriſtianæ Liberalitati attribui poſſit; modernæ tamen altæ, & Magnificæ Eccleſiæ tota, & totalis erectio, ſoli Præmemoratæ Inclytæ Familiæ Klobuſiczkianæ jure concedi debet, ob quem etiam pietatis actum ab Alma Provincia Titulô Fundatoriô decorata manet. Annô ſiquidem 1708. Illuſtriſſimus Dominus Franciſcus Klobuſiczky L. B. de Zéthény, cum ſua Illuſtriſſima Domina Chriſtina Soós de Soóvar, commiſeratione ducti erga pauperculam priorem Eccleſiam Noſtram admodùm humilem, Corpus modernæ Eccleſiæ Præcelſæ, cum ſex Capellis funditùs ædificare cæperunt, volentes etiam Sanctuarium cum Conventu Succeſſivè ædificare; verùm morte inſperatâ præventi intentum ſuum implere nequiverunt: Annô nihilominùs 1715. piam Dilectorum Genitorum ſuorum voluntatem Filius unicus, Illuſtriſſ. quippe Dominus Stephanus Klobuſiczky effectivè continuare cœpit, atque antiquum Sanctuarium Eccleſiæ novæ conforme propriis impenſis elevare inchoavit. Præterea duo Altaria lateralia Immaculatæ Conceptionis Virg. unum, S. P. N. Franciſci alterum, Organum item majus 1000. florenorum Hungaricalium, nec non Cathedram, & Oratorium in Sanctuario pro Fundatoribus. Hæc inchoata ipſemet Illuſtriſſimus Dominus, utpote Die 6. Novembris Annô 1716. mundo valedicens non complevit; ſed Ejusdem relicta Vidua Illuſtr. Dom. Clara Kapy ſucceſſivis Annis continuavit, ac tandem Annô 1718. totam Eccleſiam quoad omnem ſui internam Structuram feliciter terminavit: demptô, quod erectio frontiſpicii ſolemnis protracta ſit ad Annum 1728. quô etiam terminata fuit.

Ecclesia fundatur ab Illuſtr. Dom. L. B. Franc. Klobuſiczky, & Ejus Conſorte Illuſtr. D. Chriſtina Soós.

Continuat ædificium Illuſtr. D. Dom. L. B. Steph. Klobuſiczky.

Complet tandem Ill. Dña relicta Vidua Dña Clara Kapy

Eccleſia dedicatur D. Joſepho, & offertur PP. Franciſc. quod ſequens monſtrat Inſcriptio.

Scire itaque cupienti, quô Annô? cujus ſumptibus erecta ſit hæc Magnifica Eccleſia, cui Sanctorum dicata? quibúsve Religioſis oblata? legenda eſt ſequens Chronographica duplex inſcriptio, ſupra Portam Eccleſiæ ſculpta cernibilis.

Prior

Prior.

Inscriptio supra Portam Ecclesiæ insculpta.

MagnIfICI FranCIsCI kLobVsICzkI
BaronIs à Zétén,
ChrIstInæ Soós à SóVár eXpensIs fIerI,
eXtrUIqVe proCUrata.

Posterior.

DIVo JesU ChrIstI NUtrItIo Josepho
eX Voto obLata
HonorabILIbUs SanctI PatrIs FranCIsCI
SeraphICI ReLIgIosIs DesIgnatUr.

Statua ante Ecclesiam situata.

N. 194. Non parum decoris, & ornamenti addit Ecclesiæ huic Josephianæ Colossus ante eam situatus, impensis piè in Domino quiescentis Perill. ac Gen. Dom. Nicolai Horváth ex Voto occasione Pestis grassantis erectus, in quo conspiciuntur Statuæ sequentes: Suprema, S. Rochi; collaterales verò S. Francisci Xaverii, S. Antonii Paduani, S. Sebastiani Martyris, & S. Rosaliæ. Nec non renovatio frontispicii, ac erectio duarum Turrium, quæ fieri cœpit Annô 1758. Promotore R. P. Cajetanô Szalomon Provinciæ Diffinitore Actuali.

Renovatur Frontispicium Ecclesiæ, & duæ Turres elevantur.

§. IV.

De Consecratione Ecclesiæ, & Ornatu ejusdem.

Ecclesia Consecrata cum quatuor Altaribus.

N. 195. QUemadmodum Prælibata hæc Ecclesia Josephiana, Munificentiâ Illustrissimæ Familiæ Klobusiczkianæ erecta, ita etiam de eadem Familia per Excellentissimum, Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Franciscum Klobusiczky, modò Archi-Episcopum Colocensem, protunc Episcopum Consecratum, & Vicarium Generalem Tyrnaviensem Annô 1737. die 15. Sept. Dominic. XIV. post Pentecost. quæ fuit tertia Septem. consecrata est, cum quatuor Altaribus, quippe S. Josephi, B V. MARIÆ Immaculatæ, S. P. N. Francisci, & S. Joannis Nep. M. consecutivè Dies Anniversaria Consecrationis hujus Ecclesiæ, est Dominica XIV. post Pentecosten.

Ecclesia continet Aras novem.

In hac Ecclesia numerantur Aræ novem: Prima, & Major est S. Josephi, quam augere cœpit Illustriss. D. Comitissa Fundatrix Clara Kapy Annô 1724, & Annô 1732. per Gen. D. Franciscum Streczium præstantem Sculptorem complevit. Stetit hæc Ara suô viduata nitore à præfato Anno 1732. usque ad Annum 1755, quô per duos Pictores Jonam, & Davidem Kromer Fratres Germanos, sed Lutheranos, cum Oratorio Fundatorum, Cathedra, & Organo, impensis Inclytæ Familiæ Klobusiczkianæ 2600. Florenorum Rhen. inaurata fuit. *Secunda* est Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ. *Tertia* S. P. N. Francisci. *Quarta* S. Joannis Nep. Omnes hæ quatuor, ùt præfertur, sunt consecratæ, & per Illustr. Dominam Fundatricem Claram Kapy erectæ. *Quinta* S. Antonii Paduani, per Perill. D. Bernardum Victorem Karsch inaurata, per quem autem curata? ignoratur. *Sexta* S. Annæ, quæ etiam est Privilegiata, Privilegiô quotidianô perpetuô, & sumptibus Spect. D. Gabrielis Pálfalvay Tabulæ Dicasteria-

lis Eperieſienſis Aſſeſſoris Annô 1732. decolorata. *Septima* S. Crucis per Illuſtr. Dominum L. B. Fajgenputz curata. *Octava* Doloroſæ B. V. MARIÆ curata per Excell. Dom. Ladislaum Jacobum Spleny, condam Generalem unius Hungarici Equeſtris Regiminis Annô 1718. *Nona* S. Petri de Alcantara per Spect. Dom. Antonium Bornemiſza Inclytæ Tabulæ Dicaſterialis Aſſeſſorem curata, & Annô 1756. inaurata.

Erecta Via Crucis.

In hac Eccleſia habetur Doloroſa Via Crucis, erecta Annô 1743. Cujus exercitium à quibusdam Amatoribus Crucis Chriſti perficitur qualibet die, cum apparatu autem, & concurſu Populi, in Quadrageſima ſingulâ Dominicâ; reliquis verò Anni temporibus quâlibet Dominicâ Novilunii. Erecta eſt quoque duplex Confraternitas, Sancti Joſephi una; S. Joannis Nepomuceni altera. Introductus eſt pariter Tertius Ordo Pœnitentium An. 1747. ſub Guardianatu P. Benedicti Mayerl. Notabili Sacrâ Reliquiâ non gaudet, neque conſtat inhumatum eſſe alicujus Sancti Corpus; habetur tamen Particula S. Crucis, & S. Antonii Patavini, utraque in Oſtenſoriolo decenter ornato.

Duplex Confraternitas.

Sacer Tertius Ordo Pœnitent.

§. V.

De numero Cryptarum, & in eis Tumulatorum.

Cryptæ quatuor.

N. 196. ECcleſia hæc Joſephiana numerat Cryptas quatuor. Una eſt Fratrum poſt Aram Majorem in Sacriſtia, efformata impenſis Conventûs. Secunda Sæcularium ante Aram B. V. MARIÆ Immaculatæ, erecta ſimiliter expenſis Conventûs. Tertia Illuſtriſſimorum D. D. Fundatorum, ſeu Inclytæ Familiæ Klobuſiczkianæ ante Aram S. P. N. Franciſci, extructa impenſis Illuſtriſſ. D. Stephani Klobuſiczky An. 1714. in cujus lapide extat hæc Inſcriptio: *Annô 1714. hic ſepulchralem elegit ſibi requiem Illuſtriſſima Familia Klobuſiczkiana Fundatrix Eccleſiæ, ac Conventûs Eperieſienſis Fratrum Minorum Reformatorum Provinciæ SS. Salvatoris.* Quarta tandem eſt ante Aram S. Annæ erecta ſumptibus Conventûs An. 1739. Ultra has quatuor Cryptas extat etiam adjacens Eccleſiæ Cæmeterium cinctum aſſeribus, in cujus fronte erectus eſt Crucifixus cum duabus Statuis, in quo etiam plures Fideles eligunt ſibi locum quietis. Qui autem in Cryptis Eccleſiæ Noſtræ tumulati ſunt, Nobiliores regeſtrantur.

Inſcriptio in lapide Sepulchrali Familiæ Klobuſiczkianæ.

Cæmeterium junctum Eccleſiæ.

Ab Anno 1715.

IN CRYPTA ILLUSTRISSIMORUM DD. FUNDATORUM.

ILluſtriſſimus D. D. Franciſcus Klobuſiczky L. B. de Zetény, Fundator Primarius, & Illuſtriſſ. D. Ejus Conſors Chriſtina Soós, jacent in Sanctuario in cornu Epiſtolæ.

1716. Illuſtriſſ. D. D. Stephanus Klobuſiczky Fundator, Die 15. Novembr.

1722. Illuſtriſſ. D. Comitellus Joſephus Szent-Iványi.

1731. Spectabilis D. Helena Berzeviczy, Conſors Spect. D. Gabrielis Kapy Proto-Notarii, Die 4. Januarii.

1738. Domicella Thereſia, Filia Illuſtriſſ. D. Antonii Klobuſiczky Fund. 14. Januarii.

1742. Herulus Petrus, Ejusdem Illuſtriſſ. D. Fundatoris 12. Auguſti.

Eodem Herula Anna Maria Thereſia Illuſtriſſ. D. Stephani Klobuſiczky Fundatoris 15. Octobris.

Eodem Herulus Ladislaus Filiolus, Ejusdem Illuſtriſſ. D. Stephani Klobuſiczky Fund. 16. Novembris.

1743. Herulus Antonius Illuſtr. D. Com. Joſephi Szapári Filiolus 18. Aug.

1748. Herula Antonia Filiola Illuſtr. D. Antonii Klobuſiczky Fund. 7. Martii.

1750. Herula Maria Filiola Illuſtr. D. Antonii Klobuſiczky Fund. 17. Julii.

1751. Herulus Antonius Filiolus Ill. D. Steph. Klobuſiczky Fund. 15. Aug.

Eo-

Eodem Herula Christina Filiola Illustr. D. Antonii Klobusiczky Fund. Die 7. Octobris.

1757. Ipsemet Illustrissimus D. Comes Antonius Klobusiczky Fundator, & Inclyti Comitatûs Zemplinienſis Supremus Comes, Die 13 Martii.

1758. Domicella Catharina Filiola Ejusdem Illustr. D. piè in Domino defuncti Antonii Klobusiczky, Die 7. Augusti.

Eodem Domicella Elisabetha pariter Filiola Illustr. Dom. defuncti Antonii Klobusiczky Die 9. Augusti.

Reliqui Spectabiles, Perillustres, ac Generosi Domini, Patroni, & Fautores Nostri, æquè ac Sequioris Sexûs honoratæ Matronæ, in Ecclesia Nostra tumulati, & tumulatæ ob compendiandam Provinciæ Historiam à regestratione exmittuntur; connotati tamen reperiuntur in monumento domestico.

Cæterùm cùm in Conventu Sebessienſi prætermissum sit, hic apponendum censui. Videlicet Annô 1757. die 24. Decembris defunctam fuisse Illustr. Comitissam Claram Kapy trium Conventuum, Sztropkovienſis nempe quâ Petheöianam, Eperiessienſis quâ Klobusiczkianam, Sebessienſis quâ Szentivanyianam, Fundatricem, ac Sebessini in Crypta Familiæ Kapyanæ in nocte Nativitatis post absoluta Divina tumulatam.

NOMINA SUPERIORUM HUJUS CONVENTUS.

Annô.

1671. P. Arsenius Diósſi Præsid.
1672. P. Ambrosius Trettin.
1673. P. Balthasar Becker.
1675. P Georgius Szécsényi.
1676. P. Tiburtius Hermanienſis.
1677. P. Simon Szakolczenſis Guard.
1678. P. Jacobus Ragyóczi.
1679. P. Isidorus Krizidovski.
1681. P. Michaël Habdelics.

Sub hujus Guardianatu Annô 1682. PP. Nostri ab Hæreticis sunt expulsi.

1684. P. Venceslaus Uhrovics Præsid.
1685. P. Isidorus Krizidovski.
1687. P. Arsenius Diósſi.
1688. P. Leonardus Ondrejkovics.
1689. P. Timotheus Girzicsek.
1690. P. Emericus Terchovics.
1691. P. Clarus Landsperg.
1692. P. Ladislaus Radosini.
1693. P. Joannes Götz.
1697. P. Joan. Bap. Dobronyai Guard.
1668. P. Timotheus Girzicsek.
1699. P. Joannes Götz.
1700. P. Berardus Neiman.
1701. P. Franciscus Svetlovics.
1702. P. Joannes Götz.
1703. P. Berardus Neiman.
1708. P. Michaël Benyovics.
1710. P. Joannes Götz.

Annô

1711. P. Innocentius Geisler.
1712. P. Maximilianus Friepeis.
1714. P. Berardus Neiman.
1715. P. Antonius Waldtreich.
1717. P. Eustachius Sopauch.
1791. P. Joannes Näsl.
1720. P. Michaël Schindler.
1722. P. Eugenius Ulman.
1724. P. Urbanus Fridrich.
1726. P. Emericus Ragyóczi.
1727. P. Urbanus Sveiztka.
1729. P. Franciscus Liptai.
1731. P. Cosmas Pecsenya.
1732. P. Urbanus Sveiztka.
1734. P. Modestus Trubeczki.
1737. P. Fortunatus Kubicsek.
1738. P. Benedictus Mayerll.
1741. P. Gabriel Bojan.
1742. P. Stephanus Mazurka.
1744. P. Paulus Szaloki.
1745. P. Petrus Baros.
1746. P. Benedictus Mayerll.
1748. P. Cajetanus Szalomon.
1750. P. Justus Fridrikovszki.
1753. P. Cajetanus Szalomon.
1756. P. Columbanus Tiger.
1757. P. Benignus Pribis.
1758. Idem.

XVII. CONVENTUS AGRIENSIS AD B.V. MARIAM SINE LABE CONCEPTAM.

§. I.

Succincta Descriptio Civitatis Agriensis.

PLures mihi replendæ forent paginæ, si Agriam, tum à Sede Episcopali, Cleríque frequentia, tum ab Ecclesiarum, Religiosorúmque domicillorum fæcunditate nobilem, pro merito describere vellem; at quia non mei hoc est propositi, qui Conventuum nostrorum, non verò Urbium, & locorum, in quibus illi existunt descriptionem susscepi, paucis solummodo ut cœptam servem methodum, me circa memoratam expediam Civitatem.

Antiquitas Civitatis Agriæ.

N. 197. Igitur *Agria* (an ab Agrianis Thraciæ populis, sed origine Pannoniis, vel à rivo Civitatem hanc intersecante, sic dicta, aliis dijudicandum committo) est una ex antiquioribus Civitatibus, utpote jam à S. Stephano Rege in deliciis habita, in duplici regione Hevessiensi nempe, & Borsodiensi (ita amne Agriâ locum dirimente) situata. Cincta olim fuerat muris quadrato è saxo constructis, & fictili testorio coopertis, nunc tamen pluribus in locis fermè perviis.

Est Civitas Juris Episcopalis, populo bene frequens, ac decoris ædibus præstans, quarum præcipuæ post Residentiam Episcopalem sunt DD. Canonicorum, nonnullorum Nobilium, ac Civium. Præter Ecclesiam Cathedralem S. Michaëli Arch. dicatam, quam (eversa priore Stephanus Telekessius hujus Loci Episcopus à fundamentis eduxit, & Gabriel è Comitibus ab Erdöd itidem Episcopus ad perfectionem deduxit) sunt & aliæ non paucæ variorum Religiosorum cum suis Domiciliis, utpote Sociorum JEsu, Fratrum Minorum, tam de Strict. Observantia, quam Conventualium, Servorum item B. V. MARIÆ, ac S. Joannis de Deo Assectarum ad solatium ægrotorum huc inductorum. Hi omnes Civitatem incolunt, soli PP. Trinitarii dicti, extra Civitatem Occidentem versus consederunt.

Frequentia in ea Religiosorum.

Magno est Civitatis decori Nobile Collegium, ab Illustriss. & Reverendiss. D. Georgio Foglár Electo Episcopo Serbiensi &c. erectum, in quo per Sæculares Juris Doctores ad debitè in foris competentibus administrandam justitiam, Jus Patrium Nobili traditur Juventuti; at longè majori sunt Studia tam Theologica, quàm Philosophica per modernum Excell. Illustr. ac Reverendiss. D. Episcopum Agriensem Franciscum nempe è Comitibus Barkóczi (Tit:) recentissimè utpote Annô 1754. Die 5. Novembr. S Emerico Sacra, debita cum Solemnitate invecta, & instituta, quibus tractandis Viri Ecclesiastici hujusce Diœcesis, præmissa per altefatum Excellentissimum Præsulem, gravissima ad Clerum, è tota ferè Diœcesi confluentem Oratione sunt præfecti, & declarati.

Studium Juridicum.

Studium Theol. & Philos. recenter inductum.

Civitati, parte, quâ Solem Orientem respicit, adhæret Arx, olim Præsulis Loci Episcopium, Templo D. Joannis Lateranensis, & Canonicorum Collegio clara, quæ & si priùs magis ad oblectationem, quàm tutelam à S. Rege Stephano fuerit posita, nihilominus Petri Perényi postmodum operâ in tantùm solidata, ut fortissimum quoque hostem valuerit sustinere, quod maximè An. 1552. patuit, dum à 60. millibus Turcarum obsessa, licet à duobus tantùm Hungarorum millibus propugnaretur, omnem tamen eorum elusit operam Sed cum Annô 1596. iteratò obsideretur, inque potestatem Turcarum deveniret, ac non nisi Annô 1687. à Christianis revindicaretur, tantos nempe insultus alternis vi-

Arx Civitatis.

cibus

cibus ſuſtinendo, unâ cum Epiſcopio ruinata eſt, ut defacto vix ſpeciem Statûs priſtini retineat. Qui plura ſive de Arce hac, ſive de Civitate ſcire deſiderat Topographos conſulat.

§. II.

Deducit Provinciam noſtram Agriæ Domicilium habuiſſe ante tempora Turcica.

N. 198. NOn deſunt Scriptores, qui aſſerant Patres Seraphicos, ſeu Seraphici Patris S. Franciſci Filios, ipſo Patre adhuc in terris agente, Hungariam ingreſſos fuiſſe, primúmque Domicilium in hac Civitate Agrienſi obtinuiſſe. Et quidem P. Ladislaus Turóczi Soc. JESU Sacerdos in ſuo Opere, quod, *Hungaria cum ſuis Regibus compendio data*, intitulatur, dum Loca Sacra Comitatûs Heveſſienſis commemorat, ita habet: *Agria eſt Urbs illa feliciſſima, quæ prima omnium Franciſci Seraphici, ipſo adhuc in vivis agente hoſpitio accepit Filios, à loci Antiſtite inductos. De anno non conſtat, factum tamen id ante 1225. & poſt 1210* Martinus verò Szent-Iványi ejusdem Societatis Scriptor in ſua *Diſſertat. Paralip. Rerum Memorab. Hung. p. 1. Decad. 3. Cathal. 80. Num. 8.* ita ſcribit: *Ordo Patrum Franciſcanorum Conventualium inſtitutus à S. Franciſco Aſſiſinate an. 1209. venit in Hungariam vivente adhuc S. Fundatore an. 1218. Cujus primum Monaſterium fuit Agriæ. Crevit poſtea hic Ordo mirè per Hungariam, ſed plerique illius Conventus poſtmodum ceſſere RR. PP. Franciſcanis Strict. Obſerv. &c.* Fratres Minores vivente adhuc S. Francisco Agriam intrâſſe dicuntur.

N. 199. Et ſi verò negare non auſim Fratres Minores vivente adhuc S. Patre Hungariam, atque etiam hanc Civitatem Agrienſem ingreſſos, eos tamen *Conventuales* fuiſſe, uti ly *Conventualis* eſt nomen diſtinctivum unius membri ab altero, & prouti hodie communiter ſumitur, admittere nullatenus poſſum; conſtans enim eſt Scriptorum Ordinis aſſertio, & bene probat P. Petrus Marchant. *Expoſit. Reg. in Cap. 8.* neminem Fratrum à condito Ordine uſque ad tempora Eugenii IV. in ſenſu hoc vocatum fuiſſe *Conventualem*, nec unquam S. Patrem intendiſſe ſuum Ordinem ſub nomine *Conventualium* inſtituere, quod ex Bullis Pontificum Regulam Sacram approbantibus liquidò patet, in quibus nulla prorſus fit mentio *Conventualium*, ſed ſimpliciter Fratrum Minorum. Refutatur dictum P. Szentiványi quoad ly Conventualis.

Allegatur quidem Bulla Innocentii IV. in qua Pontifex quaſi in ipſo Religionis Franciſcanæ exordio, Fratres Minores, appellaſſe dicitur *Conventuales*, ſed legatur contextus hujus Bullæ, & veritas patebit, ſic enim ſonat: *Cùm tanquam veri & fideles Chriſti Miniſtri, elegeritis vobis in domo Domini Manſiones, dignum eſſe credimus, ut habitacula veſtra inter alias honoratiores Congregationes ſtatuamus. Hinc eſt, quod veſtris ſupplicationibus inclinati præſentium Authoritate decernimus, ut Eccleſiæ Veſtræ omnes ubi Conventus exiſtunt* Conventuales *vocentur &c.*

Certè in hac ſignificatione *Conventualis* omnes Fratres concernit tam de Obſervantia, quàm Capucinos, aut quoſvis Recollectos, vel Reformatos, qui Conventus formatos, & Eccleſias habent, & tantùm excludit eos, qui extra hujuſmodi Conventus, in locis ſolitariis, ſive Eremitoriis morantur, & hoc pro tempore hujus moræ tantùm, eô ipſô enim, quod ad Conventus formatos, ubi ſunt Eccleſiæ revertantur, *Conventuales* iterum juxta hoc commune nomen, & privilegium nuncupari poſſunt. Interim quicunque fuerint, vel quomodocunque nominari debuerint Primi illi Fratres Minores, qui vivente S. Patre huc immigrâſſe feruntur, clarùm, eſt eos non pertinuiſſe ad iſtam SS. Salvatoris Provinciam, cujus Initia, ùt Provinciæ, non niſi ad annum 1517. ùt Vicariæ Hung. ad 1444. ùt Vicariæ Boſniæ ad 1339. referri poſſunt. In quo ſenſu Innoc. IV. vocat Fratr. Min. Conventuales. Patres hujus Provin. ante tempora Turcica habuerunt Domicilium Agriæ.

N. 200. Interim Provinciam hanc Domicilium aliquod (probabilius Reſidentiam tantùm) Agriæ habuiſſe jam tertio abhinc ſæculo, priuſquam videlicet Civitas cum caſtro annô 1597. in Turcarum deveniſſet poteſtatem, probatur, tum ex antiquis Provinciæ manu-ſcriptis, in quibus legitur ad annum 1561,

Prædicatorem Agrienſem fuiſſe. P. F. Franciſcum de Ujlak. cui annô 1570. in prædicationis Officio ſucceſſit, P. F. Thomas de Mohács, qui in Capitulo Prov. Gyöngyöſſini celebrato confirmationem accepit &c.

Id probatur ex Sententia Epiſcopali.

Tum maximè ex deciſione litis inter RR. PP. Conventuales, & Noſtros Agrienſes circa ann 1692. per præfatos PP. Conventuales ratione Præcedentiæ motæ, & in noſtri favorem, per Sacram ſedem Epiſcopalem, Præſide, & Judice Illuſtr. & R. Domino Georgio Feneſi Digniſſimo Præſule Agrienſi, reſolutæ ex hac inter alias ratione, quod PP. noſtri jam ante tempora Turcica hoc locô Domicilium habuiſſent. Placet pauca ex eadem Sententia Epiſcopali An. 1696. die 3. Januarii Caſſoviæ emanata, & in Archivo Provinciæ noſtræ in Originali, utpote prælaudati Illuſtriſſ. D. Epiſcopi Sigillô majori munita, reperibili huc inſerere, præmiſſa tamen humili proteſtatione, ea non zelô aliquô perverſo, Religionis cujuſquam infamandæ, ſed purè Veritatis confirmandæ gratiâ adferri. Itaque circa medium Sententiæ præfatæ ita habetur:

Habitâ jam prævie cum Aſſeſſoribus Noſtris prædictis, nominatim Reverendiſſ. DD. Andrea Szántoſi, Electo Epiſcopo Catharienſi --- Andrea Petes, Abbate S. Petri de Tapolcſa --- item Nicolao Krucſai Abbate B. V. Mariæ de Cſatár --- & Michaële Zorger, Abbate S. Georgii de Szerencs, --- nec non A. R. D. Andrea Szárhegyi, Cathedr. Eccleſiæ Noſtræ Agr. Cathedrali Archidiacono, & Canonico, prout & R. ac Relig. P. Stephano Petheö è Soc. JESU Almæ Univerſitatis Caſſovienſis Ampliſſimo Pro-Cancellario, aliisque non intereſſatis, matura deliberatione, & diſcuſſione omnium, quæ pridem. & uſque in præſens, tum coram Nobis, tum etiam coram Reverendiſſima Nunciatura per ambas partes producta fuerant, & agitata --- ſiquidem evidenter, & manifeſtè comperiſſemus: Primò quidem, quamvis Religioſi Conventuales, ante ducentos ampliùs annos in Civitate Agriæ Conventum habuerint, nihilominus ita docente Bulla Alexandri VI. Romani P. Annô 1492. emanata, & per Religioſos Strict. Obſer. coram Nobis, ſicuti etiam Reverendiſſ. Nunciaturæ Apoſtolicæ originaliter producta, & exhibita, eoſdem Religioſos Conventuales ex certis legitimis cauſis primùm quidem per Julianum S. R. E. Cardinalem in Regno Hung. Legatum Apoſt. ex ſpeciali ad id ſibi data Sedis Apoſtolicæ facultate, ex certis tantùm, ac deinde accedente Eugenii IV. aliorumque Pontificum Romanorum approbatione, ex aliis quoque Diœceſis Agrienſis Conventibus, & locis omnibus amotos fuiſſe, ipſorumque Conventus, ejuſmodi Religioſis de Obſervantia, nunc reformatis in perpetuum ſubjectos, conceſſos, & aſſignatos eſſe, & quidem dictas amotiones, ceſſiones, & aſſignationes, Alexandrum quoque VI. præcitatâ ſuâ Bullâ confirmaſſe; atque ideo Fratres Conventuales, nominatim ab Annô 1492. in nulla ullius Conventûs Agriæ, ſive Juris, ſive facti deinceps poſſeſſione extitiſſe, ex oppoſito verò Religioſos de Obſervantia, eorum loco tunc introductos ad uſque An. 1597. quo Agria in Turcarum Poteſtatem devenit, in Conventu Civitatis Agriæ, uti præfertur, ſibi aſſignato, vitam laudabilem, & exemplarem, cum maxima Chriſti fidelium Conſolatione, & animarum Salute, Divinique cultûs incremento, prout Bulla loquitur ac ex ſtabili eorundem permanſione meritò præſumitur, duxiſſe, imo conſtaret etiam exiſtente in Manibus Turcarum Agriâ, ipſos palam, & occultè ſæpiùs Agriam venientes, Zelô ſuô Apoſtolicô, exiſtentibus ibidem Chriſtianis, præcipuè captivis, ex vicinis ſuis Monaſteriis, Religioſam Charitatem curæ ſpiritualis identidem impendiſſe; denique in Poſſeſſione Juris, ad Conventum Agrienſem, quamvis per Turcas ſibi ademptum, uſque ad recuperationem Agriæ perſeveraſſe &c.

Hæc utique manifeſtè probant, Fratres hujus Provinciæ temporibus ſupra memoratis Agriæ Domicilium quoddam Religioſum habuiſſe, & fideli Populo ſervitia Spiritualia præſtitiſſe. Poſt revindicatam verò è Tyrannide Turcarum Annô 1687. Agriam, Patres Noſtri Civitatem reingreſſi ſunt illa ipſa die videlicet 17. Decembris, quâ cedente Turcâ Miles Chriſtianus eſt ingreſſus, quod rurſus ex Authentico D. Jacobi Domonkos ſuæ Majeſtatis Sacratiſſimæ Poſtarum Magiſtri Agrienſis teſtimonio comprobatur, quod ex parte ita ſonat:

Ingreſſus noſtrorum Agriam poſtquam à Turca recuperata fuiſſet.

Ego

EGo infrascriptus recognosco, & testor harum mearum per vigorem, fide Christiana absque ullo fuco, aut in favorem, vel damnum partium ab infra declarandarum, verùm in rei veritate, uti in conscientia scio, & interfui, quod annô 1687. die verò 17. Decembris, quâ mediantibus glorioſissimis Suæ Majestatis Sacrat. D. D. Nostri Clementissimi Leopoldi I. feliciter regnantis armis, hoc fortalitium Agriense cum Civitate ex manibus Othomannici hostis recuperatum fuisset, Ego eo tum ex Commissione Illustr. D. Michaëlis Fischer, I. Suæ Maj. Sacr. Cameræ Scepus. Administratoris, & neo-aquisitorum locorum Directoris, primus omnium post exitum Turcarum, Agriam Tricesimæ Provisoratûs Judicatûsque Officiorum Administrator subordinatus intravi, & gessi Officium, nullusque Agriam, intrare, aut exire absque scitu, licentia, & scheda mea permissus per medium fermè annum est (uti præmissum est) Testor unâ eadem horâ, & die mecum A. R. P. Andream Palásti Ord. S. Franc. Refor. Act. Provincialem, tunc verò Conventus Gyöngyössienſis Guardianum intrâsse, Ecclesiámque S. Michaëlis Parochialem occupâsse, & Divina inibi abminiſtrasse, cum sibi adjunctis ejusdem Religionis Patribus, cum adjacenti immediatè domo seu in Vicinia existente, & Neo-Christianos ex Turcismo majori ex parte baptisâsse. --- Hoc addito & non prætermisso, actus Pr. Almæ Provinciæ SS. Salv. Act. Provincialis Andreas Palásti, sat longo tempore in Bloquada Agriensi, usque ad tempus recuperationis seu finèm Bloquadæ passus est. In cujus rei fidem propriâ manu usualique sigillô meô, hanc attestationem subscriptam, & munitam memorato A. R. P. Provinciali Andreæ Palâsti, pro sui suorúmque futura Cautela, extradandam, velut justa petenti, & concedendam esse duxi, Agriæ Die 26. Decembris 1693.

(L. S.) Jacobus Domonkos Majest. Sacratiſſ. Postarum Magister m. p.

Demonstratur nempe hoc Viri digni Testimoniô, tam tempus Reingressûs nostrorum Patrum post fatalia tempora, quàm illud, quod primùm Ecclesiam S. Michaëlis Parochialem occupâssent, cum domo vicina, antiquum videlicet Fratrum Minorum habitaculum, è quo tamen paulò post per Illustriſſ. ac Reverendiſſ. D. Episcopum supra memoratum, ad eum in quo defacto degimus locum translati sunt, ac per Suam Majestatem Cæsareô-Regiam confirmati. In quo, annô sequente pro Præsidente institutus fuit memoratus R. P. Andreas Palásti SS. Theol. Lect. cui adjuncti sunt: P. Bernardus Krus Conc. Act. Germ. P. Paulus Kolocsányi Proc. & Fr. Samuel Figulus Laic.

PP. nostri Agriam ingressi primô Ecclesiam S. Michaëlis occupant.

§. III.

De Conventûs promotione, ejúsque moderno Statu.

N. 201. HAbito mox dicto loco, constructa fuit in eo quædam humilis Residentia, ex mera Eleëmosyna à piis Benefactoribus oblata, in qua usque ad annum 1714. Fratres utcunque constricti manserunt, quo non obstante Residentia hæc Titulô Conventûs est decorata Annô 1713. electo in Proto Guardianum M. V. P Josepho Bede, qui de Provincia hac optimè meritus, utpote non modo aliis Officiis suo tempore cum omni commendatione, verùm Officio quoq; Ministri Provincialis bis cum laude maxima, & ad Fratrum omnium contentum perfunctus, actu etiam vivit, proximè, currente nempe adhuc annô mense Junio, si vita comes fuerit, Sacerdos quinquagenarius futurus. Hujus bene meriti Viri testimoniô habeo, dum annô 1709. Pestis hoc loco sævissimè grassaretur, expositos ad servitia Pestiferorum, in hac Residentia nostra hospitium habuisse. Porrò ad hujusmodi servitia deputati fuêre sequentes: Reverendiſſ. D. Joannes Demeter Loci Parochus. R. P. Josephus Nonne Ord. Min. Convent. Conc. Slav. P Josephus Fodor Præsid. P. Felix Näsll Conc. German. & mox relatus P. Josephus Bede, omnes tres de Ordine nostro. Horum latera ut Minister frequenter stipa-

Residentiæ extruunt.

Primus Guard. P. Josephus Bede.

Pestiferis servientes in nostra Residentia hospitantur.

bat Georgius Arvai tunc vix pubertatem ingressus, actu in Sac. Soc. JESU Vir optimè meritus.

Novus Cõventus ædificatur.

N. 202. Sed ad priora redeundo: Multiplicatâ hoc locô Religiosâ Familiâ, necesse fuit etiam ædificium ampliare, quare annô 1714. existente pro tunc Guardiano M. V. P. Joanne Kutassi inchoatum est à fundamentis ædificium Conventûs, & quidem primò Tractus Plateam Civitatis respiciens, à Turri jam an. 1706. ex parte erecta (in qua eodem anno Campana munificentia Principis Francisci Rakóczi fusa, & Cassoviâ huc allata collocata est, & actu manet) usque ad Guardianatum, qui tractus intra annos aliquot pariter Eleëmosynis diversorum Benefactorum, ita ad duas Contignationes assurrexit, ut tam supernè, quàm infernè comodè inhabitari posset.

Com. Gabr. Erdödi Ep. Agr. miro modo promovet ædificium.

N. 203. Secundus Tractus Aream Conventûs respiciens potiores nactus Patronos, leviori modo debitam accepit perfectionem. Dum enim Annô 1724. Excell. D. Com. Gabriel Antonius Erdödi dignissimus hujus loci Præsul, vice quadam ad hunc Conventum, Prandii sumendi gratiâ cum aliquot Magnatibus, Electis Episcopis, DD. Canonicis, nec non I. Comitatus Hevessiensis Officialibus se se humiliasset, ac demum indefessos Fratrum Minorum in Vinea Domini labores exaltâsset, & Ordinem S. Francisci nunquam fuisse otiosum, eâ quâ pollebat eloquentiâ deprædicâsset, in tantum movit Corda Hospitum, ut ne unus quidem eorum inventus fuerit, qui pro novo Conventûs Tractu opem ferre recusâsset. Igitur collectâ hac vice ultra 1000. florenorum summâ, subministratisque per Excell. D. Præsulem omnibus materialibus, quatuor item ad ea convehenda Bubalis, aptissimis ad opus simile animalibus, brevi tempore Tractus hic assurrexit, & Tecto donatus per omnia est perfectus. Qui notabiliorem præbuêre summam fuerunt Reverendiss. D. Kohányi, Illustr. & Reverendiss. D. Joannes Kiss Præpositus Major, & Reverendiss. D. pariter Joannes Kiss Ven. Cap. Lector.

Tertius Tractus ædificatur.

N. 204. Tertius Tractus Orientalem respiciens plagam, in quo defacto Refectorium est (cùm ex priori, Dispensa sit effecta) quô tempore ædificari cœptus, quósve specialiores habuerit Promotores, non constat, illud certum est, quòd Refectorium hoc novum speciali Munificentiâ Illustriss. & Reverendiss D. Joannis Kiss Præpositi Maj. purgatum, lapidibus sectis expositum, ac denique ex integro perfectum sit annô 1735. cui successivis temporibus superædificatæ sunt Cellæ aliquot, quæ annô 1744. sunt perfectæ. Denique Conventus hic, totalem sui tam ad intra, quam ad extra perfectionem accepit annô 1756. ex variis oblationibus, principaliter tamen auxiliô Illustriss. ac Reverendiss. D. Andreæ Püspöki Canonici Agr. & Electi Episcopi Vovadrensis.

Conventus ex integro perficitur.

Numerus Cellarum.

Nunc igitur in hoc Conventu pro Fratrum habitatione numerantur Cellæ 30. præter Officinas necessarias, & Sacræ Eleëmosynæ Conservatoria. Habet Hortum contiguum, tùm pro Religiosa Fratrum distractione, tum pro necessitatibus Culinæ satis comodum, uti & Aream satis amplam.

Hortus.

Studium hic habitum.

Quod Studium Litterarium concernit, Primum, hic fuit Philosophicum an. 1718. Lectore M. V. P Andrea Farkas, cui successit Sac. Theol. Moralis, Lectore M. V. P. Stephano Novák. Post iteratò Philosophia tradi cœpit eodem Lectore, continuatumque fuit Studium Philosophicum (si duo vel tres anni excipiantur) usque ad annum currentem.

§. IV.

De Ecclesia, & statu ejus.

Ob angustiam prioris Ecclesiæ novæ construendæ consilium.

N. 205. SCiendum venit quòd cùm Patres nostri post pulsos Agriâ Turcas, locum hunc obtinuissent, fanum turcicum vulgò *Moschæam* in eo reperunt, in quo, ad Ecclesiæ formam restaurato, annis ferè septem supra quinquaginta Divina persolvebant. Quia verò Ecclesia hæc parva admodum videbatur,

batur, in qua non plura quam tria Altaria collocari poterant, Chorum etiam ex latere nimiùm anguſtum, & tenebricoſum habebat, Patres, novæ Eccleſiæ funditùs extruendæ Conſilium inierunt.

N. 206. Igitur Annô Domini 1736. gubernante Provinciam, jam vice altera A. R. P. Joſepho Bede, ſub Guardianatu M. V. P. Sigiſmundi Palicſovics, poſitus eſt die 2. Auguſti, per Excellentiſſ. D Gabrielem Antonium è Comitibus Erdödi Epiſcopum Agrienſem Lapis primus, ſeu Angularis pro Sanctuario, quod annis ferè octo in tantum aſſurrexit, ut Annô 1744. deſtructô antiquæ Eccleſiæ Sanctuario, & hoc novô cum Corpore prioris Eccleſiæ, aliqua ex parte aſſeribus tantùm conjunctô, Officia Divina in eodem peragi cœperint, die eadem, quâ primum lapidem impoſitum fuiſſe diximus nempe 2da Aug. Præcipui Operis Patroni fuêre Excell. D. Epiſcopus, item Reverendiſſ. D. Franciſcus Aranyoſi, & Reverendiſſ. D. Andreas Püſpöki Canonici Agrienſes, qui poſtremus, priuſquam in eo Divina peragi cœpiſſent, ex commiſſione Excell. D. Epiſcopi illud de more benedixit, die 1. Auguſti, ac ſequenti primum Sacrum ſolemne decantavit.

Ponitur pro nova Eccleſia primus lapis.

Patroni ædificii.

N. 207. Quatuor ferè fluxêre anni, quibus Eccleſia in eodem permanſit ſtatu, nec ullus in ejus ſtructura factus progreſſus. Annò autem 1748. ſub iterato Guardianatu R. P. Sigiſmundi Palicſovics jacta ſunt fundamenta nova pro Corpore Eccleſiæ, continuatúmque eſt hoc ædificium ex variis piorum oblatis, at præcipuè Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Andreæ Püſpöki donec annô 1753. Tecto, annô verò 1754. Fornice donaretur, tandem annô 1755. ſectis lapidibus exponeretur, ſedibus provideretur, ac denique ex integro tam ad intra, quàm ad extra debitam perfectionem conſequeretur.

Corpus Eccleſiæ ædificatur.

N. 208. Reſtabant adhuc Altaria, & ſuggeſtus Concionatorius ſeu Cathedra, de omnibus (ſi Principalis excipiatur Ara) paulo poſt provisum eſt, nam ipſo Annô 1755. Erectum eſt Altare S. Annæ, ac ſimul neceſſariis picturis, & coloribus, adornatum, Patrono quodam Cive Artis Sartoriæ, vulgo *Váradi Szabó* vocato. Annô 1756. erecta ſunt tria nempe Seraphici P. N. S. Franciſci, S. Antonii Padv. & S. Joannis Nepom. illa ſicut erecta, ita & coloribus donata ſunt munificentiâ toties nominati Illuſtr. ac Reverendiſſ. D. Andreæ Püſpöki, tertium verò anno ſequente decoloratum Patrono P. D. Martino Szabó hujus Conventûs Syndico Apoſt.

Quô item annô jam quintum aſſurrexit Altare, nempe S. Crucis, Patronô eodem, quô S. Francisci & S. Antonii ſunt erecta. Additum eſt his proximè nempe anno currente 1759. Sextum B. V. Mariæ Doloroſæ, patrocinantibus præfati Illuſtr. ac Reverendiſſ. Domini Sororibus, & Laurentio Lenner Conventûs Confratre. Adeoque in Corpore hujus Eccleſiæ ſex defacto extant Altaria recenter erecta in loco ſeptimi, quod Principale futurum, illud uſque ad hoc tempus perdurat, quod ex antiquo Sanctuario huc translatum fuerat.

Hoc ipsô Annô erectus è etiam ſuggeſtus Concionatorius, procurante expenſas in Caſtris M. V. P. Ambroſio Tuczentaller, Capellanô I. Legionis Moroczianæ, quod tamen ut Coloribus ornetur aliô egebit Patronô.

Crypta in hac Eccleſia habetur tantum unica in qua pauci è Fratribus noſtris, paulo plures è Sæcularibus Sexûs utriuſque tumulati requieſcunt.

SUPERIORES HUJUS CONVENTUS.

Annô.
1688. P Andreas Paláſti Præſid.
1689. P. Joannes Nagy.
1690. P. Georgius Sera.
1691. P. Gerardus Kecskeméti Prov. Pater.
1693. P. Raphaël Feiſtenberger.
1694. P. Nicolaus Andráſi.
1695. P. Remigius Nyájas.
1696. P. Andreas Paláſti Prov. Pr.
1697. P. Franciſcus Sürtei.
1700. P. Chriſoſtomus Szalkai.
1701. P. Joannes Nagy.
1702 P. Andreas Paláſti Prov. Pr.
1703. P. Placidus Komlós.
1705. P Joſephus Fodor,
1710. P. Fortunatus Foczén.
1711. P. Nicolaus Nagy.
1712. P. Alexius Borics.
1713. P. Joſephus Bede Proto-Guard.
1714. P Joannes Kutaſſi.
1715. P. Felix Näsl.
1717. P. Gabriel Borics.
1718. P. Michaël Mora.
1719. P. Dionyſius Paláſti.

Annô.
1720. P. Joannes Kutaſſi.
1721. P. Petrus Roll Prov. Pr.
1722. P. Jacobus Hartll.
1724. P. Michael Mora,
1725. P. Daniel Hárai
1728. P. Sigiſmundus Palicſovics.
1729. P. Michaël Ferenczffi.
1731. P. Franciſcus Wrancſics,
1732. P. Michaël Spanyi.
1734. P. Sigiſmundus Palicſovics,
1737. P. Daniel Hárai.
1739. P. Bernardinus Mocsári,
1741 P. Antonius Farkas.
1742. P. Daniel Hárai.
1743. P. Urbanus Nedeczki.
1744. P. Antonius Utaſſi.
1745. P. Sigiſmundus Palicſovics.
1748. P. Antonius Utaſſi.
1751. P. Stephanus Fiſſer.
1753. P. Gervaſius Csáki.
1754. P. Emericus Ban.
1757. P. Nicolaus Mandli.
1758. P. Emericus Ban.

XVIII. CONVENTUS OKOLICSNENSIS AD S. PETRUM DE ALCANTARA.

§. I.

Brevis Notitia I. Comitatûs Liptovienſis & Conventûs in eo olim fundati.

N. 209. COmitatus hic, ut vult Bonfin. cognominationem ſuam accepit à Liptovia Civitate, quæ nunc Lipcſe, aut cum addito Theuto-Lipcſe vocatur. A Septemtrione modica cuſpide Poloniam attingit, reliqua parte Comitatum Arvenſem, ab Ortu Scepuſienſem, à Meridie Gömörienſem, & Zolienſem, ab Occaſu denique Turoczienſem reſpicit. Rex Mathias è Gente Corvina, Comitatum hunc Titulô Ducatûs inſignivit, eúmque Joanni Corvino Filio ſuo naturali donavit, unde is quoad vixit, Titulô Ducis Liptoviæ utebatur. Situs Comitatûs Liptovienſis.

Loca celebriora in eo ſunt Roſemberga à roſarum feraciſſimo Colle ſic dicta, Theuto-Lipcſe, S. Joannes, S. Nicolaus oppidum à foro, & nundinis nominatum, item Bobrotz, Botza, Hybe &c. Arces item Lykava, Lipto-Uj, & O-Varinum, Thermas quoque Salubres habet, alteras quidem in vico S. Joannis, in Pago Lucska alteras. Frequens in eo Nobilitas, multæque Nobilium Familiæ, quæ ſtemmatis antiquitate gloriantur. Carpathici Montes hic maximè aſſurgunt, è quorum cacumine nix ferè nunquam etiam maximè calente æſtate decedit. Abundat mirè Avibus, Feris, & Piſcibus præcipuè Saxatilibus. Loca celebriora. Nobilitatis frequentia.

Solum habet ſatis ferax, atque adeo minùs fertile, habet tamen & aurifodinas in Oppido Botza dicto, è quibus puriſſimum, & probatiſſimum eruitur Aurum. In eodem denique è radice Montium Carpathicorum oritur fluvius, navibus etiam ſupportandis idoneus *Vagus* dictus, qui totum Comitatum decurrit, magno incolarum commodo, cujus beneficio res ſuas venales in alios devehunt Comitatus. Fluvius Vagus.

N. 210. In hocce Comitatu, Okolicſnæ gentilitio cognominis Familiæ Pago, jam antiquis temporibus habuit Provincia hæc Conventum, at per quem erectum nulla ſuper hoc extant Documenta. Habetur quidem ad calcem Synodi Pazmanianæ Anno 1629. Tyrnaviæ celebratæ, Append. 2. Conventum hunc S. Nicolai, fundatum fuiſſe à Comite Danch, tempore Caroli I Regis Hung. qui regnavit ab Anno 1310. uſque ad annum 1342. Interim quia Provincia hæc, poſteriùs in Hungaria florere cœpit, ut ex P. priori patet, vel id omnino verum non eſt, vel Conventum pro aliis Religioſis fundatum fuiſſe, ac tandem curſu temporum Provinciæ huic obtigiſſe, dicere eſt neceſſe. Antiquitas Conventûs.

Cæterùm Sæculô decimô Sextô jam PP. Noſtros Conventum hunc incoluiſſe patet ex antiquis Provinciæ Tabulis, legitur enim anno 1531. Guard. de Liptovia P. Mathias de Varna. 1533. P. Petrus de Trubint. 1561. die 19. Junii, in eodem celebratum fuit Capitulum Provinciale, in quo Miniſter Provincialis factus R. P. Emericus de Tövis. Guardianus verò P. Fr. Damianus de Alman-Falva. Imò duravit Officium Guardianatûs uſque ad annum 1570. quo tamen tempore non à loco, Okolicſnenſis, ſed à Comitatu Liptovienſis nominabatur, ſub Titulo S. Nicolai Ep. ſpectabátque priùs ad Patakinenſem, demum ad Szécsényienſem Cuſtodiam.

N. 211. Dum verò Regnum hoc Marianum turpiſſima depravâſſet Hæreſis, etiam Domini Poſſeſſores Okolicſnenſes, eadem infecti, Fratribus hujus Conventûs injurioſi eſſe cœperunt, iisdem omnia aliàs elargiri, & concedi ſolita abſtrahentes, ac pro ſua libidine occupantes; quare Fratres noſtri mediis vi- Hæretici mediis vivendi Fratres privant.

Ob quod illi Conventum deseruntur. vendi omnibus destituti Annô 1571. derelictis, tam Monasteriô, quàm Ecclesiâ cum exigua, quam habebant supellectili, aliorsum se recipere sunt coacti, quibus discedentibus, Conventus sive bellorum injuriâ, sive quavis aliâ causâ in rudera fuit redactus, ita ut actu ne vestigia quidem ejusdem appareant. Ecclesia verò (de cujus statu inferius plura adferam) in possessionem turpissimæ Hæresis Lutheranæ incidit, quæ illam exercitio, & ritu suo Hæretico profanavit, Altaria deturpavit, Sanctorum effigies exoculavit, statuas mutilavit, & more Iconoclastarum diverso injuriarum genere affecit, retinendo Ecclesiam usque ad annum 1686.

Conventus ruinatur, Ecclesia ab hæreticis occupatur.

Ecclesia restituitur Fratribus Minoribus. N. 212. Postquàm verò Anno 1672. ac subsequentibus, sub piissimo, ac Invictissimo Imperatore, & Rege Hung. Leopoldo I. Ecclesiæ ab Hæreticis jure vindicari, & Catholicis tanquam veris earum Dominis, & Fundatoribus restitui, & tradi cœpissent, eô quoque tempore, ad interpositionem Spect. Dom. Joannis Okolicsányi unici pii, & Zelosi ex tota Familia Catholici, collata est præmentionata Ecclesia Patribus Nostris simul cum Canonica Investitura Vicariali ad Parochiam S. Nicolai, quam etiam priùs Okolicsna, ut Matrem recognoscebat, & venerabatur. Quia verò penes Ecclesiam Okolicsnensem,, nullus pro Fratrum habitatione reperiebatur locus, introducti sunt per A. R. D. Vice-Archi-Diaconum Joannem Martinovski ad S. Nicolaum, hoc fine, ut extructô aliquô habitaculô Okolicsnæ, eo se transferre, ac inibi stabilire possint, hæc autem introductio Patris videlicet Timothei Girzicsek. & Patris Cœlestini Drapkoczi ad S. Nicolaum incidit in annum 1688. gubernante Provinciam, ut Ministro Provinciali A. R. P. Gerardo Kecskemeti.

Fratr. Min. ad S. Nicolaum introducuntur.

§. II.

De Moderni Conventûs Erectione, ejúsque Statu.

Excell. D. Ladisl. Matyasovszki offert pro ædificio 6000. fl. R. N. 213. PLuribus annis hospitiô fovit Patres nostros Oppidum cui à S. Nicolao est nomen, semi-horæ circiter itinere ab Okolicsna distans. Postquam verò concitâsset Deus spiritum Excell. ac Reverendiss. D. Ladislai Matyasovszki Episcopi Nitrienses, & Regni Hung. Cancellarii, ut ad promovendum Conventûs ædificium sex millia florenorum Rh. liberaliter conferret, atque ex hac summa una pars Conventûs cum aliquot cellulis assurgeret, ita ut Fratres jam in loco Okolicsnensi commodam habitationem habere possent, factum est, ut resignatâ Parochiâ S. Nicolai, Annô 1703. Die 28. Aprilis Translationi S. Petri de Alcantara Sacra, ipsi quoque se se Okolicsnam transtulerint, inibique gratum Deo famulatum præstare cœperint, sub Præsidentatu M. V. P. Matthæi Vankovics, Provincialatu verò A. R. P. Sigismundi Wiebëra.

Fratres resignatâ Parochiâ S. Nicolai transferunt se Okolicsnam.

Ædificium Conventûs per varios Benefactores promovetur. N. 214. Cùm verò summa à memorato Excellentissimo, & Reverendiss. D. Præsule Nitrienses oblata ad continuandam Conventûs structuram haudquaquam sufficeret, succurrerunt plurimi devoti Patroni, Adm. RR. DD. Parochi, & zelosi Nobiles, Cultûs Deo debiti Promotores, tam Liptovienses, quàm Arvenses, alii quidem in ære, alii verò in materialibus administrandis, inter quos meritò principem obtinet locum Reverendiss. D. Georgius Doctorovics Præpositus B. V. MARIÆ de Lypto, & Canonicus Scepusiensis, summam 4. millium flor Hung. legando, quibus sublevati Fratres haud modicum in ædificio fecêre progressum, & si ad justam ejus perfectionem non pauca adhuc desiderarentur.

In Regno fit tumultus. N. 215. Dum hæc circa structuram Conventûs aguntur, & Fratres omnem impendunt operam, ut tandem ad justam eum deducere possint perfectionem, ecce novus in Regno exoritur tumultus, Franciscus námque Rákóczi è custodia Neostadiensi in Poloniam elapsus, & annô 1703. in Regnum reversus, Ducibus Bercsénio, & Ocskaio, non paucis animos addunt ad audendum, quod fera dictabat libido, ita ut Okolicsnenses quoque Fratres nostri non levem pati coacti

sint

sint ab eisdem tribulationem. Die námque 25. Septembris Anni mox prædicti, dum media nocte altum omnia tenerent silentium, perversi hi Regni depilatores, furibundi domum hanc Religiosam invadentes, licet ab incendio se temperaverint, eam tamen omni ferè supellectili perfractis ubique repagulis spoliârunt, P. Præsidente Matthæô Vankovics etiam fustibus egregiè mulctatô. Conventus per rebelles spoliatur.

Verùm post hæc quoque sæpiùs per descendentem impiam militiam summæ incomoditates, & perturbationes fuerunt causatæ. Noviſſimè autem per Nobiles Okolicsnenses hæresi utique infectos, persecutiones Fratrum fuêre aggravatæ, ipsi enim omnem movebant lapidem, ut Ecclesiam sui juris faciant, & Viros Religiosos loco exturbent, & ferè effeciſſent quod animo conceperant, nî supramemoratus Spect. D. Joannes Okolicsányi, zelo & fervore Catholicæ Religionis æstuans, se viriliter oppositsset, & Fratres in necessitatibus pro posse sublevâsset, quapropter tumultu hoc durante, nullum Fratres in ædificio progressum habere potuerunt. Hæretici conantur nobis Ecclesiam adimere.

N. 216. Tandem fracta rebellium potentiâ, & pace An. 1711. composita, Patres quoque Okolicsnenses sedulam ad perficiendum Conventûs ædificium curam adhibentes, ultimam operi admovêre manum, illúdque ad debitam perduxêre perfectionem, quô quidem annô, non constat, illud certum, quòd Residentia numero Conventuum aggregata sit An. 1714. gubernante hanc SS. Salvatoris Provinciam A. R. P. Ambrosio Gastell, Primúsque huic Conventui datus est Guardianus M. V. P. Augustinus Hamernik. Cessante tumultu ædificium Conventûs promovetur.

Nunc igitur stat Conventus in quadro positus, & perfectus, habens Cellas pro Fratrum mansione quinque supra viginti, necessarias etiam pro conservatione Sacræ Eleemosynæ Officinas tres. Annua Fratrum sustentatio præcipuè quoad panem, habetur ut plurimùm ex liberalitate Benefactorum, præsertim vicinorum A. R. Dominorum Parochorum I. Comitatus Liptovienſis. Item I. Comitatûs Arvensis, tam A R. Dom. Parochi, quàm Nobiles, & reliqui Incolæ Catholici, quemadmodum Benefactores sunt, ita & Conservatores Conventûs. Sustentatio Fratrum.

N. 217. Num in primævo hujus loci Monasterio aliquod studium ad juventutem Religiosam erudiendam in materiis Philosophicis, aut Theologicis viguerit? nîl certi referri potest, in moderno autem Conventu incepit Studium Sacræ Moralis Theologiæ annô 1742 Lectore P. Casimiro Langrueber, & duravit (uno vel altero exceptô) usque ad annum 1732. quô inchoatum est studium Philosophicum, quod usque ad annum 1741. inclusivè continuabatur, post hæc mansit Conventus absque Clericis. Recentiſſimè annô 1758. in Congregatione Galgoczii celebrata Conventus hic ordinatus est pro Patrum recollectione móxque ordinati tres videlicet M. V. P. Gaudentius Jablonszki SS. Th. Lect. Director aliorum. M. V. P. Paulus Hojnatius, & V. P. Sigibertus Krimer, quibus additus est quartus Fr. Mauritius Prukner Laic. Studia in hoc Conventu habita. Domus Recollectionis.

§. III.

De Ecclesia, eámque concernentibus.

N. 218. Sicut Conventus ille prior, ita Ecclesia ipsi contigua (quæ parva admodum fuisse memoratur) in ruinas abiit, post Fratrum nostrorum circa annum supra insinuatum videlicet 1571. abinde discessum. Extat nunc altera, ipsi neo-erecto Conventui contigua, tam amplitudine, quàm antiquitate paucis secunda, unum dolet, quod hæreticos inter concluſa, ferè semper manet vacua, cùm non sint qui veniant ad Solemnitatem.

Initia sua refert ad tempora Mathiæ Corvini Regis Hung. & quidem an. 1489. ut demonstrat duplex Insigne Corvinianum, unum quidem in Columna Ecclesiæ ad extra sculptum, alterum ad intra sub fornice coloribus expressum. Ex quo Opus hoc Corvinianum esse palam habetur, verùm an ab ipso Rege Mathia, vel Ecclesiæ initium, & Fundator.

Filio ejus Joanne Duce Liptovienſi ſit poſitum, dubitatur. Illud mirandum, quòd Opus tam vaſtum, & majeſtuoſum, exiguis, ut dicitur nixum fundamentis, absque omni ſtet fiſſura, aut labefactatione annis jam propè trecentis, quod forſan Columnis ſex quibus ab intra fornix ſuſtentatur attribuendum erit.

Eſt Conſecrata. N. 219. Conſecratam eſſe hanc Eccleſiam ex Signis apparet, per quem autem Epiſcopum, minimè conſtat, ſola Dies Anniverſaria Dedicationis ſcitur, nempe Dominica, feſtivitatem S. Michaëlis Archangeli antecedens.

Altaria Primum. N. 220. Altaria in ea habentur ſex: Majus affabrè elaboratum cum Statua decora S. Petri de Alcantara (quem ut Patronum, tam Eccleſia, quàm Conventus ab Anno 1701. veneratur) fieri curavit Spect. D. Ladislaus Okolicsányi, Joannis Filius, & quondam Regiæ Majeſt. Conſiliarius. Erectum dicitur Annô 1749. coloribus verò, & aurô donatum An. 1754.

Secundum. *Secundum* ex parte dextra intrantium eſt, S. Joannis Nepom. quod Conventus, An. 1750. Eleëmoſynis à diverſis Benefactoribus oblatis erexit, Coloribus verò ornavit An. 1756. Spect. D. Joannes Okolicsányi, I. Legionis Splényianæ Capitaneus Emeritus.

Tertium. *Tertium* ex parte eadem paulò inferiùs eſt, S. Andreæ Apoſt. adhuc An. 1710. impenſis D. Andreæ Szleczei erectum, ſtabat priùs in loco, ubi nunc eſt Ara S. Joan. Nepom. hac verò erectâ, ad eum, in quo nunc viſitur locum eſt translata.

Quartum. *Quartum* ex parte altera Eccleſiæ eſt, S. Antonii Pad. poſitum An. 1749. quod dein colorari fecit Spect. D. Joſephus Okolicsányi, Comitatûs Arvenſis Ord. V. Comes An. 1752.

Quintum. *Quintum* in Capella Septentrionem reſpiciente, & imbricibus tecta conſiſtit, Statuâ Doloroſæ Matris Filium exanimem ſinu excipientis poſt vitrum locatâ, decoratum. Erexit illud olim D. Nicolaus Okolicsányi, An. verò 1756. Patronus quidam Anonymus coloribus veſtivit.

Sextum. *Sextum* denique habetur pariter in eadem Capella, S. P. N. Franciſci Annô 1755. erectum quod arte pictoriâ illuſtrari fecit A. R. D. Joannes Baros zeloſus Hibenſium Parochus.

Cryptæ. N. 221. Repoſitoria pro defunctorum Corporibus, vulgò *Cryptas*, Eccleſia hæc habet duas, unam in Capella B. V. MARIÆ Doloroſæ, alteram verò in Sanctuario ante Majus Altare ſituatam. In priore ſequentes tumulati deprehenduntur:

Sepulti in eisdem. Spect. ac Perill. D. Joannes Okolicsányi condam eximius Conventûs, & Eccleſiæ Benefactor cum ſua D. Conſorte Sophia Turanſzki.

Spect. ac Perill. D. Ladislaus Okolicsányi prioris Filius, olim Conſiliarius Suæ Reg. Majeſtatis.

Spect. ac Perill. D. Joſephus Okolicsányi pariter Joannis Filius Comitatûs Arvenſis Vice-Comes, cum ſua prima Conſorte è Familia Révaiana.

Perill. D. Emericus Okolicsányi, ac denique A. R. P. Alexius Okolicsányi è Soc. JEſu, in S. Nicolao, ut Superior defunctus, & huic tumulo illatus An. 1757. Sed etiam è noſtris duo huc tumulati ſunt, nempe P. Bernardus Najman hujus Conventus Act. Guard. & P. Caſimirus Langrueber Lect. Sac. Theologiæ Moralis.

In poſteriore Crypta præter Patres, & Fratres noſtros ſepulti ſunt: Perill. D. Michaël Dvornikovics hujus Conventûs Syndicus Apoſt. & Perill. Domina Anna Rady condam D. Balthaſaris Pallugyai Conſors.

Confraternitas in hac Eccleſia hactenus nulla extat ob defectum populi Catholici. Nec Via Crucis exercitium habet publicum, præterquam quod Communitas Fratrum, ſingulo Menſe, juxta Superiorum Ordinationem, tempore opportuno peragere ſolet.

SUPE-

SUPERIORES HUJUS CONVENTUS.

Annô
1531. P. Mathias de Varna Guard.
1533. P. Petrus de Trubinth.
P. Damianus de Alman-falva.
Ignoratur tamen quô annô.
1544. P. Martinus de Liptovia.
1546. P. Damianus de Alman-falva.
1548. P. Georgius de Vancſa.
1550. P. Damjanus de Alman-falva.
1554. P. Franciſcus de Hartyány.
1558. P. Mathias de Ebréſz *ſimul Cuſtos.*
1561. P. Damianus de Alman-falva.
1570. P. Ladislaus de Egeres.
Sub hoc derelictus eſt Conventus & ex integro ruinatus ut ſup. dictum eſt.
1688. P. Timotheus Girzicſek Super.
1688. P. Clarus Landſperg.
1691. P. Timotheus Girzicſek.
1693. P. Leonardus Ondrejkovics.
1695. P. Henricus Koll.
1696. P. Martinus Ziveczki.
1699. P. Antonius Kulics.
1701. Idem ùt Præſidens.
1702. P. Matthæus Vankovics.
1708. P. Auguſtinus Hamernik.
1711. P. Joſephus Skulteti.
1712. P. Bartholomæus Valovics.
1713. P. Emericus Ragyóczi.
1714. P. Auguſtinus Hamerik Guard.

Annô
1715. P. Matthæus Vankovics.
1718. P. Berardus Najman.
1721. P. Benignus Piskovſzki.
1723. P. Berardus Najman.
1724. P. Matthæus Vankovics.
1726. P. Venceslaus Koricſanſzki.
1728. P. Joannes Granyi.
1729. P. Gabriel Bojan.
1732. P. Caſparus Teberi.
1733. P. Bernardinus Polakovics.
1734. P. Liborius Dolezal.
1735. P. Gabriel Bojan.
1736. P. Gregorius Zazel.
1737. P. Placidus Halda.
1738. P. Philippus Prochaska.
1741. P. Hieronymus Huliman.
1742. P. Gabriel Bojan.
1743. P. Nicolaus Auguſtini.
1744. P. Vitalis Zieman.
1745. P. Romualdus Matkovics.
1746. P. Emericus Sveſztka.
1747. P. Vitalis Zeiman.
1750. P. Gaudentius Jablonski.
1752. P. Ægidius Szvatko.
1755. P. Gaudentius Jablonſzki.
1757. P. Columbanus Tiger.
1758. P. Juſtus Fridrikovſzki.



XIX. CONVENTUS KAPLYONIENSIS D. N. J. CHRISTI NATIVITATI DICATUS.

§. I.

Brevis descriptio Loci Kaplyon.

Situs Loci Kaplyon.

N. 222. LOcus KAPLYON in Comitatu Szathmarienſi, Diœceſi verò Agrienſi, à Regia Civitate Szathmár (à qua Comitatui denominatio) tribus ſolidis milliaribus, à Karolyino verò Nobili hujus Nominis Familiæ ſede, horæ circiter itinere diſtans, nunc quidem in ſe ſtat humilis eſt, utpote tantummodò Pagus, olim tamen ampliùs aliquid eum valuiſſe, dum nempe Nobili Caſtro Familiæ Kaplyon, è qua Károlyiana ſuam ducit Originem, ornabatur, cujus actu ne rudera quidem apparent, valde eſt credibile.

Habet ſolũ fertile.

Situatus eſt in planitie, ſed parte, quâ Septentrionem reſpicit, lacunis, & aquis ſtagnantibus, è fluvio Kraſzna ſe ſe protrudentibus permixta, ſolùm habet admodùm fertile, ob glebam pinguem, adeoque procreandis frugibus perquàm commodam. Incolæ ejus triplicis ſunt Nationis, parte ex potiori Suevicæ, qui Orthodoxam retinent Fidem; Valachicæ, qui Ritum Græcum, & Hungaricæ, qui paucis Nobilibus exceptis Calvinum ſequuntur. Duplicî quoque gaudet Eccleſiâ, unâ Fratrum Minorum Strict. Obſerv. quî ſicùt in loco, ita in vicinis pluribus Pagis functiones Parochiales exercent. Alterâ Græci Ritûs Unitorum, cui etiam proprius præeſt Parochus. Heterodoxis Ludi-Rector in Caſa privata, conſueta præſtat ſervitia.

Incolas triplicis Nationis.

Eccleſias duas.

§. II.

De Receptione Loci in Kaplyon, Conventûs Erectione, ejúsque moderno Statu.

C. Alex. Károlyi de Religiõne Cathol. reducenda cogitat.

N. 223. POſtquàm ſedatis in Regno tumultibus, Annô, ùt ſæpè memoratum eſt hujus Sæculi 11mô, pax tandem operâ, ùt plurimùm Excellentiſſimi D. Com. Alexandri Károlyi, Viri de utraque Republica optimè meriti, ſtabilita fuiſſet, cernens præclarus hic Fidei Orthodoxæ Zelator, plagam Transtybiſcanam ferè integram, Hæreſi Calviniana infectam, dies, noctesque cogitabundus inſumebat, quî, veram in fines ſibi ſubditos reduceret Religionem.

Plures Pagos Suevis Catholicis replet.

Hac de cauſa non ſolùm Pagos ſuæ Poſſeſſionis quamplurimos, ùt Cſanálos, Majtény, Biltek, Mezö-Petri, Erdöd (quibus Káplyonium quoque qua parte ſibi ſubditum erat, addi poteſt) Heterodoxis abire juſſis, cùm Hungaris Catholicis careret, Suevis Religione avita imbutis replevit, ſed de duplici quoque Religioſorum Cætu, Karolyinum quidem Piarum Scholarum, Kaplyonium verò, Fratrum Minorum Strict. Obſerv. inducendo, operam omnem impendit.

Duplices Religioſos fundato decernit.

Ad vetuſtã Kaplyonii Eccleſiam Fratr. Min. inducere intendit.

N. 224. Erat in loco Kaplyonienſi Eccleſia vetuſtiſſima, ùt infra magis patebit, ſed ſuo nitore omni deſtituta, cui Monaſterium quoque (ſed quorum Religioſorum ignoratur) olim adjunctum fuiſſe, rudera quædam demonſtrabant. Ut igitur in hac Eccleſia, priſtina renovetur Devotio, Cultúsque vigeat DEO debitus, eam reſtaurandam, & penes Conventum pro Fratribus Minoribus è fundamentis erigendum, jam Annô 1711. requiſitis etiam Patribus noſtris determinavit, verùm intervenientibus quibusdam impedimentis negotium inductionis Fratrum Minorum ad annos plures differre neceſſitabatur.

N. 225.

N. 225. Tandem impetrato priùs Diœcesani pro tunc Illustrissimi D. Stephani Telekessi necessario assensu (cujus Originale in pargamena sub dato Anni 1713. 29. Mensis Julii Archivum Provinciæ etiam actu conservat) & restauratâ Ecclesiâ, Conventu quoque jam è fundamentis elevato, rursùs Annô 1719. pro submittendis sibi aliquot Viris Religiosis de Provincia nostra V. Diffinitorium requisivit sequenti tenore:

Venerabile Diffinitorium &c.

REcenti inesse nullus dubito memoriæ Venerabili Diffinitorio, qualiter retroactis temporibus, Annô nimirum 1711. Provincia Sacri Ordinis requisitioni meæ, ad secundandam intentionem meam, assensum suum resolvere non fuerit dedignata, cui & ego insistens, amore, & Zelo in Sacrum Ordinem singulari motus, conditionibúsque mihi appositis satisfacturus, tametsi ob vicissitudines temporum, novercantémque Patriæ statum, intentionata erectio Conventûs Kaplyoniensis diuturniùs extensa fuisset, nihilominùs tamen quiete, & tranquillitate jam restituta, omnem pono operam, ut perfectio ejusdem quantocyùs terminari possit, spe fretus decursu hujus anni me id effecturum, cum & ex toto jam pœnè erectum sit ædificium: adeoque ut propagationi Nominis Divini, incrementóque S. M. Ecclésiæ quantocyus adlaborari possit, & S. Ordo pro more securus de subsistentia collocandorum inibi Fratrum suorum reddi possit, quales meo, & Conthoralis meæ nomine in successores etiam nostros derivatas, & redundantes Assecuratorias emanari cupiverimus, præsentibus acclusè communicandas non intermitto, ut taliter visis iisdem, accedentéque ultroneo consensu iteratam, firmiorémque superinde resolutionem S. Ordinis obtinere possim, simúlque pariformes in omnibus punctis, & clausulis pro cautione nostri, & præscriptorum Successorum Nostrorum à Venerabili Diffinitorio, modò celebrando vice versa obtinere valeam. Tum etiam occasione ejusdem tota dispositio fiat, quatenùs pro statu ejusdem Neo-erigendi Conventus, usque ad affutura Festa Nativitatis Domini, Chorus, Ritusquè Devotionum peragendarum institui minùs differatur. Igitur præstolabor super præmissarum singulis genuinam Resolutionem, & affectum, ego pariter obligatus effectuationi eorum, quæque Filialis devotio mea exegerit, manebo:

Litteræ Comitis Károlyi ad Diffinitorium exaratæ.

Venerabilis Diffinitorii

Datum N. Károly 28. Maji 1719.

Ad exequenda munia obsequiosissimus
ALEXANDER C. KÁROLYI.

N. 226. Capitulum Provinciale in Conventu Gyöngyössiensi, die 11. Mensis Junii, eo tempore celebrabant Patres nostri, quò mox relata Excell. D. Generalis Epistola ad Superiores Provinciæ devenit, ad quam sicut debitas pro tam magno erga Provinciam favore referre grates, ita petitos quoque ad Locum Kaplyon disponere non intermiserunt Patres. Súntque pro hac vice dispositi sequentes: Proto-Præsidens R. P. Blasius Móra, SS. Theol. Lect. Dif. Hab. M. V. P. Ladislaus Tarnóczi Conc. Act. M. V. P. Michaël Spányi Lect. Conc. & Capellanus Excell. D. Fundatoris. V. P. Matthæus Szurovics Proc. F. Nicolaus Horváth Lajc. & F Josephus Herber Lajc. Arcularius.

Diffinitorium gratias Comiti refert., & Patres quosdã Kaplyoniũ ordinat.

N. 227. Advenientes hi Kaplyonium in vicina Domo, quam actu D. Martinus Bagosi, ùt Hæreditarius, tunc verò D. Catharina Boros, Spect. quondam D Ladislai Vay Conthoralis possidebat, de hujus ad requisitionem Excell. D. Fundatoris dato consensu, consederunt, fors ea de causa, quòd cubicula pro Fratribus nondum debitè fuerint adaptata. Ibi aliquo tempore (quantô, ignoratur) commorati, tandem Residentiam sibi præparatam sunt ingressi, sollicitè adlaborantes, ut quantocyùs ædificium Conventûs (quod sumptibus prælaudati Excell. D. Fundatoris erigebatur) ad debitam perveniat perfectionem. Uti paulò post etiam perve-

Advenientes Kaplyonium Patres priùs in domo Vajiana resident, & tandem se ad Residentiam tiã conferunt.

pervenit, & Annô 1722. in Capitulo Galgoczii die 10. Menſis Maji celebrato, Reſidentia pro formali Conventu declarata eſt, primúsque inibi conſtitutus Guardianus M. V. P. Gabriel Borics Conc.

Cellæ pro Fratribus 18.

228. Eſt autem Conventus hic poſitus in quadro, in parte quidem inferiori debitè fornitus, at ſuperiùs ſolô tabulatô aſſericiô munitus. Cellas pro Fratrum inhabitatione, præter arculariam, continet 18. unum item Sacræ Eleëmoſynæ Conſervatorium.

Area Hortus.

Aream habet ſatis amplam, uti & hortum præſertim ad ſubveniendum Culinæ perquàm utilem.

Studia.

Annis aliquot Studia quoque literaria hic tradebantur, & quidem, primum Philoſophiæ Annô 1724. Lectore P. Michaële Spányi; poſt quod ſucceſſit iterum æquè Philoſophicum, Lectore P. Laurentio Papp. Demum tres, vel quatuor curſus Theologiæ Moralis abſoluti. De cætero manſit Conventus omni ſtudio orbatus.

§. III.

De Fundatione, pro Fratrum ſuſtentatione conſtituta.

Fundatio pro ſuſtentatione Fratrum.

N. 229. NOn ſe continuit liberalitas Károlyiana in ſola Conventûs è fundamentis erectione, & ſupellectilis neceſſariæ proviſione, verùm & Religioſæ Fratrum ſuſtentationi, quam in partibus his Hæreſi repletis nimis arduam fore rebatur, providere volens, ſequentem cum ſua Illuſtriſſ. D. Comitiſſa Chriſtina, è Comitibus Barkóczi conſtituit Fundationem, quam hic de verbo ad verbum ſtylo, quo concepta eſt, apponere libuit. Eſt ergo tenoris ſequentis:

Litteræ Fundationales.

EN Nagy Károlyi Gróff Károlyi Sándor, Felséges Romai Császár, 's-Koronás Király Kegyelmes Urunk ô Felsége Conſiliariuſſa, Generál Feldt Marſchal Lájdinontya, 's-Nemes Szathmár Vármegyének Fô Iſpánnya: Adom tudtára mindeneknek az kiknek illik, ez Levelemnek rendiben: Hogy meg-emlékezvén az én holdogúl kimult Edes Eleimnek, az Nébai Kaplyoni Nemzetségbûl-való eredetérûl, és Származásáról, már alkalmas Eſztendôkkel ez elôt el végeſztem vala magamban, Nemes Szathmár Vármegyében Kaplyon névû Faluban lévô meg romladozott, és el puſztúlt Szentegyháznak meg ujittását, és hajdani Monaſteriumnak fel éppittetését; de mivel az idônek moſtohasága mind eddig abban akadályt vetett, moſtan már Iſten ô Szentfelsége, kôzôlyebb folyt, háborukot le cſendesétvén, és egéſz hazánknak kevés pihenéſt engedvén, tovább ſemmi képpen nem ſzenvedhetem, hanem hogy ne cſak romlásábúl épitteſsék-fel, de Iſtennek nagyobb dicsôſségére, 's-az Hivek Lelkeinekis kôvetkezendô épületire, ugy az Kereſztény Hitnek ezen az földôn nagyob terjedſere, és gyarapodására lebeſſen az Monaſteriumis reſtabiliáltaſsék, mely ámbár bizonyoſon ne tudaſsékis micſoda Szerzet-bélieké lôtt légyen bajdon, mind azon által mind magam, 's-mind Feleségem Tekéntetes, és Nagyságos Szalay Barkóczi Kriſtina, az nevezett Szentegyház mellé, az Salvator Provincia-béli Seraphicus Sz. Ferencz Szerzetin lévô Pater Franciſcanuſokhoz viſeltetett ſzeretetünkbôl, ô kegyelmek Számára egéſz Klaſtromnak-is fel-állitását reſolváltuk, és el-végeſztük, ugy hogy, azon Klaſtromra (mely már Iſten Kegyelméból nagy réſzint felis álléttatott) mind magunk, mind Iſten Kegyelméból fen-maradando maradékink, és ſucceſſorink moſtani tôtt Fundatiónk ſzerént Eſztendônként Ezer Rhenes Forintokat, kéſz Pénzbûl, vagy Naturalékbûl folyó áron tartozni fogunk, és Maradékunk, ugy Succeſſorinkis fognak tartozni exolválni ki vévén véletlen háborúknak, 's-történhetô Ellenségnek ideit; kit ha elmulatnánk, vagy Præſcriptuſink el mulatnának, præſentibus adatik facultas, és Plenipotentia nevezett Klaſtrom-béli akkori Syndicus Confraterinek deſumptiojára, hogy vigore harum léendô diſpoſitioink ſzerint az denotált Fundationalis ſummát, ugy mint Ezer Rhenes Forintokat, az Erdôdi Dominiumnak proventuſsábúl deſumálhaſſa, és az Klaſtrom ſzükségére forditbaſſa.

Ezen felyûl noha tartozás képpen ſem magunk, ſem Maradékink, ugy Succeſſorinkis egyébbel nem fogunk tartozni mind az által Kereſztényi kôteleſségünktûl inducál-

ducáltatván egyéb Naturalékbul kivánunk azon felyûlis Alamisnául ſuccurálni, præſupponálván Maradékinkrúl, és Succeſſorinkrúlis, hogy magokis haſonlót igyekeznek el követni, amint hogy arra intetnekis.

Azon felyûl bizonyos kaſzálló Rétetis fogunk excindáltatni, nem külömben Tüzi fárúlis akkori rendelt Confraterek által provideáltatni: hoc declarato:

Hogy mivel Iſten ô Szent Felsége bennünket az Klaſtromnak fel-épétésére rövid idô alatt reá ſegit, az meg-irtt Seraphicus Sz. Ferencz Salvator Provinciájábúl lévô Szent Szerzetibûl az Guardiánság fel-állitatván az Chorus continuáltaſſék, és az Fundatio Summával réſzünkrôl, 's-Maradékink réſziról contentáltatván, azon felyûl ſem magunk, ſem Maradékink, és Succeſſorink ellen ujabb Prætenſiokkal, ne búſittaſſunk; holott pedig az Chorus ceſſalna, 's-nem folyna, eo in caſu az Fundationalis Summának felével contentáltaſſanak, 's-többre ſe magunk, ſe Maradékink nem is fognak obligáltatni.

Mint hogy pedig az nevezet helyben-való Szentegyház Kriſtus Urunk Születésére láttatik ex monumentis dedicáltatnak lenni, azon Szent Emlékezetre, az Szentséges Pápától-is Indulgentiakat igyekezvén nyernem, továbbis azon Titulus alat maradgyon az Szentegyház, és eſztendönként azon Sz. Innepekben valamint hogy Sz. Születéſekor az Angyalok által békeſség, és cſendeſség hirdettetet, annak emlékezetére az egéſz Magyar Nemzetünk edgyeſségéért, 's-Lelki Teſti cſendeſségéért Eſztendönkint Solemnis Devotiók follyanak, és tartaſſanak, Ezen felyûl régi Levelekbûl conſtálván az Monaſterium Sz. Márton Püſpök Tiſzteſségére lenni, azért azon Sz. Emlékezetreis egy kis Oltár erigáltatván haſonló Búcsut Solemnitas tartaſsék Napjain. Nem Külömben:

Minden héten két két Misét az mi Intentiónkra mondani tartozzanak, egyiket ezen Kaplyoni Nemzetbl ſzármazott, 's-böldogúl ki múlt Hiveknek Lelkekért: Másikat pediglen ugyan ezen Nemzetből álló igaſságnak úttyán lévöknek gyarapodásáért, és Vakságban, 's-Tévelygésben lévöknek Iſten Kegyelméből-való meg-téréſekért.

Mind ezeknek Szentûl, és meg máſolhatatlanúl való meg tartására magamot, Nevezet Házas Társommal edgyütt mind két ágon lévô Maradékinkat, és Succeſſorinkat, valakiket az præmittált dolog moſt, vagy jövendöben illetne, vagy illethetne, fellyebb meg-irtt Conditiok alatt kötelezzük: Nem külömben nevezet Szent Szerzetbéliekis az præmittált Intentioknak végbe vitelire à Szerént köteleztetnek, sôt mind magunknak, mind Succeſſorinknak az meg irtt Klaſtrombúl Károlyban Káplányul egy bôcsülletes Patert adni tartoznak, ki-is helyben, vagy útozáſunkban Káplányi Hivatallyát követheſſe; Az midön pedig az Anyaſzentegház Rituſſa ſzerint publica Devotiok ſzoktanak lenni, annyin, à mennyin lehetséges tartozni fognak, itten Károlyban Kereſztel jelen lenni: kiknek meg maradására, 's-bizonyságára ſubſcriptionkal és ſzokott Pecsétünkel meg erôſſitett levelünket adtuk, mellyet in locis debitis, ſeu Authenticis kéſzek léſzünk fatealnunk-is Obligáltatván è converſo az Sz. Szerzet-béli Deffinitorium-is pro futura noſtri & Succeſſorum cautione, haſonlót adnia; ſuper obſervatione præſcriptorum. Datum Károly die 27. Menſis Maji An. 1719

Gróff KÁROLYI SÁNDOR. (L. S.) BARKOCZI KRISTINA. (L.S.)

N. 230 Talis pro hoc Neo-erecto Conventu conſtituta fuerat primæva Fundatio, videlicet ut ſingulis annis mille flor. pro neceſſitatibus Fratrum pendantur, at quia hæc, Inſtituto Franciſcano, utpote in ſolo ære conſiſtens, parùm conformis videbatur, inſtiterunt ſuperiores Provinciæ pro ejuſdem reformatione, quod & factum eſt, relictis nempe 300. Florenis pro veſtimentis Fratrum, pro reliqua ſumma conſtituta eſt penſio annua, in Vino, frumento, larido, oleo, butyro, leguminibus, & ſimilibus ad victum quotidianum neceſſariis rebus, quæ ad hæc uſque tempora tam exactè, & regulariter ex Dominio Karolyiano penduntur, ut nulla prorſus Fratribus querulandi ſuperſit materia. Fundatio in aliquo mutatur.

§. IV.

De Ecclesia, ejus nempe antiquitate, & moderno Statu.

N. 231. SI verum est, quod versus Chronographici in latere Ecclesiæ ex parte Conventûs exarati innuunt, hæc Ecclesia vetustissima est, & ipsum Ordinem Seraphicum plusquàm Sæculô integrô antecedens; sic autem sonant illi:

Antiquitas Ecclesiæ demonstratur.

qVoD ante bIs terCentos, atqVe pLenè seXagInta
eXtIterIM, probat annos, & testatVr LIttera;
Ast qVIs annVs fLoreM rursùs è Deserto retVLIt
Ista stropha sIne nota sensV pLeno pertVLIt.

En habes litteris majusculis, quæ Romanum, ùt dicimus, denotant numerum, sicut in duobus prioribus versibus, ita rursùs in posterioribus exprimi annum 1740. quô hæc Ecclesia jam vice altera Munificentiâ Excell. D. Fundatoris restaurationem accepit, sensu verò versuum priorum, antiquitatem operis denotari, quòd videlicet jam annis sexcentis, & sexaginta restaurationi præextiterit. His magis libet assensum præbere, quàm novis argumentis veritatem demonstrare.

Ecclesia est parva quatuor sustẽtatur columnis.

Est quidem Ecclesia hæc satis exigua, Sanctuarium non majus habens, quàm quod principaliorem capere possit Aram, est tamen solida, utpote quatuor solidis columnis fornicem sustentantibus roborata, quæ soliditas antiquitatem ejus aliquatenùs probare videtur. De Consecratione ejus nihil scitur, neque id è signis aliquibus erui potest.

Altaria habet tria.

Altaria in ipsa Ecclesia non nisi tria sunt; Principale, se Majus est Nato ex Matre Virgine Salvatori dicatum. Alia duo à lateribus quasi in Capellis sunt collocata. Ex parte Evangelii quidem S. P. N. Francisci, ex adversa verò S. Antonii Paduani. Hoc & majus ornata sunt Statuis ligneis, at S. Francisci ex sola ejusdem Icone materiis quibusdam adornata constat.

Capella ad latus Ecclesiæ cum Ara.

N. 232. Porrò ad latus hujus Ecclesiæ, quod Meridionalem respicit partem, habetur parva Capella, ad quam quinque circiter gradibus ex Ecclesia descenditur, & in hac est quartum Altare B. V. MARIÆ, sed pariter sola Icone Beatissimæ Matris, & materiis adornatum. Ex hac autem Capella uno descenditur gradu ad Cryptam, aliàs ferreis cratibus præclusam, in qua tumulatus jacet Primus Fundator hujus Conventûs, Excell. inquàm D. Com. Alexander Károlyi, tumbæ, ex cupro affabrè elaboratæ inclusus.

Crypta Com. Alex Károlyi.

Ejus obitus.

Obiit autem mox memoratus Comes, Deo, & hominibus charus, quia de Ecclesia, Principe, Patria optimè meritus, cùm esset ætatis annorum 75. Annô 1743. Mense Septembri, & die, quo Natæ Virginis Solemnia recoluntur. Tumulatus verò est in Cryptâ, cujus ante mentio facta annô sequente, die 22. Mensis Junii, pompa funebri exquisitissima, quæ ultra 30. millia flor. Rh. exhausisse dicitur. In hac Crypta nemo alter hactenus est sepultus, fors tamen brevi optimè merito Patri, sociabitur non degener Filius Comes Franciscus Károlyi, anno proximè præterlapso in Vigilia ad Cœlos Assumptæ Matris piè defunctus. Utriusque Anima requiescat in sanctissima pace.

Funus.

Altera Crypta in Ecclesia.

Præter hanc Cryptam habetur altera in Corpore Ecclesiæ situata, in qua plurimi ad Illustriss. Familiam Károlyianam spectantes tumulati sunt. Pro defunctis Fratribus nostris nullum hic extat Repositorium, ideò effossâ humô hinc indè in Ecclesia tumulantur.

NO-

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM CONVENTUS.

Annô.
1719. P. Blaſius Móra Præſid.
1720. P. Petrus Roll Prov. Pr.
1721. P. Narciſſus Snyava.
1722. P. Gabriel Borics Proto-Guard.
1724. P. Martinus Sebeſtini.
1725. P. Joachimus Sükösd.
1726. P. Matthæus Cſiſzer.
1727. P. Capiſtranus Terenyei.
1728. P. Franciſcus Györi.
1729. P. Fortunatus Föczén.
1730. P. Matthæus Cziſzer.
1731. P. Capiſtranus Terenyei.
1733. P. Remigius Olaſz.
1734. P. Capiſtranus Terenyei.
1735. P. Laurentius Papp.
1736. P. Capiſtranus Terenyei.
1737. P. Paulus Ladislaides.
1741. P. Urbanus Kovács.
1742. P. Nicolaus Mándli.

Annô
1743. P. Emericus Szent-Királyi.
1744. P. Hyacinthus Roſa.
1745. P. Florentius Cſapó.
1746. P. Modeſtus Knoll.
1748. P. Auguſtinus Ledl.
1749. P. Sigiſmundus Palicſovics.
1751. P. Philippus Kriſton.
1752. P. Petrus Greskovics.
1753. P. Matthæus Budiács.
1755. P. Demetrius Hoſzſzúmezei.
1756. P. Thomas Taródfai.
1757. P. Joſephus Benyó.
1758. P. Alexander Badzej.
Huic 27. Septembr. ejusdem anni defuncto ſucceſſit ut Præſidens.
P. Athanaſius Hihalmi.
Poſt hunc in Congreſſu Diffinitoriali electus eſt in Guardianum die 6. Mart.
1759. P. Joannes Sárvári.

XX. CONVENTUS TEMESVARIENSIS AD SANCTAM CATHARINAM V. & M.

§. I.

Succincta Præsidii Temesvariensis descriptio.

Origo Temesvarini.

N. 233. TEmesvarinum Urbs, & Arx celeberrima juxta Istvanff. lib. 18. Histor. de Reb. Hung. à Veteribus Pannoniæ Regibus, contra Bulgarorum nondum Christiana Religione imbutorum, ac Cumanorum, seu Cunorum, vel Tartarorum crebriores incursus avertendos fuit ædificata, ac à fluvio Temeso, qui ex Alpibus ad severinum Urbem haud procul ab Istro, seu Danubio sitis profluit, taliter denominata. Duo quondam contigua fuisse Oppida refert idem Istvanff. quæ fossâ præaltâ, & aquis plenâ unâ cum arce cingebantur, unumque eorum ab Oriente vocabatur Insula, alterum verò à Septemtrione Temesvarium, seu Temesvarinum.

In Turcarum potestatem venit.

Diu fortissimorum sustinuit hostium incursus, verum annô 1552. in Turcarum veniens potestatem, annis fere 164. jugum tulit barbarum, à quo annô 1716. Virtute Exercitûs Christiani revindicatum, longè aliâ tam internâ, quam externâ cœpit indui formâ; in unum siquidem efformatum Urbem, & Præsidium

Revindicatur.

continuis operis (quæ nec actu cessant) tam solidis est fortificata propugnaculis, ac insuper aquis ex flumine, *Vegho* dicto artificiosè derivatis circumdata, ut si

Restauratur

perfectionem adipiscatur, ferè nullos hostium incursus vereri videatur.

Interna ejus facies.

Porrò interna ejus facies ad Majestatem est exculta, non modò elegantioribus nimirum Episcopi Csanadiensis hic continuò residentis, DD. Canonicorum, Officialium ad I. Administrationem Banatensem spectantium, ac denique Civium domibus, sed Ecclesiis quoque, & diversorum Religiosorum Cœnobiis. Inter Ædes Sacras, Principalis est Ecclesia Cathedralis, sed quæ primò sui perfectionem præstolatur, nam actu in solo Sanctuario Divina persolvuntur. Altera est RR. PP. Societatis JESU, quæ simul est Parochialis, obeuntibus ejusmodi munia RR. Patribus iisdem. Tertia est Patrum Ord. Min. quos de Observantia nuncupamus. Quarta est Fratrum Misericordiæ; quibus recenter accessit quinta Ecclesia cum suo Monasterio Fratrum Min. Str. Obs. qui priùs extra Fortalitium multis annis existentes, cùm eorum Monasterium unà cum Conventu ob Præsidii fortificationem solo æquari debuerit, superioribus annis Urbem ipsam sunt ingressi, ùt infra uberiùs demonstrabitur. Plura de hac Urbe scire volenti Topographi subministrabunt.

Domicilia Religiosa.

§. II.

Demonstrat qualiter Fratres Nostri Temesvarini locum acceperint, & priorem Conventum erexerint.

Imperator Provincialem requirit pro submittendis duobus Patribus.

N. 234. POstquàm auxiliante Deo Annô 1716. Præsidium Temesvariense, ab infensissimo Christiani Nominis hoste (sub cujus jugo integrô Sæculô, & annis quatuor supra sexaginta gemebat) armis Potentissimi Imperatoris Caroli VI. revindicatum fuisset, placuit anno insequente Suæ Sacratissimæ Majestati per Rescriptum Speciale requirere A. R. P. Ministrum Provincialem, hujus Provinciæ Salvatorianæ, pro tunc A. R. P. Petrum Roll, quatenus duos Patres Sacerdotes Illyricæ, seu Dalmaticæ Linguæ gnaros, pro cura, & servitio Animarum ejusdem Nationis, Temesvarinum submitteret. Quô Rescriptô, seu Mandatô acceptô, dictus A. R. P. Minister Provincialis, eodem adhuc annô duos Patres eò submisit, nempe M. V. P. Maximilianum Rösler, ùt Superiorem, &

M. V.

M. V. P. Laurentium Jankovics, pro Concionatore Dalmatico. Quibus Temeſvarinum comparentibus aſſignata fuit in Suburbio (Palánka Minori dicto) Domus Turcica, Fano itidem Turcico vicina, in quo repurgato, & decenter adaptato, Nationi Dalmaticæ uſque ad annum 1723. Patres hi, demum alii eis ſucceden-tes, ſervitia Spiritualia zelosè præſtiterunt. Pater Provincialis mandatis Imperatoris.

N. 235. Ex quo autem hæc domus, unâ cum Turcico illo fano, imò ipſo Suburbio, ſeu Palánka ob reformationem, & ſolidiorem Fortalitii munitionem, in demolitionem venire debuiſſet (uti etiam ſucceſſivis temporibus ita ruinata ſunt, ut actu ne veſtigia quidem eorum appareant) Annô 1723. obtinuimus in Palánka Majore, pariter extra Fortalitium alium locum, antiquiſſimam nempe Eccleſiam Catholicam, uti ex ejus ſtructura patuit, quam Turcæ immunem conſervantes, pro Moſchæa uſuabant, Noſtri verò recuperatô Fortalitiô, pro salis depoſitorio applicuerant. Hac proinde obtentâ, & ablatô ſale mundatâ, ac renovatâ, nec non D. Catharinæ Virg. & Mart. dicatâ, tandem An. 1723. in eadem Miſſæ Sacrificia celebrari, aliáque Divina perſolvi cœperunt. Locus pro Patribus deſignatus. Cùm locus prior demoliri debuerit alius eſt nobis aſſignatus, cum Eccleſia antiqua.

N. 236. Eccleſia hæc magna reſtauratione non egebat, interno tamen apparatu, ùt Aris, ſuggeſtu Concionatorio, Choro, & ſimilibus planè carebat, quæ tamen brevi tempore munifica diverſorum Benefactorum manus ſuppeditavit. Et quidem Aram Majorem D. Catharinæ Virg. & Mart. erigi fecit Doctiſſ. D. Joannes Joſephus de Königſegg, Suæ Sacratiſſimæ Majeſtatis, & Præſidii Temeſvarienſis Stabalis Medicus. Aliud verò Altare S. Crucis extrui curavit Excell. D. Franciſcus è Comitibus Vallis, Generalis, & hujus Præſidii Commendans. Quas unà cum duabus Campanis conſecravit Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Ladislaus è Comitibus Nádasdi, Epiſcopus Cſanadienſis. Præter dictas Aras tres adhuc extabant in hac Eccleſia, nimirum S. P. N. Franciſci, S. Antonii Pad. & S. Joannis Nep. adeoque univerſim Aræ quinque. Crypta verò unica tantùm habebatur, in qua promiſcuè tam Noſtrorum Fratrum, quàm Sæcularium diverſi Statûs, & Conditionis Corpora tumulabantur. Eccleſiane-ceſſariis retabus ornatur.

N. 237. Anno inſequente poſitus fuit primus lapis pro Conventu erigendo, cui intra annos duos Munificentiâ diverſorum Benefactorum, & In. Adminiſtrationis in neceſſariis materialibus ſuccurſu, tantùm accepit incrementum, ut annô 1726. jam duodecim Religioſorum capax, pro Conventu formali in Congregatione Galgoczienſi, die 6. Junii celebrata declararetur M. V. P. Ambroſio Mercz in Proto Guardianum electo. Quibus peractis die 13. Julii, à primis Veſperis D. Bonaventuræ Ep. & Card. inchoatæ ſunt Laudes Divinæ Choraliter, juxta conſvetudinem Almæ Provinciæ Noſtræ, ac deinceps diu, noctuque continuatæ. Conventus erigitur. Primus Guard.

Deducto autem anno 1732. ad debitam perfectionem Conventu, ita ut præter commune Refectorium, Coquinam, Diſpenſam, aliaſque neceſſarias Officinas, in parte ſuperiori pro Fratrum habitatione 19. in inferiore autem 6. Cellæ haberentur, annô 1733. ordinatum huc fuit Studium S. Moralis Theologiæ, Lectore M. V. P. Vitali Zieman, & continuatum uſque ad annum 1738. Inſuper Annô 1734. volentibus ita Provinciæ Superioribus, etiam Pannificium fuerat erectum, quod pariter ad annum 1738. perduravit, quô utrumque finem accepit, ùt mox dicetur. Studium huc ordinatur. Pannificium erigitur.

§. III.

Refert calamitoſos eventus hujus Conventûs.

SIquidem Conventus hic jam poſt calamitoſa illa tempora, quibus per totam ferè Hungariam arma perſtrepebant, erectus, calamitates, quas plerique alii pertulêre, ſit non expertus, immiſit DEUS in eum alias tribulationes, quibus non leviter Fratres contigit divexari.

N. 238. Et quidem prima fuit Peſtis ſæviſſimè graſſans, quæ an. 1738. etiam hanc Urbem imò Conventum proſtravit, ita, ut eodem annô 14. circiter Religioſi In Peſte 14 mortui.

Patres, & Fratres eâdem fuerint extincti, quorum quinque jam ſupra ad Calcem P. 1. in numero eorum, qui aliis ſerviendo Animas ſuas pro iiſdem ponere non ſunt veriti, annotati habentur. Hac igitur de cauſa & Pannificium caſſatum, & ſtudium, priuſquàm lues prædicta Urbem occuparet, aliò translatum eſt, neque ab eo tempore reſtitutum.

Vix autem hoc malo liberatus eſt Conventus, ſucceſſit aliud, fervente nimirum hoc ipſo tempore Bellô Turcicô, poſtquam Belgradum fortiſſimum illud Hungariæ, imo totius Chriſtianitatis Propugnaculum, deditione in poteſtatem Turcicam deveniſſet, timorque non levis totum Banatum obruiſſet, ne fors Hoſtis Barbarus ulteriùs progrediendo, ipſum quoque Temeſvarinum obſideat, & ſui Juris faciat; hac inquam de cauſa metu graviſſimo perculſi Officiales Præſidii, quæcunquè ædificia hoc fortalitium ambiebant, ſolo æquari fecerunt omnia, Militis Præſidiarii communi Reſidentia vulgò *Caſarma*, ac hocce Conventu Noſtro, nec non cujuſdam Officialis domo exceptis. Interim & hæc ita ſuffoſſa, & uſque ad fundamenta in parietibus tam ad extra, quàm ad intra perforata fuêre, ut pro omni eventu incurſionis Hoſtilis, abſque longiore mora foramina parietum pulvere pyrio adimplendo, & ignem addendo in acervum lapidum redigi, & funditùs everti poſſint.

Ædificia circa Temeſvarinum ruinantur.

Conventus noſter perforatur.

N. 239. Etſi verò Belgradô habitô contentus hoſtis, ab ulteriori incurſione ſe temperaverit, Pacémque cum Imperatore, & Rege Hungariæ iniêrit, Conventus tamen noſter, unà cum Eccleſia ita ſuffoſſus permanſit, nec ulla ampliùs in eo reparatio permiſſa. His igitur Calamitatibus preſſus, in magnam venit deſolationem; unde licèt Annô 1739. in Congregatione die 1. Martii Szakolczæ celebrata adhuc pro hoc Conventu in Officio Guardianatûs confirmatus fuiſſet M. V. P. Mauritius Privorſzki, attamen in Congreſſu Diffinitoriali Gyöngyöſſini Menſe Novembri ejusdem anni habito, Patre Mauritio à Guardianatu abſoluto, Conventus ad numerum Reſidentiarum eſt redactus, datúsque ei Præſidens M. V. P. Elias Mintzer, qui huic Reſidentiæ præfuit uſque ad annum 1741.

Ad numerum Reſidentiarum redigitur.

N. 240. Quô annô in Capitulo die 22. Januarii Galgoczii celebrato, nominatus eſt hic locus Temeſvarienſis Conventus ſuppreſſus, quæ denominatio, etſi juſtè, & meritò ei data fuerit, ob rationes relatas, I. tamen Adminiſtratio Banatenſis huic denominationi plurimùm reſentiens, omnem movebat lapidem, ut nos Temeſvarinô amoveat, unde allegando illud, quòd ob futuram Præſidii fortificationem Conventum cum Eccleſia ruinari neceſſe ſit, duo nobis ad eligendum proponebant loca, unum in Oppido Verſchétz, decem circiter millibus paſſuum Temeſvarino diſtante, præſertim, quod eo tempore ſublato è vivis loci Parocho, Oppidum hoc viris Spiritualibus egeret; alterum in Fabricâ, ſemihoræ circiter itinere à Præſidio divulſa.

Dein Conventus ſuppreſſus denominatur.

Duo loca nobis ad eligendum offeruntur.

Verùm neutrum horum volebat Provincia acceptare, priorem quidem, licet in ſe amœnum, & ſalubrem, ob nimiam à Provincia, ſi nempe Temeſvarinô exeſſe deberemus, diſtantiam, adeoque maximam, tum occaſione Viſitationis, tum permutationis Fratrum difficultatem; alterum verò in fabrica pluribus de cauſis, tum, quod nulla hic Conventûs poſſet eſſe ſtabilitas, æquè, ùt in loco priori, tum, quòd Conventu longius à Præſidio diſtante difficilis foret Fratrum ſuſtentatio, tùm, quod loco hoc paludinoſo, & inter meras quaſi aquas ſituato, nec Cryptæ in Eccleſia, nec Cellaria in Conventu ob prodeuntes immediatè aquas haberi poſſent, tum denique quòd locus hic prorſus inſalubris ſit, ob lacunas, & aquas quaqua versùs ſtagnantes.

Provincia neutrum vult acceptare.

Rationes allegantur.

N. 241. Hinc Annô 1743. in Congregatione Galgotzienſi 16. Junii celebrata, rurſus ſuppreſſo huic Conventui datus eſt Guardianus, idem, qui fuit Præſidens, nimirum M. V. P. Flavianus Lajtner, & interim omni conatu laboratum eſt, ut locum in ipſo Præſidio Temeſvarienſi pro Conventu ædificando habere poſſimus. Non tam arduum hoc fore Negotium, ſi propenſionem Majeſtatis

Iterum hic Guard. ponitur.

ſtatis Regiæ, I. Adminiſtratio Banatenſis ſecundâſſet, patet ex Epiſtola, R. P. Antonii Schvvab Prov. Diffinitoris Act. qui in hoc Negotio Viennam ad ſuam Majeſtatem Regiam exmiſſus, ad hunc Conventum ita ſcripſit: *His brevibus notifico, quòd heſterna die habuerim audientiam apud Sereniſſimam Reginam, eiqué noſtram Inſtantiam ratione Conventus Temeſvarienſis expoſui, quæ his formalibus mihi reſpondit: Inchoata fortificationis opera jam continuari debent, & ideo Clauſtrum venit demoliendum, cum autem juxta relatiouem veſtram tot bona ibidem operati eſſetis, ſic etiam Nos videbimus, ut locus in Præſidio inveniatur, & eis ad ædificandum Clauſtrum novum locus aſſignetur. &c. Viennæ 9. Martii 1743.*

Interim pro loco in Præſidio habendo laboratur.

Favorabile Reſponſum Reginæ.

Verùm cùm DD. Officiales, quorum id negotii fuerat, ut pro nobis in Præſidio locus determinetur, varias in oppoſitum rationes oſtenderent, noſtroque intento & propenſioni ſuæ Majeſtatis adverſarentur, neque interim muros, & ſartatecta ſuffoſſi Conventûs reſtaurare permitterent, in tantam devenêre deſolationem, ut ruinam minarentur, & Divinis quoque Officiis abſolvendis obex non levis poneretur, pluente autem Cœlo, aquis ad Chorum ubique ſtillantibus, cogebantur perſæpe Patres ſe cum Breviariis hinc inde ad angulos recipere, ut cadentes deſuper aquas poſſint evitare, ac Divinum debitè perſolvere Officium.

Officiales Temeſvarienſes nobis non favent.

Conventus jam reſtaurari non permittitur, deſolatur.

Plures fluxêre anni, quibus iſta, quæ relata ſunt, perferre debuerunt Patres, nec priùs, quam Officialium Adminiſtrationis Banatenſis facta mutatione, res quoque noſtræ in melius ſunt mutatæ, ut ſequenti §. demonſtratur.

§. IV.

Demonſtrat quomodo Locum in Præſidio acceperimus, & ædificio conſtructo eô introducti ſimus.

N. 242. AB Annô 1740. continuæ fiebant apud Aulam ſollicitationes pro obtinendo in Præſidio loco, erigendi Conventus opportuno, ſed renitentibus Officialibus Adminiſtrationis Banatenſis incaſſum laborabatur. Poſtquam verò an. 1751. amotis veteribus toties dictæ Adminiſtrationis Conſiliariis, novi omnes ſucceſſiſſent, horum favore, at præcipue Illuſtriſſimi D. Baronis Franciſci de Bojger, Fratribus addictiſſimi, ſingulari induſtria, & maximâ apud Aulam Regiam noſtri comendatione, Ampliſſimi inſuper Magiſtratûs Temeſvarienſis interpoſitione, tandem Benigniſſimô Regiæ Majeſtatis decretô An. 1752. Die 16. Octobr. emanatô reſoluta eſt pro nobis in Præſidio Mola quædam Frumentaria *Bobilis* dicta, ex eo, quod non, niſi operâ boum in ea molere ſolitum fuerit, cum quatuor cubiculis, & culina eidem annexis, nec non territorio ad erigendum Conventum ſufficienti per I. Adminiſtrationem deſignando.

Sua Majeſt. deſignat nobis locum in Præſidio.

Non parùm adverſabatur huic Benignæ Regiæ reſolutioni dictæ Adminiſtrationis Præſes, unde & loci conſignationem de die in diem differebat, ſed adurgente eum ſupramemorato Illuſtr. D. Barone Franciſco de Bojger, tandem conſenſum & ipſe præbuit, ac deſignatum per Decretum Regium locum, mediô prædicti Illuſtriſſ. D. Baronis, ac duorum Officialium Fratribus noſtris conſignari, ſufficientemque pro extruendo Conventu fundum determinari fecit, quæ omnia die 12. Menſis Decembr. Anni præſpecificati, videlicet 1752. effectuata ſunt.

Locus ille Fratribus conſignatur.

N. 243. Facta autem traditione loci non ſunt feriati Fratres, ſed omnem in loco depurgando, ac debitè adaptando adhibuêre operam, ut quantociùs Divina in eodem perſolvere poſſint, quod brevi effectuatum eſt Die enim Nato Salvatori Sacro, Excell. D. Epiſcopus facta per ſuum Vicarium Generalem Reverendiſſ. Dominum Gabrielem Mayer inveſtigatione, num locus Divinis abſolvendis foret idoneus, & idoneitate adinventa, diem ſequentem, nempe S. Stephani Proto-Martyris pro ejus Benedictione determinavit, quæ etiam per

Purgatur & ad perſolvenda Divina aptatur.

Benedicitur & Divina in eo inchoantur.

dictum Reverendiſſ. D. Vicarium Generalem, in magno concurſu populi eſt peracta, primúmque per eumdem Sacrum in mola prædicta, ſed jam pro Divinis ſaltem ad tempus determinata celebratum. Ab hoc autem tempore ſingulo die unum ad minùs Miſſæ Sacrificium in eadem abſolvebatur, imò unus è Patribus continuò ibi habitare juſſus, reliquis in antiquo adhuc Conventu extra Præſidium manentibus. Primus incola loci fuit P. Antonius Schmidt Vicarius, poſt hunc is, qui à Superiore fuit determinatus. Porro Conciones hic haberi cœperunt cum perpetua continuatione, Dominicâ Septuageſimæ Anni 1753. ceſſantibus deinceps in antiqua Eccleſia Concionibus.

Prima Concio in hac Eccleſia.

N. 244. Eodem Anno, videlicet 1753. die 4. Octbr. Seraphico Fundatori Sacra, gubernante hanc SS. Salvatoris Provinciam A. R. P. Modeſto Knoll, hic verò Guardianum agente R. P. Raphaële Ranner, poſt Decantum ſolemniter Sacrum, dictámque ad Populum Concionem per R. P. Franc. Xav. Trifater è S. J. in maximo concurſu, tam DD. Officialium, quam reliquæ Plebis, poſitus eſt pro Novæ Eccleſiæ Sanctuario, Primus Lapis ſeu Angularis, per ſupra memoratum Reverendiſſ. D. Joannem Gabriëlem Mayer, Ven. Capituli Cſanadenſis Canonicum, & ſuæ Epiſcopalis Excellentiæ Vicarium. Datusquè Eccleſiæ, & Conventui futuro Titulus idem, quô prior gaudebat, nempe S. Catharinæ V. & M.

Pro nova Eccleſia primus Lapis ponitur.

Continuatur ædificium tam Eccleſiæ, quam Conventûs.

N. 245. Poſt hæc continuabatur utriuſque ædificium, tàm nempe Sanctuarii quàm Conventûs, illud quidem tanta ſumpſit incrementa, ut annô 1755. jam Divinis Servitiis aptum videretur, unde etiam Primum Sacrum in eo decantatum eſt in Feſto Seraphici Patris, ejuſdem Anni. Conventûs verò quoad ſtructuram uſque ad annum 1756. talem habuit progreſſum; In parte inferiori ædificatæ ſunt cum ordinaria Conventûs porta, Cellæ ſex, è quibus duæ ad interim reficiendis corporaliter Fratribus, & una major pro Coquina aplicatæ; In ſuperiori verò ambitu 11. Cellæ exurrexerunt, quæ cùm nondum pro Numero Fratrum, hic de ordinario commorantium ſufficerent, illa quoquè cubicula ex altera Eccleſiæ parte, quæ cum hac mola Fratribus conſignata fuiſſe, ſupra dictum eſt, pariter pro Fratrum ad interim hoſpitio ſunt applicata.

Fratres neceſſitantur, ſe transferre ad novũ in Præſidio Conventum.

Cæterùm etſi in loco hoc recenter aquiſito continuò unus, alterve Patrum manebat, Communitas tamen Fratrum uſquè ad hæc tempora nempe Menſem Junium, anni 1756. antiquum, extra Fortalitium incolebat Conventum. Cum verò opera fortificationis Præſidii versùs hunc Conventum in tantum continuata, & extenſa fuiſſent, ut nullæ ampliùs induciæ ulterioris perſiſtentiæ Conventûs, & Eccleſiæ permitti potuiſſent, neceſſe fuit Fratres omnes cum tota ſupellectili, tam Sacra, quam profana ad novum traſmigrare Conventum. Quæ quidem tranſmigratio accidit die 16. Menſis Junii Anni prætacti ſequenti ſolemnitate:

Solemnitas Translationis deſcribitur.

N. 246. Convenientibus die 16. Junii, horis matutinis ex mandato ſuæ Excellentiæ Epiſcopalis, ad locum antiqui noſtri Conventûs, Univerſo Clero, Religioſis, Dominis Officialibus, tam I. Adminiſtrationis, quàm Præſidiariis, & Civitatenſibus, ac denique innumera ferè multitudine Plebis, expectabatur adventus Excell. D. Epiſcopi, qui cùm comparuiſſet, ac apparamentis Epiſcopalibus ſe induiſſet, proceſſit, conſveta Aſſiſtentia Clericali comitatus, ad Majus Altare, ubi decantatô interim per Muſicos Canticô: *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, & Verſibus: *Salvos fac Servos tuos*: Item: *Mitte eis Domine auxilium de Sancto*, per Aſſiſtentes abſolutis, Epiſcopus dixit Orat. *Actiones noſtras quæſumus Domine &c.*

Poſt hoc ſub Comitatu ſuæ Aſſiſtentiæ, & Patrum, ac Fratrum Noſtrorum ſub Crucis vexillo proceſſit extra portam Eccleſiæ majorem, ſeu ordinariam, ubi pulſato ternis vicibus, malleolô floribus, & ligulis ſericeis ornatô, Eccleſiæ pariete, ita ut fragmenta quædam deciderent, rursus ad Altare majus eſt progreſſus, quod priùs denudando, pari modo, eodem malleolo pedem Altaris concuſſit, usque ad aliquam ejus perfractionem, quo tempore ſingula Altaria denudata ſunt Portatilia ſublata, lampades quoque Eccleſiæ extinctæ, & faces

inte-

interim, ac Candelæ accenſæ, Clero, Officialibus, & aliis Honoratioribus diſtributæ. Quibus peractis Epiſcopus extractô è Tabernaculo Altaris Sanctiſſimô, cùm illud de more incensâſſet, impertitâ Populo Benedictione, Hymnum: *Pange Lingua &c.* intonuit, & mox Proceſſio ex hac Eccleſia ad Urbem, ac conſequenter ad Neo-erectam Eccleſiam noſtram eſt ordinata. Ex antiqua Eccleſia ad novam Proceſſio ordinatur.

Porrò Proceſſionis hujus ordo in Hiſtoria Conventûs ita cum præcedentibus deſcripta reperitur. 1mò. Præcedebat Vexillum Eccleſiæ hujus brevi ruinandæ. 2dò. Ludi Rector cum Juventute Scholari. 3tiò. Confraternitas S. P. N. Franc. cum ſuo Inſigni. 4tò. Magiſtratus Civitatenſis. 5tò. RR. PP. Franciſcani de Obſerv. accenſas geſtantes Candelas. 6tò. 25. Milites ſuo more armati. 7mò. Parochus loci ſuperpelliciô, Stolâ, & Pluviali indutus cum Cruce & Vexillo Parochiano. 8vo. Chorus Muſicorum, quos ſequebantur Patres, & Fratres noſtri ſub Cruce Cathedrali. Ordo Proceſſionis deſcribitur

9no. Procedebant Reverendiſſimi DD. Canonici, quorum unus Reverendiſ. nempe D. Clemens de Roſſi ducebat P. Guardianum, pro tunc M. V. P. Franciſcum Kipperhon; Reverendiſſ. D. Paulus de Branko, R. P. Diffinitorem Habit. P. Raphaëlem Ranner. 10mò. Aſſiſtentia Epiſcopalis, quam ſub Baldachino ſequebatur Excell. D. Præſul, Sancti ſimum deferens. 11mò. Immediatè ſequebatur I. Adminiſtratio, cum Capite, & membris, poſt hos iteratò procedebant 25. Viri militares armati, ac tandem unus è Fratribns noſtris Laicis Superpelliciô indutus, Statuam B. MARIÆ bajulans, quem devotus Fœmineus ſexus comitabatur, & totam claudebat Proceſſionem.

Poſtquàm igitur ſic ordinata Proceſſio ad Neo-erectam Eccleſiam perveniſſet, datâ primò Populo cum Sanctiſſimo Benedictione, Præſul intonuit Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, quô cum ſuo Verſu, & Oratione abſolutô, cantavit Sacrum Solemne, poſt hoc verò *Te Deum Laudamus*, & rursùs impertita omnibus cum Sanctiſſimo Benedictione, toti Solemnitati coronidem impoſuit. Ab hac autem die in iſta Eccleſia, licèt nondum perfecta, Laudes Divinæ choraliter abſolvi cœperunt. Quid in nova Eccleſia factum recenſetur.

N. 247. Porrò hujus Eccleſiæ Status actu eſt talis: Sanctuarium eſt noviter erectum, cum Ara Majore Sanctæ Catharinæ Virg. & Mart. reliquum ejus Corpus mola illa *Bobilis* conſtituit, uſque dum faventibus Superis aliud exurgat, in eo autem, utpote ad modum Eccleſiæ conſtructo quatuor Altaria habentur, unum SSmi Salvatoris pro nobis flagellati, alterum S. Crucis, tertium S. P. N. Franciſci, quartum verò S. Antonii Padu. Statum prioris Conventûs ſi quis ſcire cupiat, ejus jam vix veſtigia apparent, dirutus enim eſt mox Æſtate illa, qua Fratres noſtri ab eo receſſerunt. Eccleſia autem ſubſequente primùm Hyeme ruinata adhuc acervum lapidum tranſeuntibus exhibet. Et hæc ſunt, quæ tam de antiquo, quàm novo Conventu huc inſerenda judicavi; jam eorum Superiores recenſere pergo, fuêre autem ſequentes: Status modernæ Eccleſiæ. Antiquus Conventus unâ cum Eccleſia ruinatus.

SUPERIORES HUJUS CONVENTUS.

Annô	
1718.	P. Maximilianus Rösler.
1719.	P. Amandus Cziſs.
1721.	P. Leonardus Panhart.
1723.	P. Dominicus Scheller.
1725.	P. Conſtantinus Peverelly.
1726.	P. Ambroſius Mercz Guard.
1728.	P. Auguſtinus Gretſch.
1729.	P. Felicianus Miller.
1732.	P. Athanaſius Scheffer.
1734.	P. Raphaël Ranner.
1736.	P. Ambroſius Mercz.
1738.	P. Mauritius Privorſzki.
1741.	P. Flavianus Lajtner.
1743.	Idem ùt Guardianus.
1744.	P. Leopoldus Francz.
1745.	P. Raphaël Ranner.
1746.	P. Leopoldus Francz.
1748.	P. Januarius Perer.
1749.	P. Lambertus Baumgartner.
1751.	P. Raphaël Ranner.
1754.	P. Franciſcus Kipperhon.
1757.	P. Raphaël Ranner.
1758.	P. Marcus Richter.

XXI. CONVENTUS FŰLEKIENSIS AD B. V. M. IN COELOS ASSUMPTAM.

§. I.

Succincta Oppidi Fűlek descriptio.

Fűlekini Situs.

N. 248. Fűlekinum, aliis Filekinum, est Oppidum in Regione Neogradiensi, Diœcesi verò Strigoniensi situm, tribus circiter millibus passuum à Szécsénio distans. Natales ejus ad Opilionem ejus nominis vulgus refert, quod

Origo.

sicut asserere, ita neque improbare audeo. Illud, ex variis, quæ hic acciderunt, Præliis constat: fuisse olim Oppidum non modò à cultura ædium elegans,

Antiquitas Status.

verùm etiam à munitione commendabile, actu ne indicia quidem repræsentat priſtinæ conditionis.

Ex parte, quâ Septentrionem respicit habet Arcem edito, ac petroso monti

Arx Fűlekiensis in monte petroso.

impositam, nec nisi à parte Oppidi, ubi porta est, ob rupium crepidines accessibilem. In duas dividitur Arces, Inferiorem nempe, quæ profundam olim habebat cisternam, quâ pluviales aquæ per siphones derivatæ continebantur; & Superiorem, quam Bebecus, à Blasio Raskaio, cujus Filiam Uxorem duxerat, acceptam, ædificiis ornaverat, ac mœnibus, propugnaculísque erectis validiorem ita reddiderat, ut fortissimo cuique hosti resistere posset. Hæc primùm à Turcis Annô 1554. non vi, sed astu occupata, dein virtute Militis Christiani Annô

Secundò à Turcis occupatur & ruinatur.

1593. recuperata fuit. Sed rursùs Annô 1682. licèt à Stephano Kohario immortali memoria digno Heroe fortissimè propugnaretur, adjuvante tamen Turcas Tökölio, & facta simul Præsidiariorum seditione, in hostium potestatem devenit, à quibus priùs direpta, & bellica supellectili privata, tandem nitrati pulveris virtute, in auras majori ex parte ejecta, manet usque ad hæc tempora desolata. Hæc de Füleko, nunc de Conventu nostro in eo extructo pauca erunt referenda.

§. II.

Refert Antiquitatem Conventûs Fűlekiensis, ejúsque varias vicissitudines.

Conventûs Fűlekiensis antiquitas.

N. 249. Conventus noster in loco mox paucis descripto, est unus ex antiquioribus, dum enim Provincia adhuc in 10. Custodias divisa floreret, hunc, inter Conventus Custodiæ Szécsénienſis secundum tenuisse locum, antiqua produnt Provinciæ monumenta; verùm quo determinato tempore, quove Fundatore suos natales aspexerit, id nullatenùs constare potest. Annô 1513. & sequentibus, nempe usque ad 1544. eum extitisse antiquæ probant Tabulæ, & infra ex Guardianorum serie qui hunc Conventum temporibns illis gubernabant, li-

Desolatio & ruina.

quido patebit. Cùm verò post hoc usque ad annum 1610. nulla ejus exstet in vetustioribus Tabulis mentio, derelictum fuisse supponendum est, imó occupata per Turcas annô 1554. astu cujusdam Æthiopis arce, ùt supra dictum est, funditùs planè eversum, huc felicioribus temporibus reversi Fratres indoluerunt.

Regressus Fratrum ad locum Fűlek.

N. 250. Porrò regressus Fratrum Nostrorum ad hunc locum, jam annô 1593. armis Christianorum recuperatum, accidisse collimatur circa annum 1610. nam isto in Actis Prnvinciæ notatum reperitur: In Fülek H. P. Nicolaus Felnémethi Prædicator, Fr. Jacobus de Saár Laic Cocus. Annô autem 1612. idem Pater institutus est Præsidens Fülekiensis; ac denique 1613. Guardianus, & simul Provinciæ Diffin. Actualis.

N. 251.

N. 251. De Conventu noviter erecto, hoc solum constat ex Fratrum Nostrorum hic annô 1615. commorantium ad vicinos Dominos & Patronos scripta humillima supplicatione, quod in Fundo, seu area Magnifici D. Thomæ Bosnák, memoratæ Arcis Fülekiensis Supremi Capitanei, libenter in id consentientis, fuerit extructus, cujus autem expensis non est memoriæ commendatum. Verùm, sicut citò assurrexisse videtur, ita paulò post flammis exustus est, ùt in dicta Fratrum supplicatione videre licet, quæ est tenoris sequentis: Conventus reædificatur sed mox exuritur.

Universis, & Singulis in dulci JESU Christianis Viris, Illustrissimis, Reverendissimis, Spectabilibus item, ac Magnificis, Generosis, ac Nobilibus Præfectis, & cæteris Dominis Dominis Ordinis Nostri B. Francisci de Observantia Patronis, ac Benefactoribus gratiosissimis, Orationes nostras devotas cum debita reverentia offerimus. Instantia Patrum Fülekiensium ad vicinos Dominos pro subsidio Conventûs ædificandi.

Multis jam annis versamur in confinio Fülekiensi, ubi propter penuriam Sacerdotum, quantùm cum Divina Gratia licuit, avita Religione Catholicos confirmavimus, vicináque circum loca subinde Concionandi, & Sacramenta administrandi gratiâ excurrimus. Verùm illud nobis incommodissimè accidit, quod nec Templum intra Civitatis fossas, nec Monasteriolum, ubi quietè DEO servire possemus, habemus. Quocirca Magnif. Dom. Bosnyák Supremus Fülekiensis ad præsens Capitaneus, Aream Domûs suæ intra vallum, ac fossas Civitatis sitam, pro loco Monasterii nobis benignè donavit, quo in loco Monasterium jam ferè cum Divina Gratia totaliter exædificatum, ac perfectum, funditùs igne consumptum est. Supplicamus proinde Dominationibus Vestris, ut hoc nostrum recens, ac denuò aggressum opus, suis Eleëmosynis sublevare dignentur &c. Datum in Conventu nostro Fülekiensi noviter fundato, Die 21. Maji, An. 1615.

Illustriss. Reverendiss Spect. Magnif.
ac Gen. D. Vestrarum

Devoti Capellani

Fratres Ord. Min. Reg. Observ. in locò conflagrato Fülekiensi commorantes.

N. 252. Ex hac Supplicatione illud insuper collimare licet: non parùm laborâsse Fratres, ut Conventum in cineres redactum rursùs restaurent, sed cùm seditiosis his temporibus exhausti Regnicolæ exiguam possent ferre opem, Fratres domiciliô commodô carentes, iteratò locum deserunt, & aliò commigrant, cum proposito regrediendi, si Conventus pristinum recuperaverit Statum, ut patet ex Ordinatione V. Diffinitorii Annô 1622. facta tenoris sequentis: *De Conventu Fülekiensi statuitur: quandoquidem propter rebellionem, & disturbia in Regno exorta, totus in favillam esset redactus, si Magnif. D. Bosnyák Capit. loci cum aliis Benefactoribus volunt eumdem reædificare, P. Provincialis providebit de Fratribus, sin minùs, habeant patientiam, & ipsi, & nos.* Fratres Cõventum restaurare intendunt, sed non habentes unde, locum deserunt.

N. 253. Fecit id Magnif. D. Bosnyák non illibenter, triplicem in uno actu se reputans exerciturum virtutem, videlicet Religionis erga DEUM, Misericordiæ erga Fratres, & charitatis erga Proximos Fülekienses nempe Catholicos, quibus sic de Pastoribus Spiritualibus optimè provisum iri cernebat. Igitur Conventum quantocyùs erigit, Fratres revocat, & novo illocat Domicilio, quod annô 1629. accidisse creditur, dum post priores illas revolutiones Primus Fülekini Guardianus fuisse legitur V. P. Mathias Leo. Ædificato Conventu per D. Bosnyák iterum redeunt.

N. 254. Floruit autem hic Conventus tamdiu, donec Arx Fülekiensis in suo vigore persistens Militem aluit Cæsareum; verùm cùm annô 1682. à Turcis obsessa, ac adjuvantibus eos Tökölianis, in eorum potestatem redacta, subjecto pulvere nitrato, ùt supra dictum est, diruta fuisset, hoc inquam tempore sicut Oppidum Iteratò Cõventus hic desolatur.

pidum, ita Conventus quoque noſter in iteratam venit deſolationem à Turcis, & rebellibus Hungaris ſolo æquatus. Vide Lector benevole, quoties Conventus hic in nihilum redactus ſit, DEI tamen Providentia, & piorum fidelium ope toties aſſurgens, nunc quoque Fratribus noſtris commodum præbet hoſpitium, út ex ſequentibus patebit.

§. III.

De Regreſſu Fratrum noſtrorum ad locum Fülek, Conventûs Erectione, ac moderno Statu.

Relatio de regreſſu Fratrum ex Protocolo Conventûs

N. 255. DE hoc poſtremo Fratrum noſtrorum ad Oppidum Fülekienſe regreſſu, Protocolum hujus Conventûs habere videtur, quòd ruinatis, annô, in ſuperiore §. notato, nimirum 1682. Conventu, & Eccleſia, dum Fratres neceſſitate compulſi Gyöngyöſſinum ſe ſe recipere vellent, jámque ad portam ferream (*vulgò Vas Kapu*) progreſſi fuiſſent, ab Excellentiſſ. D. Comite Stephano Kohári ſub pollicitatione Conventûs de novo erigendi revocati, reverſi omninò ſint, & priorem occupârint locum.

Videtur relatio illa non eſſe vera.

Quæ nihilominùs ſicut rationi temporum, rerúmque geſtarum, ita Actis Provinciæ minimè conſentanea videntur. Quî enim à Kohario revocari poterant, cùm & ipſe non modò exul Fülekinô factus, ſêd inſuper Tököliana factione in ſubterraneos carceres primùm Mohacſinum, dein Ungvarinum, tandem Patakinum traductus, non niſi poſt duos benè evolutos annos liber evaſerit? Sed neque in Provinciæ actis (quibus maximè fidem habeo) ulla loci Fülekienſis, vel Fratrum eò diſpoſitorum uſque ad annum 1694. fit mentio.

Sincerior opinio de Regreſſu.

N. 256. Veriùs igitur dicendum videtur, ſedatis aliquantiſper his in partibus tumultibus, quos Tökölius excitabat, Fratres noſtros ad priſtinum locum Fülekienſem rediiſſe, Annô 1694. quô primùm, poſt ſupra relatum hinc Patrum diſceſſum in ſæpe memoratis Provinciæ Actis ſequêntes huc è Fratribus diſpoſiti deprehenduntur nimirùm: M. V. P. Raphaël Götz Superior, & Conc. Act. M. V. P. Andreas Dulſzki Conc. Act. & Fr. Dionyſius Erdélyi Laicus.

Conventûs noviter ædificari incipit.

N. 257. Poſtquàm verò hi, eorúmque Succeſſores, ex collectis à zeloſis fidelibus Eleëmoſynis, Tractum unum, illum nempe, qui à Turri moderna ad Coquinam protenditur, è fundamentis extruxiſſent, neque ulteriùs neceſſariis carentes impenſis progredi valuiſſent, tunc primùm, ſpecialis ſupra memorati Excellentiſſ. D. Comitis Stephani Kohári acceſſit favor, quô ad totalem tam Conventûs, quàm Eccleſiæ perfectionem neceſſarios contulit ſumptus, unde perfectô ædificiô, comparatísque omnibus, quæ ad conſtituendum Conventum formalem neceſſaria forent, Reſidentia hæc numero Conventuum aggregata eſt An. 1727. in Congregatione Die 11. Maji Szécsénii celebrata, ubi in Proto-Guardianum electus fuit M. V. P. Lucas Danielſzki.

Com. Kohári ædificium continuat, & complet.

Ex Reſid. fit Conventus.

Fundator Conventûs.

N. 258. Hinc meritò Conventus hic Fundatorem ſuum agnoſcit Excell. D. Comitem Stephanum Kohári, poſt fata verò ejusdem Excell. D. Andream Kohári, ſicut Fratrem, ità & in Bonis omnibus defuncti Succeſſorem, qui non parùm contulit ad Eccleſiæ hujus Complementum.

Conventus exuritur, ſed mox reſtauratur.

N. 259. Etſi verò Conventus hic non leve acceperit detrimentum paucis ab hinc annis, nempe 1753. dum 2. Auguſti, finitâ Portiunculæ Solemnitate, orto in Oppido incendio, ac etiam ad Conventum perlato igne, tectis omnibus ſpoliatus fuit, damna tamen ferè omnia hac occaſione Conventui illata reſarcivit pia libertas, tum Excell. D. Fundatoris Andreæ Kohári, tum aliorum piorum Benefactorum.

Cellæ, Studium.

N. 260. Stat nunc Conventus hic in ſua debita perfectione, in quadro poſitus, Cellas pro Patrum, & Fratrum inhabitatione habens viginti duas, præter neceſſarias Officinas, & aliqua Sacræ Eleëmoſynæ Conſervatoria. Unicus hic

Philo-

Philoſophiæ curſus abſolutus fuit in annis 1739. & 1740. Lectore M. V. P. Gervaſio Csáki, de alio Studio hic habito nulla eſt memoria.

§. IV.

Brevis relatio de Erectione modernæ Eccleſiæ, ejúsque Statu.

N. 261. HAnc, in qua actu diu, noctúque DEO famulantur Fratres noſtri Fülekienſes, Eccleſiam à fundamentis poſuit pia liberalitas, pluries memorati Excell. D. Comitis Stephani Kohári de Csábrág, Curiæ Regiæ Judicis &c. ídque circa Annum Dom. 1725. quo debitam ſuam accepiſſe fertur perfectionem, excepta Turri, quæ An. 1727. elevari cœpit, & ſequenti ad ſtatum perfectum aſſurrexit. Com. Kohári Eccleſiam fundat.

N. 262. Quia verò corpus, ſeu navis Eccleſiæ, paucis à ſui erectione elapſis annis omnibus ruinam minaretur, timendúmque erat, ne fors Plebs in ea congregata, murorum, & totius Structuræ caſu obruatur, primùm de conſilio peritorum in arte Opificum válidis ferramentis ligatum, conſolidatúmque eſt, dein verò, quia nec ſic firmitatem ejus, ſtabilitatémque ſperare liceret, ad relegandum omne periculum, totum Eccleſiæ Corpus funditùs everſum, & novum à novis, ſolidioribúsque fundamentis, piiſſimi, ac liberaliſſimi Fundatoris expenſis eſt erectum, in annis 1729. & 1730. Abſumpſerat tectum Vulcanus, annô ſupra notatô, ſed pia Benefactorum liberalitas paulò poſt aliud poſuit. Corpus Eccleſiæ ruinæ obnoxium primò ferramentis ſolidatur, dein ex novo ædificatur.

N. 263. Nunc igitur Eccleſia quoque in ſua perſiſtit perfectione, (ſi turris ejus excipiatur, quæ novum deſiderat tegumentum) ſex Altaribus decorata, & annô 1732. Feria 2dâ Pentecoſtes per Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Com. Sigiſmundum Berényi Epiſcopum Mallenſem, & Suffraganeum Srigonienſem in honorem B. Virginis Mariæ in Cœlos Aſſumptæ (unde Eccleſiæ, & Conventui Titulus) unà cum Ara Majori conſecrata. Conſecratio Eccleſiæ & Aræ majoris.

N. 264. Porrò Altaria ſunt ſequentia: Principale, ſeu Majus B. V. Mariæ ad Cœlos Aſſumptæ, eodem, quo Eccleſia Patrono, annô 1727. poſitum. *Alterum* eſt S. Antonii Paduani, *Tertium* S. Joannis Nepomuceni; utrùmque unâ cum Suggeſtu Concionatorio, ſeu Cathedra, munificentia Excell. Comitis Andreæ Kohári erectum. *Quartum* Altare eſt S. P. N. Franciſci. *Quintum* SS. Trinitatis. *Sextum* denique B. V. Mariæ Doloroſæ, quæ Fratrum Noſtrorum induſtriâ & Benefactorum diverſorum concurſu ſunt erecta, nullum horum, præter majus, hactenus eſt conſecratum. Altaria.

Conditorium Corporum Defunctorum ſubterraneum hic nullum habetur, fors ob aquam, apertâ terrâ mox ſtagnantem. Nihilominus pro Fratribus Noſtris tumulandis, habentur infra Chorum aliquot foramina, ſeu repoſitoria in ſuperficie terræ erecta in quæ defunctorum Fratrum Corpora recondi ſolent. Viget etiam in hac Eccleſia Congregatio S. P. N. Franciſci, ſeu Chordigerorum, præter alias conſvetas Devotiones.

SUPERIORES HUJUS CONVENTUS.

Annô
1531. P. Franciſcus de Keſzi.
1533. P. Andreas de Deva.
1540. P. Joannes de Bolgár.
1542. P. Franciſcus de S. Benedicto.
1544. P. Michaël de Erkid.
Poſt hunc nemo hic reperitur fuiſſe uſque ad annum 1610.
1612. P. Nicolaus Felnémethi Præſid.
1613. Idem Guardianus.
1616. P. Joannes Nyirö Præſid.
Iterum Locus eſt derelictus.
1629. P. Mathias Leo Guard
1635. P. Georgius Jáſzai.
1638. P. Michaël Patai.
1641. P. Joan. Bapt. de Gyöngyöſs.
1644. P. Jacobus Nitrai.
1646. P. Ægidius Schemnitzienſis.
1647. P. Joan. Bapt. de Gyöngyöſs.

1649. P. Ægidius Schemnitzienſis.
1650. P. Andreas Fábri.
1651. P. Caſparus Jáſzberényi.
1656. P. Nicolaus Michalik.
1657. P. Didacus Fülekpüſpöki.
1660. P. Andreas Fábri Prov. Pr.
1663. P. Martinus Ludányi.
1665. P. Athanaſius Erdöſs.
1667. P. Ambroſius Iványkovics.
1668. P. Benedictus Pellionis.
1669. P. Matthæus Baróthi.
1671. P. Andreas Phülöp.
1672. P. Gerardus Kecskeméti.
1674. P. Nicolaus Honti.
1675. P. Athanaſius Erdöſs.
1677. P. Georgius Szécsényi.
1679. P. Paulus Szegedi.
1680. P. Gregorius Fodor.
1681. P. Conradus Maskóczi.

Sub hoc, anno 1687. Conventus ruinatus, & derelictus eſt.

1694. P. Raphaël Götz Superior.
1696. P. Gerardus Kecskeméti Præſ.
1698. P. Nicolaus Andráſi.
1699. P. Sylveſter Vas.
1701. P. Athanaſius Sziſto.
1702. P. Fortunatus Föczén.
1708. P. Franciſcus Koós.
1710. P. Sylveſter Vas.
1712. P. Baſilius Maroti.
1713. P. Alexander Sütö.
1714. P. Fortunatus Foczén.
1715. P. Raphaël Götz.
1717. P. Caſparus Szenczi.
1718. P. Innocentius Saárközi.
1719. P. Joannes Kutaſi.
1720. P. Sylveſter Vas.
1721. P. Jacobus Luboczi.
1723. P. Dominicus Vodnap.
1724. P. Franciſcus Koós.
1725. P. Joannes Kutaſi.
1726. P. Bernardinus Horváth:
1727. P. Lukas Danielſzki Proto-Gu.
1728. A. R. P. Petrus Roll.
1729. P. Joannes Bacſa.
1730. P. Nicolaus Nagy.
1731. P. Franciſcus Györi.
1732. P. Emericus Szent-Királyi.
1735. P. Paulus Vajda.
1736. P. Joannes Kutaſi.
1737. P. Antonius Beſenyei.
1739. R. P. Stephanus Novák.
1741. R. P. Dionyſius Paláſti.
1742. P. Stephanus Fiſſer.
1743. P. Paulus Siket.
1744. P. Matthæus Jancſek.
1745. P. Urbanus Nedeczki.
1746. P. Laurentius Ruſvai.
1747. P. Florentius Cſapó.
1748. P. Dionyſius Major.
1749. R. P. Adalbertus Kalcsó.
1750. P. Petrus Greskovics.
1752. R. P. Adalbertus Kalcsó.
1753. P. Emericus Szóvai.
1754. P. Joſephus Komlóſi.
1755. P. Philippus Kriſton.
1756. P. Sigiſmundus Balás.
1757. P. Martinus Olaſz.
1758. P. Philippus Kriſton.

XXII. CONVENTUS VACZIENSIS AD SANCTAM CRUCEM.

§. I.

De Oppido Vaczienſi.

N. 765. OPpidi Vaczienſis Natales Bonfin. Inchofer. Turócz. ac plerique è recentioribus Scriptores ad Gejzam I. Hung. Regem referunt. Ajunt enim, dum Gejza, & Ladislaus Fratres, priuſquam cum Salomone confligerent, in loco, ubi nunc Vaczia eſt, tunc verò magnum fuerat nemus, conſediſſent, Eremicolam, cui Vaczio nomen erat deprehenderunt, à quo de futura victoria certiores facti, ac poſt hoc eam conſecuti, excisis ſylvis, primò magnam Divæ Virgini Baſilicam, dein Civitatem condiderunt. Hæc tamen opinio non omnibus placet, qui volunt Oppidum cum Epiſcopo, jam dudum præextitiſſe, adeoque à Gejza non fundatum, ſed auctum tantummodo fuiſſe. Origo Oppidi Vaczienſis.

Quidquid eorum fuerit, eſt Civitas Epiſcopalis, in Comitatu Peſtienſi, ad Danubii ripam locata, quatuor Budâ, ſex verò milliaribus Strigoniô diſtans. Cæterùm à ſitu, & loci amœnitate, ſoli fertilis ubertate, vini generoſi, & ſimul copioſi præſtantia, nec non commerciorum multitudine ubique clara. Munitam eam olim fuiſſe, unà cum Caſtro ad Danubii ripam locato, è variis Scriptorum relationibus patet: nunc omnis munitionis expers eſt. Ejus Situs.

Triplicis labii continet populum, & quidem copioſum, Hungarici nempe, Germanici, & ex parte etiam Slavonici, qui totus quantus Orthodoxæ Fidei rudimentis eſt imbutus, ſed in duas circa annum Dom. 1745. diviſus Parochias, Superiorem nempe ad S. Michaëlem Archangelum, & Inferiorem ad D. Nicolaum Epiſcopum. Cùm enim V. Capitulum Vaczienſe Civitatis hujus Octavalitatem, titulô crediderim, & jure Fundationis poſſidere cœpiſſet, ob idque Civitas in duos Magiſtratus Sæculares, quorum unus Epiſcopo, alter Capitulo ſubeſſet, diviſa fuiſſet, occaſionem præbuit Jurisdictionem quoque Parochialem in duas, ùt mox dictum eſt, partiri Paræcias. Unde præter Cathedralem S. Michaëlis Eccleſiam, quatuor aliis gaudet Sacris Ædibus, nempe S. Nicolai æquè Parochiali, circa annum 1746. extrui cœpta, PP. Prædicatorum, PP. à piis Scholis nuncupatorum (qui Juventutem uſque ad Rhetoricam erudiunt) & PP. Ord. Minor. Strict. Obſerv. de quorum Eccleſia, & Monaſterio mox plura dicemus, Quare ſit. Populus triplicis linguæ. Duplex Parochia. Eccleſiæ.

§. II.

De Fratrum Noſtrorum in Civitatem Vaczienſem Introductione, & Loci pro Nobis per Cæſaream Majeſtatem Confirmatione.

N. 266. POſt diuturnum armorum ſtrepitum, reddita Hungariæ optatiſſima pace, cùm avita Religio non poſtrema ſumeret incrementa, Populúsque Catholicus ſicut alibi, ita in hac quoque Civitate creſcere, & multiplicari cœpiſſet, providentiſſimus, & ſimul piiſſimus Loci Antiſtes, Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis D. Michaël Fridericus è Comitibus ab Althann, de multiplicandis quoque Spiritualibus operariis cogitare cœpit. Igitur requiſitis Provinciæ noſtræ Superioribus Locum Arcis in Civitate inferiori ad ripas Danubii olim ſitæ, at impii Mahometis Aſſeclarum furore penitùs dirutæ, & deſolatæ, Fratribus noſtris incolendum obtulit, imò cum demiſſa gratiarum actione acceptatum An. 1719. Die 3. Menſis Maji Pontificalibus indutus, ducta ex Cathedrali Eccleſia ſolemni Locus à noſtris acceptatur.

Ab Eminentiſſ. Cardinali benedicitur.

Proceſſione, locum ipſum ritu Eccleſiæ benedixit, Crucémque in Signum futuri Conventûs, & Eccleſiæ erexit, & quia dies illa, puta 3. Maji, Inventioni Salutiferæ Crucis Chriſti Sacra fuit, Conventum quoque ædificandum ad Sanctam Crucem denominari, & Fratres Minores ſub hoc Titulo ibidem Deo famulari voluit.

PP. Mariani proteſtantur cõtra acceptationem.

267. Non leviter diſplicuit hoc factum Patribus vicinæ Provinciæ S. Mariæ, quapropter ſolemnis per eosdem Patres contra hanc noſtri in Civitatem Vaczienſem introductionem, interpoſita fuiſſe fertur Proteſtatio. Verùm re ad altiora fora, utpote ad Cæſareo-Regiam Majeſtatem delatâ, & ſeptem ferè Menſium ſpatiô agitatâ, tandem favorabiliter ceſſit Provinciæ noſtræ Auguſtiſſimus námq; Romanorum Imperator, & Hungariæ Rex Carolus VI. non modò locum hunc, Litterásque fundationales, paulò ante memorati Eminentiſſimi D. Cardinalis, & Epiſcopi Vacziensis benignè ſtabilivit, verùm omnes Provinciæ noſtræ Conventus, Reſidentias, & Diſtrictus, pro colligenda Sacra Eleëmoſyna nobis deſignatos Cæſareo-Regio Diplomate confirmavit; quod hic de verbo ad verbum inſerere placuit.

Sed locus pro noſtris confirmatur.

Diploma Caroli VI. Imp. Confirmatoriũ Loci Vacziensis & omnium Provinciæ noſtræ Cõventuum.

N. 268. NOS CAROLUS VI. Romanorum Electus Imperator ſemper Auguſtus &c. &c.

MEmoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes quibus expedit Univerſis. Quod fideli noſter Reverendus, Spectabilis, ac Magnificus Michaël Fridericus Epiſcopus Vacziensis, S. R. Imperii Comes ab Althann, Liber Baro in Goldpurg, & Mihrſtetten, Abbas S. Petri de Tapolcſa, Noſtræ Regiæ Capellæ Bohemicæ ad omnes Sanctos, & Collegiatæ Eccleſiæ Boleslavienſis ad SS. Coſmam, & Damianum Præpoſitus, ac Cathedralium Eccleſiarum Olomucenſis, & Vratislavienſis Canonicus, nec non Conſiliarius Noſter: nec non Religioſus P. F. Petrus Roll, Provinciæ ſub Titulo SS. Salvatoris in Hung. Ord. Fratrum Min. Reformatorum Stric. Obſerv. S. Franciſci Seraphici, attunc Miniſter Provincialis, ſuo ac reliquorum ejuſdem Ordinis, Provinciæ Religioſorum Patrum, & Fratrum Nominibus, & in perſonis exhibuerint Nobis, & præſentaverint, certas quaſdam litteras fundationales in ſimplici papyro patenter confectas, ac in Epiſcopali Civitate Vacziensi die 14. Menſis Aprilis Annô 1719. modo labenti infra ſcripto emanatas, Syngraphâ, & uſuali ſigillô memorati Epiſcopi Vacziensis, in inferiori earundem margine impreſſivè communitas, quibus mediantibus mentionatus Epiſcopus Vacziensis, Michaël Fridericus Comes ab Althann, zelô devotionis, aliísque piis, & ſalutaribus ex cauſis, atque motivis, ibidem uberiùs expreſſatis animum ejusdem permoventibus inductus, prælibatos Religioſos Ord. S. Franciſci Seraphici, ſuprafatæ Provinciæ SS. Salvatoris, in antelatam Civitatem Vacziensem recepiſſe, eoſdémque ad fundum, ſeu locum eatenùs exciſum, & aſſignatum, cum reali poſſeſſione, ſuô modô, & ordine introduci feciſſe dignoſcebatur, tenoris infraſcripti. Supplicatum itaq; extitit Majeſtati Noſtræ, Nominibus, & in Perſonis memoratorum Epiſcopi Vacziensis, Comitis ab Althann, quà Fundatoris, nec non ſuprafati P. F. Petri Roll, totius præfatæ Provinciæ Nomine demiſſa cum inſtantia humillimè, omniaque & ſingula in iisdem contenta ratas, gratas, & acceptas habentes, litteriſque noſtris Privilegialibus inſeri, & inſcribi facientes, Authoritate Noſtra Regia approbare, ratificare, conſenſuque Noſtro Regio, roborare, ac pro iiſdem Patribus, ac Fratribus totaque præſpecificata Provincia, & eorum Succeſſoribus univerſis, perpetuo valituras, gratioſè confirmare, ac præterea mentionatus P. F. Petrus Roll nomine etiam totius repetitæ Provinciæ eatenùs humillimé inſtitit, quatenùs videlicet Nos ſuprema Cæſareo-Regia Authoritate Noſtra, eosdem antelatæ Provinciæ SS. Salvatoris Religioſos, eorumdémque Succeſſores univerſos, non modo in novo adepta Reſidentia, & Fundatione Vacziensi, verúm etiam in omnibus, & ſingulis Conventibus, ac Reſidentiis eorumdem virtute adeptæ deciſionis, vulgò Lazarianæ dictæ, per Nos etiam jam antehac clementer ratihabitæ, & confirmatæ, ad prætactam Provinciam Salvatorianam ſpectantibus, ab infra nominetenùs recenſendis, & in certa ſignatura Nobis demiſsè exhibita appoſitis, & com-

& comprehenſis facultateque mendicationum, & ſolitarum collecturarum intra limites, per eandem deciſionem Lazarianam, utpote in Tranſdanubianis partibus, uſque littora Danubii, & Nitriæ fluviorum (excepto ſolo Conventu Peſtienſi, ad Provinciam Marianam adjudicato, eidem collectura, ſeu mendicatione tranſdanubium in locis ad duo milliaria in longitudine, & latitudine Peſtino diſtantibus, per expreſſum conceſſa, & admiſſa) poſitos, atque ſtatutos, liberè ac inviolabiliter exercenda clementer protegere, ac manu tenere, ac ſub ſpecialem tutelam Noſtram Cæſareo-Regiam aſſummere dignaremur, quarum quidem litterarum fundationalium tenor ſequitur in hunc modum: Nos Michaël Fridericus Dei Gratia Epiſcopus Vaczienſis S. R. Imperii Comes ab Althann &c. &c. Damus pro memoria, ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quòd cùm Nos ad demiſſam inſtantian V. in Chriſto P. Petri Roll S. Ord. Seraphici Prov. SS. Salvatoris Act. Miniſtri Provincialis, Nobis propterea, ut S. Seraphicum Ordinem in hancce Civitatem Noſtram Epiſcopalem recipere dignaremur, debita cum humilitate factam, ſicut etiam conſideratis, & attentis ſalutaribus, & zeloſis meritis PP. & FF. ejuſdem S. Ordinis jam fatæ Provinciæ Salvatorianæ, in Diœceſi Epiſcopatûs hujus noſtri, vel maximè ſub id tempus, quò major pars Regni hujus Hungariæ, Ottomanicæ Tyrannidis, naturalis quippe Chriſtiani Nominis hoſtis jugum tolerare, ſub eoque ingemiſcere cogebatur, pro conſervanda Fide Catholica; ac ex poſt in præſentiarum uſque fervidè & conſtanter, ſub continua Fratrum utiliſſime ſervientium de Szegedienſi, Gyöngyöſſienſi, Szécsénienſi, Clauſtris, prout & Fülekienſi, ac Jászberénienſi Reſidentiis exmiſſione præſtitis, in futurùmque pari devotionis obſequiô exantlandis; potiſſimum autem viſô eô, quòd partes hæ fluctibus duplicis hæreſis, Luthero utpote, & Calvino deditæ, ſed & perpenſo, quòd tum in exmiſſione ſubjectorum, pro Animarum Salute deſudantium, & in eum finem ex remotioribus Clauſtris huc exmittendorum, maxima fatigia, & viarum incommoda ſubſequerentur; tum etiam, quòd memorata Provincia Salvatoriana, ad ripam Fluminis Danubii Clauſtrum, ubi ſolita materialia pro ædificiis, & neceſſitatibus propriis, totiuſque Provinciæ deſervientia, ac beneficiô jam dicti fluvii demitti aſſolita, reponi, ac conſervari quirent, nullibi haberet extructum. Ac proinde muneri Noſtro Paſtorali omnimode ſatiſfacere ſatagentes, in augmentum Gloriæ Dei, promotionem Salutis animarum, propagationemque Orthodoxæ, ac unicæ Salutiferæ Fidei Romano-Catholicæ, animô deliberatô, præhabita etiam conſultatione, & unanimi voto Venerabilium Fratrum, Capituli hujus Cathedralis Eccleſiæ Noſtræ Vaczienſis, eoſdem Patres, & Fratres mentionati Ord. Seraphici ſuprafatæ Prov. SS. Salvatoris, in hanc Civitatem Noſtram Epiſcopalem Vaczienſem admittendos, & reciendos, iiſdémque pro æquo, & juſto fundum, & locum aſſignandum, & excindendum decrevimus, prout actu, & de præſenti talem in inferiori parte Civitatis, antiqua nimirum Arce ſeu dirutô Fortalitiô, ita tamen, ut rudera mœniorum, & lapides ibidem exiſtentes in ſuo eſſe permaneant, ac Salva ſemper in his Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ, velut Supremi Principalis terræ benigniſſima facultate, & conſenſu denominamus, & deſignamus, atque mediô Syndici (ſeu ut vocant) Spiritualis, Joannis Georgii Metokovics, in realem poſſeſſionem eoſdem introduci curavimus, ſpe freti id ipſum Suceſſoribus quoque in Epiſcopatu Noſtris pergratum fore. Datum in Epiſcopali Civitate Noſtra Vaczienſi, loco quippe ſolitæ Reſidentiæ, ipſa die 14. Menſis Aprilis Annô à Nativitate Domini 1719. Michaël Fridericus Epiſcopus Vaczienſis (L. S) ſignatura verò, ſeu ſeries prænuncupatorum Conventuum, & Reſidentiarum talis eſt:

Conventus Gyöngyöſſienſis, Szegedienſis, Szakolczenſis, Caſſovienſis, Galgoczienſis, Sebeſſienſis, Cremniczienſis, Sztropkovienſis, Homonnenſis, Pruſzkenſis, Szendrövienſis, Beczkovienſis, Kecskemetienſis, Eperjeſſienſis, Szécsénienſis, Agrienſis, & Okolicſnenſis, Reſidentiæ autem Bartphenſis, Varadienſis, Fülekienſis, Jasz-berénienſis, Levenſis, Szolnokienſis, Solnenſis, Nagy-Szöllöſienſis, Debreczinenſis, Tömösvarienſis, & Kaplyonenſis, & jam etiam Vaczienſis. Nos itaque hujuſmodi præmentionatorum Epiſcopi Vaczienſis, Comitis ab Althann, & Religioſorum PP. & FF. repetitæ Provinciæ Salvatorianæ d miſſa ſuplicatione noſtræ, modò, quô ſuprafacta Majeſtati benignè exaudita,

clementer & admissa, tum ob id, tum verò pio, & ingenito Majestati Nostræ, quô erga hunc S. Ordinem, ejusque Fundatorem S. Franciscum Seraphicum ducimur zelô, & veneratione, non secùs etiam benignè consideratis ejusdem Provinciæ Salvatorianæ in partibus illis, dum adhuc sub jugo Turcarum diutissimis temporibus gemebant, assiduâ animarum curâ & verbi Divini prædicatione, multifariisque per Turcas persecutionibus, vexationibus, & diris verberibus, ac incarcerationibus, truculentisque cruciatibus, & necibus pro Deo & salute animarum patienter toleratis, præinsertas Litteras Fundationales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, præsentibusque Litteris Nostris Privilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione, & augmento aliquali insertas, & inscriptas quoàd omnes earundem continentias, clausulas, & articulos ratas, gratas, & acceptas habentes, authoritate nostra Cæsareo-Regia non solùm approbavimus, ratificavimus, consensuque nostro Regio roboravimus, proque prænotatis Provinciæ Salvatorianæ Religiosis, & eorum successoribus Universis, perpetuò valituras gratiosè confirmavimus: verùm etiam sæpe repetitos Provinciæ SS. Salvatoris Religiosos eorumque Successores Universos, respectu prærecensitorum Monasteriorum, seu Conventuum, ac Residentiarum, in quarum nempe actuali possessione existerent, prout & quoàd mendicationes, & collecturas juxta prædictam decisionem Lazarianam eisdem competentes, atque perturbatè observandas in benignam protectionem, specialémque tutelam, & defensionem Nostram Cæsareo-Regiam, clementer assumpsimus, imo assummimus, acceptamus, approbamus, ratificamus, roboramus, confirmamus, benignumque consensum Nostrum Regium, ac benevolum pariter præbemus & assensum. Harum Nostrarum Secretô Sigillô Nostrô, quô ùt Rex Hungariæ utimur, impendendo. Communiter vigore, & testimonio litterarum mediante. Datum per manus Fidelis Nostri Nobis Dilecti, Spectabilis, ac Magnifici Comitis Illes-Házi de eadem &c &c. per dictum Regnum Nostrum Hungariæ Aulæ Cancellarii, in Civitate Nostra Vienna Austriæ die 30. Mensis Octobris, Annô Domini 1719. Regnorum Nostrorum Romani IX. Hispaniarum XVII. Hungariæ verò, Bohemiæ & reliquorum Annô æquè IX.

CAROLUS (L.S.)

Comes Nicolaus Illes-Házi.

§. III.

De Erectione Conventûs, & ejus Statu moderno.

N. 269. RElato Diplomate Cæsareo-Regio in loco Vaczienſi confirmati & ſtabiliti Fratres Provinciæ Noſtræ, dum de Conventu, & Eccleſia erigendis deliberant, en Cœlo digna liberalitate in Religioſos prædituſ offert ſe Patronus, Excellentiſſ. nempe Illuſtriſſ. D. Com. Stephanus Kohári Judex Curiæ 30. florenorum millia pro loco hoc deſignando, ea quidem intentione, ut expenſis 20. millibus in Conventûs, & Eccleſiæ ſtructuram, de remanentibus 10. millibus, ad locum ſecurum elocatis futuris Fratrum neceſſitatibus provideatur.

Com. Stephan. Kohári offert 30000. fl. pro Conv. ædificando.

N. 270. Quæ pia intentio, ut tantò celeriùs optato mandetur effectui, mox annô ſequente, videlicet 1720. die verò 8. Menſis Maji poſitus eſt conſueta cum ſolemnitate pro futuro Conventu, & Eccleſiâ, primus lapis angularis, per Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Andream Berkeſs Electum Epiſcopum Heraclienſem, & Suæ Eminentiæ Cardinalis, & Epiſcopi Vaczienſis Suffraganeum. Cui Solemnitati præter Fratres hic commorantes interfuêre omnes totius V. Diffinitorii Patres, videlicet: A. R. P. Ludovicus Kitska Miniſt. Prov. A. R. P. Ambroſius Gaſtel Prov. Pater Emer. A. R. P. Joſephus Bedè Prov. Cuſtos. R. P. Patritius Haberle Prov. Dif. Act. R. P. Martinus Waczulik Prov. Dif. Act. R. P. Michaël Móra Prov. Dif. Act. & R. P. Caſparus Szenczi P. Dif. Act.

Ponitur 1mus lapis.

N 271. Sic igitur primo lapide poſito, ac perfectô unô Tractu Conventûs, & Eccleſiæ Sanctuariô, cum corporis parte, placuit tandem mox memorato Illuſtriſſ.

luſtriſſ. D. Suffraganeo puſillum Gregem Seraphicum, ex antiqua Reſidentia (quæ è regione Eccleſiæ versùs plateam ſeu viam communem poſita fuerat) ad recens erectum ædificium inducere, Eccleſiam, & Conventum, ejusdémque Cubicula benedicere, quod annô 1726. die S. Emerico Hungariæ Duci Sacra, præſente R. P. Bernardino Biró Cuſtode, & M. V. P. Dionyſio Paláſti, Conventûs Gyongyöſſienſis Guardiano, ſub Præſidentatu M. V. P. Raphaëlis Cſaſzta acciditſe Hiſtoria hujus Religioſæ Domus teſtatur. Partes noſtri ex antiqua Reſidentia ad novũ ædificium tranſeunt.

N. 272. Etſi verò ſumma à profuſiſſimo Benefactore Comite Stephano Kohári, ædificio deputata, fatô quodam ex parte non levem ſubierit jacturam, nihilominùs induſtriâ Superiorum loci hujus ex variis piorum oblationibus ſenſim Conventus in ſua proficiebat ſtructura, ita, ut annô 1731. jam ſufficientium ad conſtituendum Conventum Perſonarum capax, in Capitulo 10. Menſis Junii Galgoczii celebrato, Conventûs Titulô decoraretur, electô in Proto-Guardianum M. V. P. Blaſiô Szilágyi, immediato Reſidentiæ hujus Præſidente. Ædificium continuatur, & Reſidentia in Conventum erigitur. Proto-Guardian.

N. 273. Denique ſucceſſu temporum ſolertiore admota manu plenariam conſecutus perfectionem, actu jam in ſuo eſſe perfecto conſtitutus, & imbricibus unâ cum Eccleſia tectus, continet in tribus Tractibus (in quarto enim ex parte Eccleſiæ nulla eſt) ſuperiùs, & inferiùs pro habitatione Patrum, & Fratrum Cellas tres ſupra triginta, præter neceſſarias Officinas, utpote Coquinam, Diſpenſam, & hujuſmodi. Hortum quoque ex parte, quâ Orientem reſpicit, habet ſatis amplum, & commodum. Modernus Conventûs Statûs.

Quod Studia concernit An. 1732. dum in hoc Conventu A. R. P. Martinus Waczulik primam die 17. Maji intermediam Congregationem celebraret, è Conventu Kecskemetienſi ex undecim Philoſophis ad hunc Conventum translati ſunt quinque, quibus ad continuandam Phyſicam aſſignatus eſt Lector M. V. P. Vincentius Gyürcſehi, cui die 3. Novembr. ex hac vita ad meliorem translato, ſucceſſit M. V. P. Ferdinandus Fiala, & hic tandem Philoſophiam terminavit. Continuatum deinde fuit hic Studium Philoſophicum pluribus annis, & actu quoque id ipſum traditur, licèt aliquot annis etiam Theologia Moralis traderetur. Congregatio Diffinitorialis hic celebrata. Studia hic habita.

Et hæc ſunt, quæ de hoc Conventu ſciri poterant, nunc quæ Eccleſiam ejus concernunt, videantur. Quare ſit

§. IV.

De Eccleſia, eámque concernentibus.

N. 274. QUo tempore primus Conventûs Tractus, eodem ferè Eccleſiæ quoque Sanctuarium, ſuum ſumpſit Exordium, atque etiam cum primis duabus in corpore Capellis Complementum. In hac Eccleſiæ parte annis propè 30. Divina peragebant Patres noſtri, quinque Altaribus in ea erectis. Primum, ſeu Majus dictum (ſtructura, majeſtate, magnitudine paucis ſecundum) extrui fecit Excell. Com. Stephanus Kohári in honorem S. Stephani Proto-Martyris, licèt Conventus ipſe honori, & venerationi Salutiferæ Crucis Chriſti ſit dicatus. Altare hoc ter mille ducentos octuaginta ſex florenos Rhenanos conſtare fertur. A tergo hujus Altaris ſupernè extat Chorus, in quo Laudes Divinæ diũ, noctúque perſolvebantur, ſubtus verò Sacrarum Veſtium Conditorium vulgó Sacriſtia. Structura Eccleſiæ. Altare Majus à C. Kohári erectum.

Secundum Altare ex parte Evangelii Aræ Majoris, eſt S. Joan. Nep. expenſis Reverendiſſ. D. Pauleſics V. Capituli Vaczienſis Canonici, poſt etiam Vicarii Generalis An. 1728. erectum. Ex parte adverſa verò B. V. MARIÆ Doloroſæ, poſitum eodem annô, impenſis Gen. D. Georgii Szabó Civis Vaczienſis. Quartum Altare in prima Capella Corporis Eccleſiæ eſt, S. P. N. Franciſci, quod pariter eodem An. 1728. poſuit Archi-Confraternitas ejuſdem S. Patris, ſeu Chrodigerorum. Secundum Altare.

Imago S.P. Franciſci miraculoſa.

N. 275. Huic Aræ applicata manet, liſtæ decenti ſub vitro incluſa Imago Seraphici S. Patris, à miraculo, quòd cuidam Sacerdoti Ordinis noſtri in Conventu Barienſi graviter decumbenti locuta fuiſſet, celebris. Hanc Eccleſiæ huic donô dedit Excellen. D. Michaël Carolus ab Althann Epiſcopus Vaczienſis, qui pari modô donatione eandem accepit, dum Barii in Conventu Fratrum Minorum, ubi hoc Miraculum accidiſſe fertur, commoraretur. Porrò Miraculi hujus authenticum teſtimonium conſervatur penes præfatam Imaginem, quod hìc de verbo ad verbum apponere placuit. Ita autem ſonat:

Teſtimonium de patrato Miraculo.

NOs infraſcripti Fratres, commorantes in hoc Venerabili Conventu S. Petri Civitatis Barii, Ordinis S. Franciſci, hujus Obſervantium Provinciæ S. Nicolai atteſtamur, quibuſcunque, & ad quoſcunque hanc ſcripturam videre pertinet, aut quô quô modô præſentata fuerit. Qualiter nobis conſtet per atteſtationem Religioſorum, qui ocultati teſtes fuerunt, & ſpecialiter per veridicam relationem R. P. Joſephi Antonii de Faſano, ejuſdem Ordinis, qui notavit hunc miraculoſum eventum, citans P. F. Jacobum de Bario, qui erat Confeſſarius infirmi, pariter Dominum Vitum Volpe, Doctorem Medicum Ordinarium hujus noſtræ Infirmariæ, qui ſtatim ordinavit dicto infirmo, ut ultimum reciperet Sacramentum. Qualiter 2. Septembris Anni 1706. quædam Imago S. P. N. Franciſci, picta ſupra telam quadrangularem, longitudinis quatuor palmorum, & quadrantis, latitudinis verò trium palmorum, & medii, in actu contemplationis versùs Crucifixum, quem in manibus tenet, cum uno Seraphino, & Calvaria ad latus extenſa, dicta Imago ſuper ſloream, quòd locuta fuerit Religioſo Sacerdoti P. F. Joſepho de Terlizzo, febre continua ægrotanti, exhortando ipſum ad patientiam, ut adhuc per duas dies ſufferat infirmitatis ſuæ dolores, dum octavâ noctis horâ, quarta die ejuſdem Menſis anima ſua volatura ſit in Cœlum, ut ſecum fruatur æternis bonis. Et ita factum eſt. Unde dictæ veritati fidem præſenti Scriptô Communimus, & confirmamus, propriæ manus ſcriptione: appoſitóque dicti Conventûs Sigillo. Hodie 15. Octobris 1729.

Ego Fr. Laurentius Allo de Riſceglia ex Provincialis, & Guardianus dico prout ſuprà MP.
Ego Fr. Michaël de Bittonto Confeſſarius, & Vicarius, dico prout ſuprà MP.
Ego Fr. Theodoſius de Monopoli Confeſſarius dico, prout ſuprà MP.
Ego Fr. Alexander de Putignano Conf. Miſſionarius Apoſtolicus, confirmo ùt ſuprà MP.
Ego Fr. Antonius de Bittonto Conf. dico ùt ſuprà MP.
Ego Fr. Joſephus de Giovinazzo Conf. dico ùt ſuprà MP.
Ego Fr. Antonius de Ceglie Conf. ad S. Nicolaum dico ùt ſuprà MP.

Quintum Altare.

Denique quintum Altare in prima Capella Corporis Eccleſiæ ex parte ſiniſtra eſt S. Antonii Pad. quod Patronum habuit Spect. D. Michaëlem Magòcſi I. Comitatûs Peſthienſis Ord. Vice-Comitem Annô 1727.

Modernus Eccleſiæ Status.

Cæterùm, ſiquidem faventibus Superis, Eccleſia jam plenariam adepta ſit quoad ſtructuram perfectionem, quinque adhuc ſuperſunt loca pro Altaribus erigendis accomoda, quibus ſi Lauretanum addetur, numerabit Eccleſia hæc Altaria undecim.

Particula Crucis per Cardinalē donata.

N. 276. Habetur in hac Eccleſia Particula de Cruce illa, in qua Salvator Mundi mortem moriendo ſuperavit. Particulam hanc Cruci argenteæ ſub chryſtallo incluſam donô huic Eccleſiæ dedit ſupra memoratus Eminentiſſ. D. Card & Epiſc. Vaczienſis, imò ipſe ſolemni cum Proceſſione huc detulit die 13. Septembris Annô 1729.

Particula de Oſſibus S. Fauſtæ Mart.

N. 277. Habetur etiam non exigua particula de Oſſibus S. Fauſtæ Mart. quæ in Tabernaculo Altaris B. V. MARIÆ Doloroſæ, argenteo, & inaurato oſtenſorio, expenſis Tertii Ord. S. Franciſci effabricato incluſa aſſervatur, & ſingulis

Domi-

Dominicis Novilunii poſt conſuetam ad Fratres, & Sorores ejuſdem Ord. Exhortationem Populo confluenti veneranda, & deoſculanda exhibetur.

Præter Congregationem Chordigerorum S. P. N. Franciſci viget quoque Tertius Ordo. Tertius ejusdem Ordo, Pœnitentium dictus, ab An. 1745. ac etiam exercitium Viæ Crucis à Dominica Prima Quadrageſimæ Anni 1759. Via Crucis.

Cryptæ in hac Eccleſia actu extant tres, Una in Sanctuario, Altera ad Aram S. P. N. Franciſci, Tertia verò ad Aram S. Antonii Pad. in qua tumulatus jacet Patronus Aræ Spect. D. Michaël Magócſi. Quarta in Capella Lauretana infra Chorum proximè erigenda ſuperaddetur. Cryptæ.

SUPERIORES HUJUS CONVENTUS.

Annô	
1719.	P. Petrus Roll Prov. Pr. Emer. Proto-Super.
1720.	P. Conſtantinus Peverellyi.
1722.	Idem Proto-Præſidens.
1724.	P. Caſparus Szenczi.
1725.	P. Raphaël Cſaſzta.
1729.	P. Georgius Megyeſſi.
1730.	P. Blaſius Szilágyi.
1731.	Idem Proto-Guardiauus.
1734.	P. Conſtantinus Peverellyi.
1735.	P. Georgius Megyeſſi.
1737.	P. Michaël Spányi.
1741.	P. Urbanus Nedeczki.
1742.	P. Michaël Spányi.
1744.	P. Emericus Szent-Rirályi.
1745.	P. Jeremias Várkonyi.
1747.	P. Michaël Spányi.
1750.	P. Urbanus Nedeczki.
1751.	P. Vincentius Büki.
1752.	P. Urbanus Nedeczki.
1754.	P. Antonius Utaſſi.
1756.	P. Franciſcus Kovács.
1757.	P. Joſephus Telek.
1758.	Idem.

XXIII. CONVENTUS JÁSZ-BERINYIENSIS SUB TITULO SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

§. I.

De Oppido Jáſz-Beriny.

Situs Jazygiæ.

N. 278. EXteriorem Comitatum Szolnokienſem inter, & Heveſienſem, jacet non contemnenda Hungarici Regni Portio Jazygum Regio, à Jaſſis (qui Philiſtæi quoque, vel Filieſtri à quibuſdam ſunt vocati) gente Idolis devota, quam Bela IV. vel alter quiſpiam Hungariæ Rex, hac Regni Portione donaverat, ita nominata. Parent nunc Jazyges in Spiritualibus Agrienſium Præſuli, in temporalibus verò immediate Regni Palatino. Maximis olim immunitatibus, Privilegiisque gaudebant, quas dein amiſſas, rursùm annô 1745. repræſentato ære ſibi aſſeruerunt. An verùm ſit, quod P. Martinus Szent-Iványi Diſſ. Paralip. Rerum Memorab. Hung. Par. 1. Decad. 3. Cathal. 119. ſcribit: Jazyges olim Slavonico idiomate uſos fuiſſe, non diſputo, illud verum eſt, nunc Idioma Hungaricum ùt plurimum apud eos vigere.

Principalis Jazygum, Locus Jáſz-Berinyium.

Caput ampliſſimæ hujus Ditionis eſt Jáſz-Berinyium, ingens ad fluvium Zagyvam Oppidum, quod etſi ædes, paucis exceptis, ſat humiles habeat, duplici tamen ornatur Templo, Parochiali nempe ſat amplo, & eleganti, ac Filiorum S. Franciſci Strict. Obſerv. cum ſuo Cœnobio, de quo infra plura. Sorores quoque S. Claræ hic olim excubâſſe, conjecturare mihi licet, ex Urbario Provinciæ noſtræ, in quo ad Annum 1533. P. Clemens de Abony, pro Confeſſario Sororum fuiſſe deputatus reperitur.

Duas habet Eccleſias.

Cornu Ebori ſimile in Civica domo conſervatum.

Aſſervatur in hoc Oppido inter antiquitatis monumenta Cornu quoddam ebori ſimillimum, dimidiâ ulnâ longius, quod quidem multô quondam aurô dives fuiſſe fertur, nunc tamen ejuſdem expers, inciſas præcisè elegantiſſime varias repræſentat figuras, illud pro ſingulari habens, quod auribus applicatum, ſonum edit, quem apum examen edere ſolet. Lehelis unſus è ſeptem Hungarorum Ducis, cornu hoc fuiſſe plerique dicunt, quô Conrado Imp. vitam eripuerat, quòd tamen alii ad fabulas relegant, & verius ſe dicere putant, cornu hoc ab eo Jaſſiis relictum eſſe, qui poſt S. Regis Stephani tempora, ob inſignem belli navatam operam, ſuis cum popularibus, varias Nobilitatis prærogativas illi promeruit populo. Quis tamen Heros ille fuerit, quâve id ætate acciderit, nihil notatur.

§. II.

De Antiquo Fratrum Minorum Conventu in Oppido Jáſz-beriny.

Antiquitas Conventûs.

N. 279. HAbuiſſe Domicilium Fratres Minores in mox brevibus deſcripto Oppido Jáſz-Berinyio, antiquis adhuc temporibus, nimirùm circa Annum Dom. 1572. uti, & ſequentibus extra dubium eſt, de eo enim expreſſam facit mentionem famoſus Ord. Noſtri Annaliſta Lucas Vadding. Tom. 14. fol. 55. ubi ad Annum 1472. ſequentia refert:

In Hungariæ Regno integras gentes Filieſtros nuncupatos, Fratres Minores ad Fidem perduxerunt Chriſtianam. Illi, ut ſuæ Religionis Authores haberent apud ſe, Cœnobium ædificarunt in Oppido Baréno (nunc Berén, aut Jász-Berény) vocato, Agrienſis Diœceſis, ſub Invocatione S. Mariæ. Intercedentibus hoc annô Mathia Rege,

Rege, Fratre Fabiano de Igal Miniſtro Provinciæ Hungariæ, & Fratre Georgio de Zarnaſt. Pontifex Sixtus IV. licentiam impertivit illud acceptandi. Diploma Ejuſdem Pontificis habetur apud citatum Vaddingum præcitatô Tomô, fol. 540.

Diploma Summi Pontificis SIXTI IV.

Dilectis Filiis Fabiano Igal Magiſtro Provincinciali totius Regni Hungariæ, & Gregorio de Zarnaſt Ord. Fratrum Minorum Profeſſoribus.

SAcræ Religionis &c. Sanè pro parte Veſtra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Mathias Rex Hungariæ Illuſtris, piè conſiderans, quòd Vos Veſtris Prædicationibus, & bonis operibus, mediante gratiâ Altiſſimi, certas gentes Filieſtros nuncupatas, in Regno Hungariæ cohabitantes, & á Fide Catholica alienas ad gremium S. R. Eccleſiæ & ad cognitionem veræ Fidei perduxeratis, præfatus Rex Fileiſtris prædictis, ſuper hoc ſibi ſupplicantibus, quod unam Eccleſiam in Oppido de Baren Agrienſis Diœceſis cum domo, cæmeterio, dormitorio, Clauſtro, Campana, Campanili, hortis, hortalitiis, ac aliis neceſſariis Officinis pro uſu, & habitatione tam Veſtra, quàm aliorum Fratrum dicti Ordinis ædificare poſſent, quantùm in eo fuit, licentiam conceſſit, quódque Filieſtri prædicti domum hujusmodi, ſub Vocabulo Beatæ Mariæ poſtmodum ædificârint. Quare pro parte tam dicti Regis, quàm Veſtra, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Vobis recipiendi domum prædictam, & in ea cum aliis Fratribus dicti Ordinis perpetuò inhabitandi licentiam concedere, & indulgere de Benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur præfati Regis, ac Veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, quòd domum prædictam recipere, & unà cum aliis Fratribus Ordinis hujuſmodi perpetuò inhabitare liberè & licitè valeatis licentiam concedimus per præſentes. Volumus inſuper, quod vos, & Fratres, quos in dicta domo pro tempore reſidere contigerit omnibus, & ſingulis Privilegiis, Indulgentiis, libertatibus, Gratiis, Exemptionibus, aliis domibus, & Fratribus Ejuſdem in genere conceſſis, & concedendis, uti, & gaudere liberè & licitè valeatis, in omnibus, & per omnia, prout aliæ domus Ordinis prædicti utuntur, gaudent, jure tamen Parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvô. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteríſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Paulum extra muros Urbis Annô Incarnat. Domin. M. CCCCLXXII. XV. Kal. Junii, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

N. 280. Ex his igitur manifeſtum eſt, id, quod intenditur, nempe Fratres Minores, circa annum 1472. hoc loco extitiſſe, deducitur autem eos non fuiſſe Regularis, aut Strictioris Obſervantiæ, verùm Fratres de Communitate, ſeu Conventuales, memoratum námque Fratrem Fabianum de Igal fuiſſe Miniſtrum Provincialem ejus, quæ nunc Mariana dicitur Provinciæ (quam olim Conventualium fuiſſe Parte priore dictum eſt) aliunde conſtat. Nihilominùs ſucceſſivis demùm temporibus Conventum hunc Provinciæ SS. Salvatoris aſſertum, probant antiqua hujus Provinciæ Urbaria, tum ex ſerie Superiorum ab anno 1531. uſque ad annum 1565. infra videnda, tum ex Capitulo Provinciali, in hocce Conventu annô 1537. celebrato, in quo in Miniſtrum Provincialem hujus SS. Salvatoris Provinciæ electus fuit P. Fr. Martinus Nagocs. Etſi verò tempus, quô hicce Conventus Provinciæ noſtræ acceſſit, ignoretur, credibile tamen eſt, id circa an. Dom. 1592. accidiſſe, quô plures eorumdem Fratrum Conventus nobis ceſsêre.

Primi illi Fratres fuerunt Cõventuales.

Ceſſit poſtea Conventus FF. hujus Provinciæ.

N. 281. Illud certum eſt, hoc loco Conventum extitiſſe ad uſque an. 1565. quo Guardianus hic fuiſſe legitur P. Fr. Ladislaus de Egeres, poſt hunc uſque ad an. 1583. ſoli Prædicatores pro loco Berinyienſi in Tabulis Provincialibus ordinati deprehenduntur, nullâ Conventûs, aut Guardiani facta mentione, unde colligi-

Conventus hic desolatur. Ilgitur Conventum hunc desolatum fuisse. Desolationis hujusmodi causa fuerat, tum potentia Turcarum, tum perfidia ejus ævi Hæreticorum, qui cæso per Turcas ad Campum Mohács Exercitu Hungarorum, ipso etiam Rege in palude demersô, mirum in modum in his quoque partibus multiplicati, quod viribus propriis resistente nempe Ferdin. I. Rom. Imp. & Rege Hung. (cujus Protectionales Litteras pro hac quoque domo sonantes, supra in Conventu Gyöngyössiensi dedimus) non valebant, mediante Turcarum potentiâ effecerunt; ùt enim *Istvánff. Histor. de Reb. Hung. Lib. 28.* refert, Mustapha Purpuratus Budensis instigantibus Calvinianis Fratres è Monasterio Berinyiensi expulit, ex eóque Castellum effecit.

Causa desolationis.

Haud diu quidem hoc Sacro loco potiebatur Turca, nam annô 1594. reportata per Christianos solemni de Turcis Budensibus, qui Sociis suis Hatvaniensibus per Tiffenbachium obsessis opem ferre volebant, victoriâ, nimio terrore perculsi Berinyienses Turcæ, desertô locô, ad tutiora se se receperunt, quia tamen priusquàm recederent Sanctuarium Ecclesiæ, unà cum Turri funditùs ferè ruinârunt, reliqua subjecto igne conflagrârunt, hinc locus hic in suis ruderibus, absque omni inhabitatore lugebat, usque ad an. 1690. quô iteratò ad veteranos rediit Possessores, ùt mox dicetur.

Turcæ à loco recedunt sed Conventũ ruinant.

§. III.

De Conventu noviter erecto, & Ecclesia.

N. 282. ANnis propè 11. supra centum suis viduatus Habitatoribus mansit Conventus Berinyiensis, postquàm verò victricibus Leopoldi piissimi Imperatoris, & Reg. Hung. armis, Turcæ è variis Regni locis, ùt Strigonio, Buda, Agria, & reliquis non paucis pulsi, résque Catholicæ in melius mutatæ fuissent, cœperunt nostri quoque Fratres antiqua repetere loca, uti etiam hunc Berinyiensem. Primus itaque pro hoc loco ordinatus invenitur An. 1694. V. P. Adalbertus Hetényi, cum Fratre Laurentio Takács Laico, sic tamen, ut Guardianum Gyöngyössiensem suum agnoscerent Superiorem, atque ab eo in omnibus dependerent.

Patres nostri locum repetunt.

Durabat hæc Fratrum ad locum Berinyiensem deputatorum à Guardiano Gyöngyössiensi dependentia, usque ad an. 1700. Cúmque Conventus prior tectis igne per Turcas subjecto spoliatus, ideóque omnem cœli inclementiam subire coactus, ad inhabitandum prorsùs inutilis factus fuisset, erecta fuit pro dictis Fratribus exigua, & valde humilis quædam Residentia, cum Capella, S. Regi Ladis. dicata, in qua Servitia Spiritualia Populo Catholico præstabat Pater eò ordinatus.

Patres Berinyienses dependent à Guard. Gyöngyöss.

N. 283. Annô demùm hujus Sæculi primô sublata illa ad Guardianum Gyöngyössiensem dependentia, nova hic erecta est Residentia, institutô Primô Superiore P. Alexandrô Spanik, qui collectis hinc inde Eleëmosynis, adjuvantibusq; Oppidi Beriny Civibus, ac præsertim Gen. D. Georgio Kovács, & Martino Pernyész Syndico Conventûs, cœpit Ecclesiam restaurare; quâ debitè licet ob turbulenta tempora seriùs, restaurata, annô 1723. novi Conventûs ædificium est inchoatum, cúmque ad annum 1730. pro aliquot Fratrum commoditate Cellæ præparatæ fuissent, tunc primúm ex antiqua Residentia ad hanc noviter erectam se FFres transtulêre, quæ translatio incidit in 15. Mensis Januarii, concurrente simul Festo Sacratissimi Nominis JESU, cui tam Ecclesia, quàm Conventus sunt dedicata.

Nova erigitur Residentia.

Restauratur Ecclesia.

PP. nostri ex antiqua Resid. ad novam trãseunt.

N. 284. Promotô verò ulteriùs ædificiô, ita, ut tot Personarum, quot pro constituendo Conventu necessariæ sunt capax esset, Residentia hæc Titulô Conventûs est decorata, Primúsq; ei datus Guardianus M. V. P. Anton. Farkas. Deniq; cura, & sollicitudine quorumdàm hujus loci Superiorum ad justam circa annum 1755. perductus perfectionem, sequenti anno, nempe 1756. accepit Studium Philos. ab A. R. P. Ministro Provinciali extra ordinarium tempus mutationis ordinatum, Lectore M. V. P. Josepho Matók, quod postquàm duorum annorum cursu absolutum fuisset, anno 1758. Novitiatus è Conventu Szendrovienſi huc est translatus.

Ex Residẽtia fit Conventus.

Studium Philos.

Novitiatus.

Nume-

Numerat actu hicce Conventus pro commoda Patrum, & Fratrum habitatione Cellas 30. præter ordinarias, & neceſſarias Officinas. Hortum quoque Meridiem versùs habet ſat amplum, quem præterfluit Amnis Zagyva dictus, qui facili operâ ita derivari poteſt, ut totum ambiat Conventum, quod ſupra memorato Muſtaphæ Purpurato Budenſi incitamentum fuit, ad ejiciendos hinc Fratres, & è Conventu Caſtellum erigendum. Numerus Cellarum. Hortus.

N. 285. Quod Eccleſiam hujus Conventus concernit, ex dictis patet, eam circa annum Dom. 1572. à Philiſtæis, ſeu Filiſtris pro Fratribus Conventualibus ſub Titulo B. V. MARIÆ fuiſſe erectam, ruinatam demum per Turcas, rursùs per Fratres noſtros circa an. 1700. priſtino, ſi non meliori decori ſub Titulo SS. Nominis JESU reſtitutam. Unde miror, quomodo Hiſtorici quidam ſcripsêre: Templum hoc cum Conventu antiquitùs SS. Salvatori dedicatum fuiſſe, ab eóque toti Salvatorianæ Provinciæ Nomenclaturam adhæſiſſe? Qui igitur ſinceriorem denominationis Provinciæ à SS. Salvatore ſcire cupit originem, ea quæ Parte priori Cap. III. n. 63. dicta ſunt, revolvat. Status Eccleſiæ. Non rectè dicitur Provinciam ab hoc Conventu ſumpſiſſe denominationē.

N. 285. Porro Eccleſia hæc actu continet Altaria ſex, in Sanctuario quidem (quod fornitum eſt non verò Eccleſiæ Corpus) duo, nempe majus, ſeu Principale, Venerationi Sanctiſſimi Nominis JESU dicatum: alterum verò ſatis humile ad Latus S. Joannis Nepomuceni. In Corpore antem Eccleſiæ quatuor habentur: Ad Latus quidem dexterum ſtat Altare S. P. N. Franciſci, è regione verò S. Antonii Paduani; paulò inferius ex parte Altaris S. Franciſci habetur Ara Immac. Conceptionis B. V. Mariæ, recenter munificentiâ Gen. D. Adami Nagy poſita, quæ ſimul eſt Privilegiata, è regione item ex altera Eccleſiæ parte, pariter B. V. Mariæ, ſed ſub Conceptu Taumaturgæ Jaurinenſis. Altaria ſex.

Certum eſt, nullum ex his Altaribus eſſe conſecratum, an verò Eccleſia aliquando fuerit conſecrata? nihil notatum reperitnr, Crypta hic unica habetur in qua præter Fratres noſtros, pauci Sæculares quoq; tumulati ſunt, inter quos etiam eſt Ill. Dom. Com. Antonius Eſzterházi annô 1749. huc illatus. Crypta.

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô

1531. P. Joannes de Petherd.
1533. P. Franciſcus de Hunyadino.
1542. P. Mathias de Kapolna.
1544. P. Adalbertus de Nagy-falu.
1546. P. Simon de Gadna.
1548. P. Franciſcus de Hunyadino.
1550. P. Mathias de Horhi.
1552. P. Franciſcus de Hunyadino.
1554. P. Joannes de Várad.
1558. P. Ægidius de Tivadar.
1561. P. Benedictus de Cſerögyi.
1565. P. Ladislaus de Egres.

Poſt hunc ſoli Prædicatores huc ordinati duprehenduntur uſque ad annum 1583. deinde nullus.

1700. P. Alexander Spanik Super.
1701. Idem Præſidens.
1708. P. Matthæus Cſiſzer.
1711. P. Alexander Sütö.
1712. P. Adalbertus Heténvi.
1715. P. Bonaventura Harangozó.
1718. P. Lucas Danielſzki.
1726. P. Clemens Petrik.
1728. P. Lucas Danielſzki.
1731. P. Michaël Ferenczffi.
1732. P. Daniel Harai.
1733. P. Joachimus Szombati.
1734. P. Antonius Farkas Proto-Guard.
1736. P. Michaël Ferenczffi.
1787. P. Antonius Vas.
1738. P. Joſephus Lenart.
1739. P. Michaël Ferenczffi.
1742. P. Dionyſius Major.
1743. P. Alexius Kelemen.
1744. P. Michaël Soós.
1745. P. Bernardinus Mocsári.
1746. P. Hyacinthus Rósa.
1747. P. Gervaſius Csáki.
1749. P. Jeremias Várkonyi.
1751. P. Alexander Badzej.
1752. P. Jeremias Várkonyi.
1754. P. Samuel Sárkány.
1755. P. Géorgius Gangel.
1757. P. Thomas Tarodfai.
1758. P. Georgius Gangel.

XXIV. CONVENTUS LEVENSIS AD S. JOSEPHUM CHRISTI NUTRITIUM.

§. I.

Brevis Oppidi Levenſis Deſcriptio.

Situs Oppidi.

N. 287. SEcundum poſt Civitatem Cremniczienſem, in Comitatu Barſienſi facilè obtinet locum, Oppidum Leva, ab hujus nominis Authore juxta quorumdam opinionem olim conditum. Jacet infra Oppidum *Bars* dictum, à quo Comitatui Nomen, habens in conſpectu à Septemtrione dimidiô milliari Amnem Granum, à Meridie verò colles vitiferos, è quibus ſat copioſum, & ſimul ſuavis ſaporis colligitur Vinum.

Spectabat Oppidum olim ad Familiam Cſâkianam.

Inter complures Heros, quibus ampliſſima Caſtri ditio ſucceſſu temporis parebat, Csákii quoque munerantur. Horum beneficum in omne mortalium genus animum Levæ, communi proverbio feciſſe locum ſcribit Author Topographiæ Regni Hung. Soc. J. Sacerdos: Cùm enim (ita ille) Horrea Levenſia Csákiis rerum potiuntibus, omnibus paterent, indeque pabula, ſtramen, paleas tolleret, quiſquis vellet, qui non perinde res ſuas uſui aliorum permttunt, dicere amant: *nem Csáki Szalmája.* Hoc inquám, aut illud non eſt Cſakianum ſtramen.

Arx Oppidi ſed ruinata.

Claruit olim hoc Oppidum primùm Caſtro non contemnendi operis, quod annô hujus Sæculi tertiô, vel quintô per Seditioſos ruinatum. rudera ſolùm intuentibus exhibet. Secundô domibus elegantioribus quàm plurimis. Tertiô denique Viris bellica laude illuſtribus, qui dum Turcæ Strigonium, Ujvarinum, & vicina poſſiderent Præſidia, plurimùm ad conſervandas Civitates Montanas

Eccleſiæ.

contulêre. Actu verò ornamentum ſuum hic locus maximum deſumit ex paucis quorumdam Nobilium domibus, & duplici Catholicorum fano, Paræciali nempe, & Fratrum Min. Str. Obſerv. cum adjecto Cœnobio, de quo plura infrà.

Ex Oppidanis non pauci adhuc Calvino ſunt addicti, qui cùm poſitos à Principe Antonio Eſzterházi Hæreditario ſuo Hero limites transgreſſi fuiſſent, ac labaſcens Oratorium contra ejusdem inhibitionem novis ſubſtructionibus fulcirent, ejusdem mandatô ſolo æquatum annô 1740.

§. II.

De Conventûs Origine, Structura, & Statu moderno.

Sub Leop. Imp. Religio Cathol. augetur.

LEopoldi cognomentô Magni piiſſimi Imperatoris, & Hung. Regis primis temporibus, licèt fax belli Civilis necdum in Hungaria extincta foret (adhuc enim ſeditioſi Patriam malè perdere non ceſſabant) nihilominùs res Catholica mirè augebatur, plurimis è locis Hæreticis Prædicantibus depulſis, Curiones Catholici ſubſtituebantur, Religioſi quoque Viri, vel veteribus receptis, vel novis Domiciliis acquiſitis multiplicabantur. Unde factum eſt, ut hæc quoque SS. Salvatoris Provincia novo in Oppido mox paucis delineando cumularetur Domicilio.

PP. noſtri Levam introducuntur.

N. 288. Igitur Sexcenteſimô ſeptuageſimô quintô ſupra milleſimum, invitantibus tam Oppidanis Catholicis, quàm vicinis Nobilibus, ac præſertim Illuſtriſſ. Comite Paulo Csáki, tunc Hæreditario Levæ Domino, Patres noſtri comparata à Perill. Dom. Melchiore Pécſi Domo, huc ſe ſe illocârunt die 9. Menſis Maji, anni mox prædicti Inſtitutô Proto-Præſidente M. V. P. Joanne Bárkányi,

Fundos pro loco Conventûs cô. parant.

Eximiô ſuô tempore Verbi Divini Præcone, qui duorum annorum ſpatiô Officium Præſidentis hic continuando, vicinas domos aliquot comparavit, quibus cùm ſucceſſu temporis fundi plures partim oblati, partim teſtamentô relicti, partim

verò

verò Eleëmosynâ pecuniariâ comparati accessissent, sufficiens accrevit spatium, ut in eo commodus cum Ecclesia Conventus extrui posset.

289. Oppositum se quidem vicina Provincia huic Fratrum nostrorum ad Oppidum Levense introductioni, unde factum est, ut ab acceptione hujus loci Provincia nostra á Superioribus Majoribus inhiberetur, nihilominus facta per Dominos Levenses sui declaratione, quòd nullatenus velint habere alios, quàm Provinciæ SS. Salvatoris Religiosos, ut ex duplici eorum Epistola, una ad Provincialem, altera ad Generalem Ministrum exarata patet, causa pro Nobis cessit, secutâ Confirmatione, tam per Celsissimum Principem, & Archi-Episcopum Strigonienſem Georgium Szelepcsényi, quàm per Reverendiss. P. Commissarium Generalem totius Familiæ Cis-Montanæ. Utriusque litteræ Confirmatoriæ in Provinciæ Archivo reperibiles sunt. PP. Mariani contradicunt, sed frustrà.

N. 190. Postquam igitur sic in loco stabiliti fuissent Fratres, me quidem hactenus latet, quo tempore prima ædificii hujus Conventus jacta fuerint fundamenta, illud tamen compertum habeo, quòd initium operi positum sit à Tractu, Calvariam, seu Conventûs aream respiciente, qui sedula superiorum loci cura promotus, an. 1733. perfectionem accepit, & Fratres ex antiqua Residentia huc se transferentes die 1. Mensis Novembris ejusdem anni hospitio recepit. Annô verò mox sequente nimirum 1734. in Capitulo Gyöngyössiensi die 16. Maji celebrato, numero Conventuum est agregatus, electô in Proto-Guardianum M. V. P. Paulô Ladislaides, cujus diligentia plurimum contulit ad Tractûs ejusdem perfectionem. Primus Conventûs Tractus ædificatur. Ad eum se FF. transferunt. Ex Resid. fit Conv.

Paulò mox memorato, in Officio Guardiani succeſſit M. V. P. Capistranus Terenyi, dein Diffinitor Aggregatus qui annô 1745. posuit fundamenta ulterioris structuræ, videlicet ad continuandum Tractum secundum, Arcem ruinatam respicientem, per totum ut jacet fundum, qui dein à subsequis Guardianis, nimirum P. Emerico Szent-Királyi, & P. Stephano Fisser continuatus, sub hoc, annô 1738. etiam feliciter terminatus est. Ædificatur alter Tractus.

Denique maximâ subsequorum Guardianorum diligentia assurexerunt, & reliqui duo Tractus, nempe unus Torrentem *Berecz* dictum respiciens, alter, seu quartus à latere Ecclesiæ existens, ita ut annô 1740. sub Guardianatu M. V. P. Antonii Bessenyei olim SS. Theol; Lectoris, tectis donati totius operis fieret complementum. Conventus quoad ædificium perficitur.

N. 291. Stat igitur nunc Conventus hic jam in sua perfectione, positus in quadro, ut ut perfecto, ad intra habens Cellas pro Fratrum habitatione quatuor supra triginta, uti & necessarias Officinas commodissimas. Aream satis commodam, uti & Hortum sat amplum, partem Conventûs, & Ecclesiæ ambientem, quæ omnia murô sat firmô solertia Superiorum circumduxit. Constitutio Conventûs.

N. 292. Primum ad hunc Conventum ordinatum fuit Studium Sacræ Theol. Moralis an. 1737. Lectore M. V. P. Francisco Vrancsics, qui jam antea pluribus annis Theologiam Speculativam cum laude tradiderat, ac etiam Guardiani Officiô functus fuerat. Huic autem Studio spatio duorum annorum absoluto successit Philosophicum, quô pariter intra biennium terminatô, mansit Conventus usque ad annum 1747. (exceptô annô 1745. quô iterum Theologia Moralis tractabatur) absque omni Studio. Reassumptum autem iteratò fuit an. 1747. Philosophicum, quod exceptis an. 1754, & 55. usq; nunc continuatur, sub diversis Lectoribus. Studia.

§. III.

Refertur Ecclesiæ Structura, ejúsque Status modernus.

N. 293. ACceptô Levæ locô, quod an. 1657. accidisse §. præcedente dictum est, ubi PP. nostri Sacra fecerint usq; ad modernæ Ecclesiæ constructionem, mihi non constat. Fertur quidem inter reliquas pro loco Conventûs oblatas

Primus lapis pro Ecclesia positus.

tas domos fuisse unam fors D. Nicolai Jakliny, cæteris & ampliorem, & honestiorem, in qua ad formam Capellæ efformata Divina peragebant, quod etsi valdè probabile sit, attamen tanquam asseverare non audeo. Hoc nihilominùs certum est, quòd pro ea, in qua nunc Divinas Laudes persolvunt, Ecclesia, Primus, seu angularis lapis positus sit an. 1714. die 19. Mensis Martii, S. Josepho Christi Nutritio Sacra, quem etiam nunc ùt Patronum principalem unà cum Conventu colit, ac veneratur. Continuata dein per partes adjuvante diversorũ Benefac. munifica manu, tandem coronidem accepit An. 1729.

Altaria.

N. 294. Quatuor tantùm in hac Ecclesia numerantur Aræ, Prima, seu principalis est Honori S. Josephi dicata, quæ impensis Conventûs mendicando collectis constructa an. 1743. sub Guardianatu M. V. P. Sigism. Balás suo loco est adaptata. Altera in dextro Sanctuarii cornu est S. Joan. Nep. sumptibus Sp. D. Ladislai Kazy, hujus Conv. Syndici Apost. an. 1732. posita. Tertia ex adverso illius, seu in sinistro cornu est B. V. M. Dol. beneficentia P. D. Ladisl. Sipeki eodem, quô prior annô erecta. Quarta deniq; S. P. N. Franc. quam an. 1733. extrui fecit Sp. D. Franc. Carolus Tajcser, eotum I. Legionis Scherianæ Centurio.

Congregatio.

Congregatio S. P. N. Francisci erecta est an. 1722. labore, & industria M. V. P. Joachimi Sükösd Conc. Act. qui etiam Primus ejusdem fuit Director. Via Crucis nondum habetur in Ecclesia, benè in ambitu Conventûs superiori pro Patrum, & Fratrum Devotione.

Cryptæ.

Pro tumulandis piè in Domino defunctorũ corporibus Repositorium, seu Crypta priùs in Sanctuario tantùm habebatur, nunc ab an. 1753. se per totam ferè Ecclesiam industria M. V. P. Athanasii Hihalmi p. t. Guardiani extendit. Unde etiam obstructô priore in Sanctuariô introitu, factus est alter in Corpore Ecclesiæ. Qui in ea tumulatos scire cupit, librum Conventûs consulat. Est deniq; hæc Ecclesia sectis lapidibus exposita labore F. Rochi Dukát Laici, opificio Lapicidæ an. 1753. & sequente. Et hæc sunt, quæ de Origine, & Progressu hujus Conventus, & Ecclesiæ, ac moderno Utriusque statu habere potui. Nunc Superiores ejus refero.

SUPERIORES HUJUS CONVENTUS.

Annô
1675. P. Joannes Bárkányi Præsid.
1677. P. Franciscus Várkonyi.
1673. P. Hieronymus Balogh.
1679. P. Paulus Kolocsányi.
1682. P. Alexius Fekete.
1648. P. Casparus Búzás.
1687. P. Cornelius Szellyei.
1687. P. Benedictus Sigmond.
1690. P. Dionysius Keleffi.
1693. P. Benedictus Sigmond.
1695. P. Chrisostomus Szálkai.
1697. P. Emericus Istvanffi.
1700. P. Sebastianus Köszegi.
1701. P. Sylvester Vass.
1703. P. Paulus Maróthi.
1708. P. Chrisostomus Sálkai.
1710. P. Gregorius Molnár.
1711. P. Matthæus Csiszer.
1712. P. Narcissus Snyava.
1713. P. Matthæus Csiszer.
1721. P. Gabriël Borics.
1722. P. Capistranus Terenyei.
1724. P. Daniel Harai.
1725. P. Ambrosius Paulovics.

Annô
1727. P. Georgius Megygyessi.
1728. P. Daniel Hárai.
1729. P. Matthæus Csiszer.
1730. P. Joachimus Süköst.
1173. P. Paulus Ladislaides.
1734. P. Idem Proto-Guardianus.
1735. P. Capistranus Terenyei.
1736. P. Emericus Szent-Kiralyi.
1737. P. Stephanus Fisser.
1739. P. Antonius Bessenyei.
1741. P. Josephus Lenard.
1742. P. Antonius Farkas.
1744. P. Paulus Ladislaides.
1747. P. Jeremias Várkonyi.
1748. P. Urbanus Nedeczki.
1750. P. Bernardinus Gyurcsányi.
1751. P. Matthæus Budiács.
1752. P. Athanasius Hihalmi.
1753. P. Sigismundus Balás.
1755. P. Capistranus Nozdroviczki.
1756. P. Bernardinus Roll.
1757. P. Vincentius Büki.
1758. Idem.

XXV. CONVENTUS SOLNENSIS AD S. BARBARAM VIRG. & MART.

§ I.

Succincta Oppidi Solna Descriptio.

N. 295. SOlna I. Comitatui Trencsmienſi adjacens eſt Oppidum Privilegiatum, colliculo incubat, & inter Oppida ſui Comitatûs ferè obtinet principatum. Ad extra oculis objectat ſitum hilarem, & amænum, ex una parte ſtat Arx Lithavam, ex altera aperitur Paſſus in Sileſiam, à qua brevi ſpatio divellitur. Vagus quà defluit Arces Ovár, & Strecsen, jam deſolatas oſtentat, quas planities licet non ampla, frumenti tamen, & caulium per totum ferè Regnum celeberrimorum ferax coronat. Et quia ob ſæverioris aëris intemperiem vinetis caret, Cereviſiam præſtantem præparat, quæ non ſæpè mentem bibentium obnubilat. Situs Oppidi Solna.

Interior Oppidi facies ædificiis ſat cultis adornatur, forum habet quadrangulare, & illud elegans, cujus ambitus cameratis porticibus inſtructus à Cœlo humido defenſat homines. Ædes Sacras duas complectitur, unam PP. Societatis, quæ nunc ferè exurgit; Alteram Parochialem, quæ diu olim novi Evangelii ſuperſtitionibus profanata, ad legitimos rediit Poſſeſſores, in qua modò PP. Societatis Parochialia munina obeunt, & ſimul Juventutem in Virtutibus, & litteris excolunt. Interior ejus facies.

Maximum ferè priore Sæculo Oppidum hoc dici poterat Lutheranorum Præſidium, cùm vix alicubi in Regno firmiùs hæc Secta conſiſteret, Zelus tamen Principis Pauli Eſzterházi, dein Comitis Georgii Erdödi fecit, ut de facto, ne Verna quidem, ſi ab Orthodoxa Religione ſit alienus ampliùs toleretur. Quibus omnibus ſi Incolarum urbanitas, comitas, Hospitalitas ſuperaddantur, Oppidum hocce paucis ſecundum videbitur. At quia Fratrum Minorum domicilium ſtat extra Oppidum, calamus eò invitatur. Lutheranorum hîc olim validum Præſidium. actu nullus eſt.

§ II.

Patres Noſtri Solnam inducuntur.

N. 296. NIdum olim Auguſtanæ Confeſſioni addictorum extitiſſe Solnam ex præcedenti §. patet, in quo extirpando, & penitus convellendo plurimùm deſudabant RR. PP. Societatis JEsu, quos annô 1684. Georgius Szelepcsényi Archi-Epiſcopus Strigonienſis induxit. Verùm Celſiſſimus Princeps Regni Hung. Palatinus, & loci hujus Dominus hæreditarius Comes Paulus Eſzterházi, plures Spirituales deſiderans operarios, qui pari Zelo Hetorodoxorum Converſioni, partibus maximè vicinis, ſtrenuè intenderent, Patres hujus Almæ noſtræ Provinciæ expetiit, eósque in hocce Oppidum annô 1703. piè illocavit, & ubi Conventus ſubsequis temporibus erigeretur, duas domos allodiales, cum ſuis areis, & hortis, Generosorum Dominorum videlicet Georgii Terſztanſzky, & Scipiadeſii, extra Oppidum è regione portæ inferioris benignè aſſignavit, priùs tamen Poſſeſſoribus per prælaudatum Celſiſſimum Principem ex æquo contentatis. Ne autem antiquis Summorum Potificum Sanctionibus in aliquo contravenire contingeret, A. R. P. Sigiſmundus Viebera, p. t. gubernium Provinciæ tenens ab Illuſtriſſimo Ordinario Nitrienſi facultatem ſuperinde exoperatus eſt, qui & benignè humili ejus poſtulationi annuit, ac gratioſum ſuum Conſenſum ſequenti tenore intimavit: Solnam P. P. Societatis Jesu inducuntur. Noſtri Patres etiam eò illocantur, & eis fundus aſſignatur.

N. 297. Reverende in Christo Pater &c.

Consensus Episcopi Nitriensis pro erigendo Conventu.

Litteras ejusdem Reverentiæ Vestræ, in quibus piam Celsissimi Principis Palatini occasione extruendi in Civitate sua Solnensi unius Claustri cum Ecclesia intentionem declarans, annuentiam eatenus à me, quà Ordinario desiderat, honorificè percepi. Et quamvis eo in passu per ipsius etiam Celsitudinem Palatinalem recenter hic Viennæ existentem requisitus fuissem, tamen quia de sufficienti uniuscujusque modò extantis Claustri hôc quoque Solnensi extructô, Quæsta, mentem ejusdem Reverentiæ Vestræ non habuissem, resolutionem quoque meam tantisper suspensam continere volui. Cum verò jam id sine præjudicio reliquorum Claustrorum fieri posse intelligerem, omnino, ut & piè eadem Prætitulati Celsissimi Principis intentio secundetur, totalem meam eatenus annuentiam, & consensum harum per vigorem præbeo. Cæterùm cupio, servet Deus Reverentiam Vestram cum tota Provincia salvam, & incolumem. Datum Viennæ die 15. Augusti Annô 1703.

Ejusdem Reverendæ Paternitatis Vestræ
Fr. in Christo, & Servus paratus
LADISLAUS MATYASOVSZKI
Episcopus Nitriensis.

Patres primam habitationẽ habuêre in domo Permajana.

N. 298. Habito hujusmodi Gratioso Diœcesani Consensu, mox annô eôdem duo Patres Solnam duputati sunt M. V. P. Adalbertus Gubernat nimirum, & V. P. Melchior Nedeczki, quibus adjunctus est Relig. F. Michael Hirsth Laic. Quia verò præmemorati duo fundi nondum effectivè Fratribus consignati fuissent, eatenus pluribus annis in domo Permajana (nunc jam Vrabliana) suum incolatum habuêre, erectô unô Oratoriô, in quo Divina peregêre.

Dictorum verò fundorum effectiva traditio in longius tempus protrahebatur, ut liquet, ex duplici sæpefati Celsissimi Principis mandato, priore quidem annô 1710. die 24. Junii datô ad suum Provisorem solnensem Andream Kádas, quô eidem præcipitur, quatenus fundos toties nominatos Possesseribus priùs exolutis, Fratribus consignet, simùlque, ut Oratorium Lutheranorum ex asseribus erectum, curet demoliri, asseres autem, & reliqua materialia nostris Fratribus consignet, alterô verò anno sequente 1711. die 20 Decemb. ad Dominum Georgium Podhorszki Bonorum Solnensium Administratorem patrio idiomate datô, quô id ipsum huic, quod priori præcipitur, ex quibus mandatis jam bis intimatis liquidò deduci potest prædicta loca Fratribus nostris fuisse plenariè consignata, & ut fert communis incolarum Solnensium relatio, Nostros constanter incoluisse domum Permajanam ad annum usque 1716.

N. 299. At ne Fratres veterano suo hospiti longiori incolatu gravamen quoddam causarent, credibile est, quòd in loco designato aliquod ædificium inchoârint, & hoc vel inde conjicere licet, quòd Pater, qui prioribus annis suis Socis præerat titulô Superioris honoraretur, annô verò 1710 M. V. P. Cyprianus Machacsek in Tabula Provinciæ jam Præsidens Residentiæ scriberetur, quatuor Religiosis Personis ejus regimini subjectis.

Cessionales autem Litteræ duorum fundorum Scipiadesiani, & Trsztyanszkiani ex parte sæpe laudati Principis sunt tenoris sequentis.

Litteræ Principis Pauli Eszterházi duorum fundorum Cessionales.

Nos Paulus Dei Gratia S. R. I. Princeps Eszterházi de Galantha perpetuus Comes in Frakno Regni Hung Palatinus &c. &c. Memoriæ commendamus tenore Præsentium Significantes, quibus expedit Universis, quòd Nos tum intuitu promotionis Cultûs Divini, tum verò moti Zelô singulari, & affectu, quô erga Seraphicum Sacrum Ordinem, Ord. Minorum S. P. Francisci Reformatorum ferimur, certas duas domos, seu fundos in Suburbio Oppidi nostri Solnensis, situatos, & habitos, erga præviam nihilominus domorum illarum per modernum Provisorem nostrum Solnensem à modernis ejusdem Possessoribus fiendam coëmptionem, & exolutionem, quà absolutus antelati Oppidi

pidi Dominus Terreſtris, pro exercendo ibidem Cultu Divino, animarúmque Cura, Reverendis Patribus Franciscanis Provinciæ SS. Salvatoris in Hung. dederimus, donaverimus, & contulerimus: imò damus, donamus, & conferimus, jure perpetuo, & irrevocabiliter tenendum, poſſidendum pariter, & habendum. Harum noſtrarum Vigore, & teſtimoniô Litterarum mediante. Datum in Arce noſtra Kiſmartonienſi die 24. Menſis Junii Annô Dom. 1710.

(L. S.) PAULUS ESZTERHÁZI.

§ III.

Patres noſtri ex veteri Hoſpitio ſe transferunt ad novum fundum, qui à censu immunis declaratur.

N. 300. CUm ut ſuperiùs ſub N. 298. attigi Patres noſtri defluxu tredecim annorum à principio ſui ingreſſûs in domo Permajana, pacificam ſuam habitationem habuiſſent, ſenſim tamen in loco moderni Conventûs Capellam, & Cellas aliquot apparârunt, ad quas annô 1716. circa finem Menſis Junii ſe tranſtulêre, ubi dein cum optato Spirituali Fidelium folatio Altiſſimo famulabantur, novô ædificiô ſuum incrementum capeſſente, quod munificorum Chriſti Fidelium mirè promovit pia liberalitas. Fratres ſe transferunt ad locum moderni Conventûs.

At prout in hijuscemodi Privilegiatis Oppidis fieri aſſolet, fundi duo, in quibus ſtat Fratrum ædificium, licet jam per prælaudatum Principem à ſuis legitimis Poſſeſſoribus fuerint coëmpti, & noſtris collati, certis tamen adhuc cenſibus erant obnoxii, quod noſtræ altiſſimæ, & votivæ paupertati erat multum inconveniens. Hinc à noſtris fuit humiliter ſupplicatum coram I. Comitatu Trencſinienſi, quatenus antelatos fundos à penſionibus, & exactionibus modo meliori immunes declarari facere vellet, quod ex ſuo in Ordinem Seraphicum affectu fecit præatacti Comitatûs I. Communitas, confectis ſuperinde Litteris, & ſigillô munitis, ſubſcribente ſe Spectabili D. Vice-Comite Chriſtophoro Ugronovics adjunctâ Syngraphâ undecim aliorum Dominorum Officiis ſuis Digniſſimorum, quarum tenore ſufficiens datur cautela Magiſtratui Solnenſi. Hæ quidem Litteræ, & à Styli elegantia, & à favore, ac affectu in hanc Almam Provinciam hic meritò inſerendæ eſſent, nî earum Gratioſa prolixitas brevitatis metam (quam proſequor) nimiùm ampliaret, continentia tamen illarum ex ſubinſertis Ampliſſimi Senatûs Solnenſis litteris legenti patet, quæ ita ſonant. I. Comitatûs Trencſinienſis dat Litteras pro exemptione fundorum Conventûs à Cenſu.

NOs Judex, Senatus & Jurati Cives, tota denique Communitas Privilegiatæ Civitatis Solna. Memoriæ commendamus tenore Præſentium ſignificantes, quibus expedit Univerſis. Quòd poſteaquam Reverendi Patres Ordinis S. P. Franciſci ſtrictioris obſervantiæ Minorum diſcalceatorum, per piæ reminiſcentiæ Celſiſſimum condam S. R. I. Principem, & hujus Regni Apoſtolici Palatinum, ac D. D. Paulum Eſzterházi (Tit.) quà Privilegiatæ hujus Civitatis Hæreditarium D. Annis jam dudum præterlapſis, in certo fundo è regione portæ inferioris ſituato, in hacce Privilegiata Civitate noſtra piâ intentione fundati, per nósque vigore extradatarum ſub ſigillo noſtro authentico Litterarum, pro augmento, & incremento Gloriæ Numinis Divini, Sanctæque Matris Eccleſiæ, Orthodoxæ Fidei propagatione, promptè intromiſſi, & acceptati fuiſſent, veluti ſucceſſivè Riſidentiam quoque in præmentionato fundo pro poſſibili erigi curâſſent, recenter verò (anguſtiori exiſtente pro Reſidentia Sacri Ordinis ſupramentionato Fundo) à Succeſſoribus Generoſi condam D. Georgii Trſztyanſzki in contigua vicinitate ab inferiori parte jacentem pro extenſione, & ampliatione circumferentiarum, & Reſidentiæ allodialem fundum aquiſiviſſent, adeptique fuiſſent, jam utrôque Fundô conjunctô, & ſpatiô commodô aſſecutô, Dei omnium in ſe ſperantium adjutoris auxiliô, ſuorúmque Patronorum ſuccurſu, ac munificentiâ in præmiſſis Fundis Domum Dei, & Orationis pro populo propediem elevari curare, Reſidentiam quoque ſuam extendere piâ reflexione intenderent; Verùm quia Magiſtratus Solnenſis fundos ædificicii noſtri eximit a Cenſu perennaliter.

præmiſſi duo Fundi communibus ferendis oneribus ſubjecti eſſent, á quibus etiam, ſignanter verò a Fundo per altememoratum Celſiſſimum condam Principem collato notabilis Reſtantia aſſurrexiſſet, de exigentia verò, & dictamine noſtrorum Privilegiorum per neminem, niſi per Senatum, & Communitatem exonerari, & libertari valerent, unde præmentionatus Sacer Ordo ſecuritati ſuæ in perpetuum de præmiſſorum Fundorum immunitatione proſpicere cupiens, uti inſupportabili hujus temporis onerum mole Privilegiatam hancce Civitatem noſtram immerſam, conſequentèrque ad ſimplicem præmiſſorum duorum Fundorum Libertationem incapacem, ſe verò ad deponendum toties dictorum Fundorum exonerationis Quantum tenuem, & imparem expertus, fuiſſet, ab Inclytis, ſtatibus, & Ordinibus hujus I. Comitatûs ſub Generali Congregatione in Libera, Regiàque Civitate Trencſinienſi Annô currenti infra ſcriptô die 12. Menſis Septemb. inchoata, & celebrata mediô ſui ſupplicis ea in parte opem imprando, benignam quoque ab iisdem ex Zelo promovendi Cultûs Divini reſolutionem obtinuiſſet, cujus benificiô Civitati noſtræ in ſortem perpetuæ præmiſſorum duorum Fundorum Libertationis ducentos florenos, ex modernis Impoſitionibus Portionalibus per D. Perceeptorem locô paratæ, docente computu cum eodem inito, & in Protocolo Computuum contento acceptandos elaborâſſet, determinationèmque I. Comitatûs ſuo cum ſupplici Libello, Protocolo noſtro pro memoria inſertam manibus noſtris aſſignando, præinſinuatos duos Fundos ab onere communium datiarum emancipandos inſtitiſſet. Ideo quamvis præſpecificatos duos Fundos ex ratione tot, & tantorum onerum, nec pro florenis 600. in perpetuum cuicunque libertare vellemus, fervore tamen, & debito ampliandi Divini Numinis, Sanctorumque ejus Cultûs deſideriô, ac præfati I. Comitatûs non tam bonificatione, quàm gratiosa recommendatione permoti, præmiſſos duos Fundos unum Scipiadeſianum, alium verò Trſztyanſzkianum condam appellatos, & e regione Civitatis portæ inferioris ſituatos, ac ex una penes allodium Bivolinianorum ſucceſſorum, partibus verò ex alia allodium Gyungelianum habitos, & exiſtentes, Concordibus votis hodie in Curia noſtra congregati, primùm quidem à quibusvis, & undecunque hactenus emerſis Reſtantiis abſolutos pronuntiantes, tandem ad Majorem Dei Gloriam, & Orthodoxæ Fidei Catholicæ propagationem, Sanctæque Matris Eccleſiæ incrementum, ab omnibus, & quibuscunque oneribus in perpetuum, & usque in ſempiternum eximimus, libertamus, & immunitamus, nullam amplius pro nobis, aut ſucceſſoribus noſtris, reſpectu qualiumcunque tandem onerum, & penſionum, ab iisdem Fundis quoquô modô proveniendorum prætenſionem reservando. Harum Noſtrarum Sigillô communi, & propriarum manuum ſubſcriptione roboratarum Litterarum libertationalium, & Exemptionalium per Vigorem. Actum in Curia noſtra Solnenſi die quinta Menſis Decemb. Anno D. 1721.

BALTHASAR SZTRANOVSKI
Proviſor, & Senator Loci m. p. (L.S.)
ANDREAS RAYCSÁNY Judex
Loci m.p. &c. &c. &c.

Extradatum per me Andream Gály prælibatæ Civitatis Jur. Notarium m. p.

Hic ex Senatoribus ſubſcripti ſunt duodecim, ex Communitate autem octodecim.

§ IV.

De Conventûs, & Eccleſiæ ſtructura, progreſſu, eorumque moderno ſtatu.

Eccleſiæ primus lapis imponitur.

N. 307. FUndis duobus ab omni onere, & penſione, ut prafertur, undequaque exemptis, & Patribus in hoc loco jam ſtabilitis, ſtudium eorum, & cura eò collimabat, ut ædificium à ſolidis fundamentis inchoarent; Quare Capellâ, & exiguis dormitoriis, ac officinis neceſſariis, quæ prioribus annis erexerant, adhuc contenti, ut priùs Cultum Dei, & devotionem populi procurarent, opus ab Eccleſia inceperunt, pro qua annô 1723. die 29. Menſis Junii conſveta cum ſolemnitate, præſente copioſa adſtantium multitudine primus lapis bene-

benedictus, & impositus est, atque annis successivis diligenti plurium Superiorum curâ, & subsidiario devotorum Fidelium succursu justam adepta est perfectionem.

Ecclesia suô jam fastigiô coronata Fratres ab una cura exemit, sollicitudinem autem de inchoando ædificio Conventûs eisdem reliquit, qui tamen auxilio Dei, omnium in se sperantium potentis adjutoris confisi, initia dedêre, & primum lapidem anno 1730. die 14. April. Conventui posuêre, qui brevi tanta sumpsit incrementa, ut annô 1734. jam numerosam complecteretur Religiosam Familiam, ex quo in Capitulo Gyöngyösiensi die 16. Maji ejusdem anni non ampliùs Residentia, sed Neo Conventus titularetur, & M. V. P. Gregoriô Szazel Proto-Guardianô donaretur. Ejus amplitudo vel inde patet, quòd præter alias necessarias officinas 24. cellas numeret, & modò 27. Religiosos Alumnos alat. Residentia in Conventum erigitur.

N. 302. Quia verò Spatium Conventum circumambiens ædificio non erat sufficienter proportionatum, hac de causa G. D. Joannes Szlatény hujus nostri Domicilii Syndicus Apostol. & p.t. Civitatis Solnensis Judex actualis, Allodium Nobilis D. Catharinæ Bivolény, G. condam D. Michaëlis Zlinszki relictæ Viduæ, ex eleemosyna Fratribus oblata annô 1732. die 27. Junii pro ampliori spatii extensione coëmit, ex cujus accessione area non parùm est ampliata; Hortus verò Conventui contiguus tam culinæ, quàm Fratrum religiosæ distractioni, & diversioni deservit, ad cujus latus offert se amænus prospectus ad Vagum fluvium, & vicina Castella. Pro ampliatione Spatii emitur allodium Bivolenianum.

Fundus autem allodialis Bivolenianus anno immediatè sequenti 1733. die 7. Mensis Martii à communibus oneribus, & censu eidem adnexo per Magistratum Solnensem in conformitate duorum fundorum §. III. memoratorum perennaliter exemptus est, I. tamen Comitatus in supplementum damni, siquod exinde emergere dignosceretur, in 100. florenis ex sua gratiosa liberalitate Civitatem Solnensem dotavit; Litteræ tum I. Comitatûs, tum Civitatatis Solnensis superinde emanatæ in perenne tantæ gratitudinis monumentum, & memoriam, Archivum Provinciæ cum honore conservat. à censu eximitur.

Ædificio Conventûs jam consummato, & ad sui perfectionem omnibus necessariis instructo, ut ornamentum uberius accresceret, annô 1736 studium Sacræ Moralis Theologiæ est eò introductum, Lectorem agente M. V. P. Vitali Zieman, cui post biennium successit Philosophicum, Lectore M. V. P. Justô Fridrichovszki, subsequis dein temporibus, jam hoc, jam illud prælegebatur, actu traditur Philosophicum. Studium S. Moralis Theologiæ inducitur.

N. 303. Turris in capite Sanctuarii assurgens tres campanas utcunque graves sustinet. Ecclesiam quantum attinet, in Honorem D. Barbaræ V. & M. erecta est, quæ licet amplitudinis sit mediæ, interno tamen nitore, & ornatu suo, Ecclesiis nostris paucis cedit; Altare majus in ea ejusdem Divæ Barbaræ, Titularis Ecclesiæ, & Conventûs Patronæ visitur, quod anno 1730. die 3. Decemb. Munificentiâ Excelentissimi D. Comitis Georgii Erdödi Oppidi Solna jam Domini Hæreditarii assurrexit, ad cujus tamen complementum G. D. Joannes Szlaténi p. t. Residentiæ Syndicus Apostol. 100. florenos pia liberalitate etiam contribuit, Imago verò principalis per alios Benefactores Curata, & exoluta est. Altare Majus.

Secundum Altare Honori Seraphici Patriarchæ D. Francisci est erectum piis impensis Generosorum D. D. Simonis Turiák, & Nicolai Kubicza postea Syndici Apostolici, istô Pictorem, illô statuarium contentante. Altare Secundum.

Tertium ex latere Sinistro, S. Antonii Paduani, devotis expensis Illustrissimæ D. Szaparianæ sicut erectum, ita etiam debitis coloribus adornatum. Tertium.

Quartum ex latere dextro exhibet venerandam Effigiem B. V. Mariæ anno 1729. per Illustriffimum D. Comitem de Fur I. Legionis Liechtensteinianæ Capitaneum fieri curatum. Quartum.

Quintum à latere Sinistro stat Altare S. Joannis Nepomuceni in cujus medio

Quintum, in cujus medio Cathedra ſtaſt. non minùs artificiosè, quàm ornatè erectus cernitur ſuggeſtus Concionatorius. Patronum agnoſcit Specialem D. Joſephum Matyaſzovſzky.

Sextum. Sextum, & ultimum eſt S. Crucis prope portam Eccleſiæ collocatum, ad cujus erectionem plures Benefactores concurrêre. Horum Altarium nullum eſt conſecratum, ſicut nec Eccleſia.

In Eccleſia ſunt duo Chori, qui libet ſuô organô inſtructus. Eccleſiam duo Chori ampliant, quilibet ſuô organô inſtructus, & hoc utrumque Fratrem noſtrum Laicum profeſſum Peregrinum Verner ſuum artificem agnoſcit, Chorus major ſupra portam Eccleſiæ eſt elevatus, alter priore minor eſt poſt Aram collocatus, & in hoc organum eſt artificiosè diſpoſitum, cujus folles in pulpito Pſalterium ſuſtentante ſunt reconditi, fiſtulæ præſertim ſtanneæ in alis Altaris majoris ſunt ita dislocatæ, ut non modò Artificem commendent, verùm & intuentium oculos mirè oblectent.

Capella Lauretana. In Eccleſia Capella B. V. Mariæ Lauretanæ à populo devotè frequentatur, cujus picturæ, lampadis, & olei in ea inceſſanter ardentis Singularis Benefactor extitit Perilluſtris D. Triceſimator.

Via Crucis. Stationes dolorosæ Viæ Crucis ſunt erectæ, quæ à plebe utriusque Sexûs in Quadrágeſima omni die Dominico, & quâvis Dominicâ Novilunii devotè frequentantur, à Fratribus autem ſtatis temporibus zelosè peraguntur.

Congregationes. Confraternitates duæ reperiuntur, S. P. N. F. Chordigerorum duntaxat, & S. Barbaræ V. & M. Eccleſia pariter duabus manet Cryptis proviſa, una ante

Cryptæ. Aram majorem, altera in Capella Lauretana Corpora recipit, in quibus jam ultra 30. partim ex honeſtis civibus, partim ex proſapia Perilluſtrium, Spectabilium, ac etiam Illuſtriſſimorum, ſepulti ſunt, quorum omnium hujus Eccleſiæ liber ad hoc deputatus legenda nomina exhibet.

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô
1703. P. Adalbertus Gubernat.
1704. Idem.
1705. Idem.
1708. P. Auguſtinus Ujheli.
1710. P. Cyprianus Machacsek.
1711. P. Martinus Ziveczki.
1712. P. Martinus Padiáſi.
1713. P. Lucas Duchovics.
1714. P. Martinus Padiáſi.
1715. P. Emericus Ragyóczi.
1716. P. Matthæus Vankovics.
1717. P. Petrus Fridrichovics.
1718. P. Venceslaus Koricſanſzki.
1719. Idem.
1720. Idem.
1721. P. Conradus Polóni.
1722. Idem.
1723. P. Benignus Piſzkonſzki.
1724. P. Venceslaus Koricſanſzki.
1725. Idem.
1726. P. Gregorius Szazel.
1727. Idem.
1728. P Urbanus Sveſztka.
1730. Idem.
1731. Idem.
1732. P. Gregorius Szazel.
1733. Idem.

annô
1734. Idem Proto-Guardianus.
1735. Idem.
1736. P. Hieronimus Szalajka.
1737. P. Gregorius Waczulik.
1738. P. Modeſtus Trubeczki.
1739. Idem.
1740. Idem.
1741. P. Michaël Vajda.
1742. P. Ferdinandus Fiala.
1743. P. Cornelius Ratpilai.
1744. Idem:
1745. P. Januarius Michács.
1746. P. Donatus Ottka.
1747. Idem.
1748. Idem.
1749. P Paulus Szalajka.
1750. Idem.
1751. Idem.
1752. P. Conſtantinus Vagyovſzki.
1753. Idem.
1754. Idem.
1755. P. Donatus Ottka.
1756. P. Ægyidius Szvatko.
1757. Hieronymus Horn.
1758. Idem.
1759. Idem

XXVI. CONVENTUS MAGNO-VARADINENSIS AD SANCTUM SPIRITUM.

§ I.

De Situ Civitatis, Antiquitate, ac ejus olim Magnificentia succincta relatio.

N. 304. TRactûs terreni Hungariæ meridionalis non minima portio se oculis objicit I. Comitatus à Castro olim celebri Bihar nomenclationem accipiens, ejus præcipuum ornamentum est Magno-Varadinum, cujus prima initia, vel ex eo glorioſa, quòd Regem Divum Ladislaum ſuum adoret Conditorem, qui non ſolùm in Baſilicam Cælorum Reginæ Sacratam (quam Dei monitu erexerat, & Regiâ munificentiâ ornaverat) verùm & in Urbem quidquid decoris, ornamenti, favorum, ac privilegiorum eſſe poterat, totum effudit; Dignus ſanè hic Thaumaturgus Hungarorum Monarcha, cui in Arce Epiſcopi olim, & Canonicorum Collegiali Sede, equeſtri ſub Schemate miræ molis ſtatuam ex electiſſimo ære conflatam Sigiſmundus Thurſo hujus Urbis Antiſtes erexerit, eandem poſtea Georgiô, ex Paulino, Epiſcopô Varadinenſi, communiter Monachô nuncupatô, S.R.E. Cardinale ampliante, quam dein Calvinicolarum malevolus in Sanctum Regem furor demolitus eſt, cui Turcica manus pepercit.

Civitatis Conditor D. Rex Ladislaus. cui ſtatua erigitur, quam poſtea Calviniſtæ demoliuntur.

Civitatis hujus quæ facies quondam fuerit? Annaliſtæ non niſi obſcuris coloribus adumbrant. Nunc tum à ſitu, tum à Civium numeroſitate ſat ampla eſt, ut eam non malè Triurbem dixeris, divelente illam, qui medius decurrit, amne Chriſiô in triſariam, Olaſziam nimirum, novam Civitatem, & Urbem Militarem. Novæ in præcipuum ornamentum accedit Eccleſia Cathedralis cum Epiſcopio, & Aſceterium Religioſorum virorum, qui à Capucio nominari geſtiunt, nec non aliquot domus Canonicorum.

Varadinum conſtat ex tribus Civitatibus.

In Urbe Olaſzia quatuor Sacri Ordines ſua incolunt Domicilia, Candidus Ordo videlicet Præmoſtratenſium; PP. Paulinorum, Fratrum Minorum ſtrictioris obſervantiæ, & PP. Societatis Jeſu, hi florentem Patriæ Juventutem Virtutibus, ac artibus ingenuis usque ad Supremum Eloquentiæ campum educunt, & quia formatô Collegiô carent, eum qui domui præeſt Superiorem vocant, hanc pariter Urbem ædificia Canonicorum ſparſim adornant.

Qui in ea Religioſi.

Religio (ſi paucos & quoſdam fortè Schiſmaticos excipias) hic potiſſima eſt Romano Catholica, Divina moderante loci Antiſtite. Valachi quoque juſſis Romani Pontificis ſe ſubmittentes in ſua Eccleſia ritu Græcanico à proprio Paræco Sacramenta percipiunt.

Cives ſunt omnes ferè Catholici.

Civibus eſt lingua Patria, nec Valachicam ſcire abnuunt. Urbem hanc Deus, & natura in multis beavit, ſi ſpectes abundantiam panis, carnium omnis generis, non facilè aliis cedit, vinum, quod proferunt promontoria eſt copioſum, ejus tamen laudi decedit, quòd ſua innata calce pectora bibentium fatiget. Thermas etiam triplices ſeu à calce, ſeu à ſulphure calentes reficiendis ægris corporibus ſubminiſtrat. Aër ob lacunoſum loci ſitum, non ita ſalubris, ut naſum aliunde advenientium pallore non dehoneſtet. Cætera quæ ad hujns Urbis ornamentum, & commendationem, veniunt, aliis largiori calamo delineanda relinquo.

Varadinenſis territorii fœcunditas.

§ II.

De antiquo noſtro Conventu Varadini habito.

Salvatoriana Provincia Sæculô XV. jam habuit Conventum Varadini.

N. 305. QUòd iſthac in Civitate Magno-Varadinenſi quondam florentiſſima, hæc noſtra Provincia titulô SS. Salvatoris inſignita quintô jam ſeculô ſupra Milleſimum ſuum Domicilium fixerit, citra ullam eſt controverſiam, illius enim meminit famoſus ordinis noſtri Annaliſta Vadingus ad annum 1498. Tom. XV. fol. 169. N. 42. his verbis: *In Hungaria duas ſub hoc tempore domos ædificâſſe Fratres Obſervantes: unam ſub S. Spiritus titulo in Urbe Varadinenſi, alteram in Oppido Szegedienſi Diœceſis Colocenſis, mihi conſtat ex lite mota per Patres Conventuales.*

Conventus Varadienſis, & Szegedienſis per noſtros Fratres obſervantes fuerunt extructi.

Hujus equidem veritatis certitudinem roborant plures Litteræ plumbatæ Alexandri Beatæ recordationis Papæ hujus cognominis VI. emanatæ occaſione controverſiæ ſuper Conventibus Varadienſi, & Szegedienſi, ortæ inter geminam Conventualium, & Obſervantium Familiam, causâ tamen in favorem Obſervantium deciſâ. Et domus hæc, quòd fuerit induſtriâ noſtrorum Fratrum conſtructa, & jam annô 1497. nomine Conveutûs decorata fuerit, patet ex Bulla prælaudati Pontificis Alexandri Sexti, *Venerabilibus Fratribus Thomæ Agienſi, & Termipolenſi Epiſcopis* Romæ apud S. Petrum hoc annô emanatâ, cujus ulterior contextus ſequentia habet: *Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Dilecti Filii Britii de Solilo Guardiani Domus S. Spiritûs Varadienſis Ord. Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum tam ſuo quam Dilectorum Filiorum moderni Vicarii, & Fratrum Ordinis Obſervantiæ prædictorum Provinciæ Hungariæ &c.* Et paulò infra: *Ipſique Fratres de Obſervantia poſtmodùm prædicta Varadinenſis, & Loci Szegedienſis, Colocenſis Diœceſis, Domos dicti ordinis conſtrui fecerunt, ac in illis ex tunc habitaverunt &c.*

Inſtrumen- concordiæ inter Conventuales, & Obſervantes.

N. 306. Hoc idem patet ex Inſtrumento Concordiæ, quod in Capitulo Provinciali Patrum Conventualium Veteri-Budæ in Feſto S. Demetrii Martyris annô 1497. coram P. Georgio de Zekehevv Miniſtro Conventualium ex parte una & P. Oſvaldo de Lasko Obſervantium Vicario ex altera compillatum eſt, in quo inter cætera puncta habetur: *Item quòd Clauſtra in Szegedino, & Varadino noviter Obſervantibus erecta, & conſtructa eiſdem Fratribus Obſervantibus libera, & ſalva in perpetuùm maneant, tamen per hoc Conventuales in aquirendis Eleemoſynis detrimentum non patiantur &c.* Hoc concordiæ Inſtrumentum in ſuo vigore originali paragamenæ inſcriptum, nunc etiam hæc Alma Provincia conſervat, dependente ab inde, ex funiculo rubro viridi Sericeo, ſigillô rubræ ceræ impreſsô, Provinciæ dicti temporis Conventualium, quô in præſentiarum etiam Miniſtri Provinciæ S. Mariæ in Hung. ut propriô utuntur.

Hôc locô Diplomata ſæpius laudati Alexandri Papæ Sexti, nec non alia documenta litteralia ratione Conventûs antiqui noſtri Varadienſis inſerenda forent, at quia brevitati ſtudeo, qui ea avidiùs videre, & relegere cuperet, eum ad Chartophylacium Provinciæ relego, ubi non tranſumpta, ſed Originalia videbit. Quæ autem hujus intuitu Conventûs cauſa, & origo diſcordiarum, ac diſſenſionum tantarum; quas non niſi ad inſtantiam Uladislai Regis Hungariæ, nec non Regni Procerum æquiſſimus in terris Arbiter, Papa Alexander Sextus extinxit? hoc in negotio Calamum ſuſpendo. Id tamen addere licet, quod ætate illa Fratres Regularis obſervantiæ Zelatores, veſtigiisq; Seraphici ſui Patriarchæ inhærentes, tanquam ſpecioſæ olivæ, illibatæ converſationis, cæterarùmque Virtutum odorem longè, latèque diffuderunt, & ſingulos quaſi in dies numero eorum creſcente Religioſa ſua Domicilia multiplicarunt.

Conventus antiquus fuit penes Arcem.

N. 307. Ædificium hoc in qua Urbis parte ſteterit? ætas invida poſteritati cælavit; conjicere tamen licet, illud fuiſſe contiguum mœnibus Arcis Varadinenſis, ut non obſcurè indicat præſentis Sæculi Scriptor ingenioſus, qui in

ſua

ſua Topographia Magni Regni Hung. annô 1750. Viennæ Auſtriæ impreſſa, & publicæ luci data, de Urbe Varadienſi agens ſequentia commemorat: *Eminebant ad Arcis portam parietinæ Aſceterii, ac Templi; cujus prædivites Cryptas ſpoliare occeperat, at prohibitus eſt Legionarius miles; verùm hoc S. Spiritui conſecratum erat.* Quod non obſcurum eſt teſtimonium hujus ſæpefati Domicilii, ſiquidem à primevo ſuo ortu Sacratiſſimæ Triadis Sacro-Sanctæ Tertiæ Perſonæ titulo Sacratum, non tantùm pervetuſta manuſcripta, verùm, & diplomata plura conteſtantur.

In hoc Conventu ſeptem Capitula Provincialia fuerunt celebrata.

Et ſua initia non falsò reducit ad annum 1490. quô Mathias Corvinus Regum Hungariæ Glorioſiſſimus, verus Martis pullus, Romanæ Eccleſiæ pupilla Viennæ moritur. Cujus ædificii memoria vel inde celebris quod jam ab anno 1531. (quô in eodem legitimè fuit electus in Miniſtrum P. Adalbertus Dereslyen) usque ad annum 1552. Provincialia Comitia ſepties fuerint celebrata, novis ſemper ibidem Miniſtris Provincialibus pronunciatis, annô qui præfertur, 1531. Lectore P. Petro de Athya ſuis Correligioſis diſcipulis ſcholaſtica prælegente, nec adeò paucos numeravit alumnos, quandoquidem annô 1535. ſeptemdecim Patres, quatuor Clericos cum ſuo Lectore, duos Novitios, & duodecim Laicos profeſſos aluerit, ſubſequis temporibus familiâ magis ampliatâ. At hoc accrementum poſtea valdè decrevit, ut jam annô 1572. non niſi Pater Joannes de Magócs Diſceretus & Diffinitor cum ſuo ſocio Laico Fratre Franciſco de Kö-halom incoluerit, & annô 1579. P. Mathias de Szakmár Concionator ſolus reperiatur.

Viguit etiam ſtudium.

Ecce ædificium labore, & ſudore Fratrum pauperum, munificiorúmque Fidelium ſumptibus ſuſcitatum, jam cum ſuis ruderibus conſepultum dormit, & in æviternum dormiet, floruit, ſvaveolentiam diffudit, at fragrare deſiit, quia florem ejus manus inimica eò tum adhuc decerpſit, dum Iſabella Joannis Inter-Regis Vidua, ingrata Patriæ Filia Hungariam, & Tranſylvaniam bellicis tumultibus exagitavit, & poſt eam filius ejus malæ arboris malus fructus Sigiſmundus Zapollya Sectæ jam novorum Arianorum addictus, quietem Regni publicam magis turbaverat, uſque ad annum 1571. quô malam vitam peſſima morte clauſit, nunc Patriæ fines invadendo, deprædando, & vaſtando, nunc Turcam juratum Chriſtiani Nominis hoſtem contra Ferdinandum Imperatorem, & Regem Hungariæ evocando; Hôc extinctô Stephanus Bocskajus in partibus Transtibiſcanis majores procellas ſub prætextu tuendarum ab Orco evocatarum novarum Religionum excitavit, anno 1604. totam fermè ſuperiorem Ungariam occupando, in Catholicum populum, & vel maximè Clerum ita ſæviebat, ut Clauſtra, quæ Sanctitatis fuerant Domicilia, ſuorum inhabitatorum Sepulchra efficerentur, donec & ipſa in ſua buſta unà cum noſtro Conventu abierint. His itaque veteribus relictis recentiora proſequamur.

Iſabella, & filius ejus Sigiſmund. Zapollya, ac poſt hos Stephanus Bocskajus bellicis tumultibus divexant Hungariã.

§ III.

N. 308. REdditâ Urbi Varadienſi jam malatiâ, & tranquilitate annô 1692. quô ſub Leopoldo Imperatore, Rege & Patre Patriæ, per Excellentiſſimum Generalem Haislerum menſe Junio facta forti impreſſione Caſtrum Varadienſe expugnatum, & à Turcis receptum eſt. Ubi videns Piiſſimus Monarcha Leopoldus tot inſignes victorias de veteranis Hoſtibus in Hungaria reportatas, ut Numini, & Divis debitas redderet grates, exemplô Proto-Regis Divi Stephani, in Principe Baſilica Viennenſi, Regnum Marjano-Apoſtolicum cum omnibus ſuis Ditionibus, annô ſequenti 1693. Sanctæ Dei Genitrici, Magnæ Hungarorum Dominæ donat, & dedicat, nec abſimili voto deſiderabat Religioſas Perſonas priſtinas ſuas in ædes reducere.

Arx Magno-Varadieſis à Turcis recipitur.

Hinc factum eſt, quòd ex Clementiſſimo Devotiſſimi Imperatoris adnutu per inclytam Adminiſtrationem Budenſem annô antelatô 1693. in hanc Epiſcopalem

Fratres inducuntur, Eccleſiam, & Reſidentiam ædificant.

palem Civitatem ante omnes alios Religioſos primi ſimus inducti, deſignatô fundô pro Reſidentia prope præterfluentem Chriſium, ad quem locum dies poſt paucos Zelô, & pietate moti D. Officiales ſuæ Majeſtatis Sacratiſſimæ, lapides, & lateres ex ædificiis Turcicis funditus demolitis per Legionarios Milites in-caniſtris, modis, & mediis aliis comportari fecêre, ex quibus induſtriâ Fratrum, accedente piô Fidelium ſubſidiô Reſidentia, & Eccleſia licet perexigua aſſurrexit. Ubi dein Seraphici Alumni procurandæ animarum ſaluti intenti pacificè Deo famulabantur, donec iterum annô 1793. Franciſcus Rakoczius cum aliis plurimùm Acatholicis confœderatis titulô Patriæ libertati aſſerendæ novam tumultuum caliginem Hungariæ induceret, qui dulcem Patriam igne ferròque divexantes profana Sacris permiſcebant, & quæ furor Turcicus ſalva reliquerat, pluſquam barbaro-tyrannis rebellium Patriæ filiorum ſolo æquavit. Sic Rakocziani ſub hæc tempora Civitatem Varad-Olaſziam incinerantes totam noſtram Reſidentiam Vulcano conſecrârunt, Eccleſiam verò, cui ignis pepercit illorum manus Sacrilega contaminavit, Altare majus, cum uno collaterali ſecuribus diſſecuerunt, Monſtratorium, Sacra Vaſa, totam denique Sacram ſuppellectilem impii prædones ſua fecêre, ſigillum Reſidentiæ cum omnibus literariis documentis abſtulêre.

Rakocziani Varad Olaſziam cum Reſidentia Fratrum incendunt, & Eccleſiâ ſpoliant.

Pro ſervitiis animarum ſolus, & unicus P. Præſidens remanſit.

N. 309. Patribus, & Fratribus ob intolerabilem perſecutionem dilapſis, ſolus & unicus P. Præſidens Maximilianus Friepeis in Arcem ſe recipit, ubi P. Superiorem Societatis Jeſu, & Religioſum ejus Socium P. Germanicum ſepelivit, nec fuit eò tum ampliùs Varadini videre Catholicum Presbyterum, verùm hic unicus præmemoratus P. Præſidens Civibus foris, intus Militibus Sacramenta adminiſtravit, donec alii ex Patribus noſtris in partem laborum eidem ſubmitterentur. Hæc præcenſita docent litteræ lachrimoſæ medò dicti Præſidentis, exaratæ ad Patrem Sigiſmundum Viebera p. t. Miniſtrum Provincialem. Et hôc modô Reſidentia noſtra, unà cum Eccleſia manſit deſolata uſque ad annum 1713. Quis autem fuerit gratioſus erga noſtros favor Revendiſſimi D. Antiſtitis Varadienſis, Literarum ejus tenorem ſubnecto.

Gratiosus, & Paterno a more plenus Conſenſus Epiſcopalis.

FRater Auguſtinus Benkovitz Epiſcopus Varadienſis, I. Comitatûs Bihariensis Supremus, ac Perpetuus Comes, Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Conſiliarius. Do pro memoria tenore Præſentium ſignificans, quibus expedit Univerſis. Quod poſteaquam Auguſtiſſimus Romanorum Imperator, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemicæ (tit:) Rex Leopoldus D. D. meus Clementiſſimus, inter complures Hungariæ Ditiones, Inclytum quoque hunc Comitatum Biharienſem, cum ſuo Fortalitio Varadienſi, Victricibus Armis ſuis ab immani Turcarum jugo glorioſiſſimè vindicâſſet. Meque ſedi meæ, atque Jurisdictioni Epiſcopali Clementiſſimè reſtituiſſet: Paſtorialis Officii mei primæ Cura ea fuit, ut Oppido huic Varadienſi, fortalitio proximè adjacenti (quod pro moderna temporum viciſſitudine, ac ſtatu, grege partim Catholico partim adhuc hæreſi imbuto eſt populatum) de fidelibus, ac Zeloſis animarum Miniſtris ſollicitè, ac paternè providerem. Quia verò per injuriam præterlapſorum temporum maximè verò per violentam Hæreticæ perfidiæ rabiem fundationales Eccleſiaſticæ Epiſcopales cum ſummo Orthodoxæ Religionis detrimento ac injuria interierunt; ut grave hoc damnum pro fructu, & emolumento unimarum reſarciretur, non perutile duntaxat, ſed & maximè neceſſarium eſſe duxi hunc in finem Virorum Religioſorum Zeloſam adhibere operam. Inter quos, cùm & à Divinis ſervitiis, & à Zelo animarum laude digniſſimos ſemper fueſſe, eſſèque cenſuerim Religioſiſſimos Patres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Seraphici Reformatorum hujus Almæ Provinciæ Hungariæ SS. Salvatoris acceptiſſimos quondam loci iſtius operarios, quod in poſtrema quoque Preſidii hujus Bloquada fideliter ſuorum etiam ſociorum morte conteſtati ſunt. Idcirco eos non ſolùm peculari amore complectendos, ſed & in ſortem Miniſterii ad Cultum Divinum, animarumque ſalutem procurandam, ſtationique ſuæ (quam olim, & ab antiquo hocce in Oppido Varadienſi Titulo

Con-

Conventûs S. Spiritûs Capitulis multis, celebratiſſimo, ſed poſtmodum furore Hæretico injuriosè exturbatam, ſanctè, laudabiliter, fructuoséque tenuiſſe clarè dignoſceretur) reſtituendos eſſe duxi: ita ut eam cum omnibus ſuis attinentiis pro ſuo, Succeſſorúmque ſuorum habitaculo, ac animarum juvandarum ſubſidio perpetuo Jure tenere, poſſidere, incoleréque poſſint, ac valeant, Jure Dominii mei Terreſtris, ac Diœceſani confirmo, & hiſce Litteris meis roboro, ac ut id ipſum etiam à legitimis meis Succeſſoribus Epiſcopis, ac aliis, quorum intereſt, vel intererit firmum, ac validum habeatur obteſtor. In quorum fidem has manu propria ſubſcriptas, ac Epiſcopali Sigillô meô roboratas Litteras dedi Varadini die 1ma Auguſti Annô 1701.

Fr. AUGUSTINUS BENKOVITZ
Epiſcopus Varadienſis m. p. (L. S.)

§. IV.

Reædificatur Eccleſia, & Reſidentia.

N. 310. DEI T. Optimi, cujus Providentiæ eſt ſortes temporum temperare, Hungariâ repreſſis tumultibus domeſticis optatæ iterum quieti reſtitutâ, Patres noſtri Annô 1711. munificorum Benefactorum adjutricem manum nacti, Eccleſiam ſuam, & Reſidentiam ſecunda jam vice è ſuo ſepulchreto reſuſcitare, & reſtaurare occipiunt, séque annô 1713. eò illocant, ubi ab anno 1693. omnia munia Parochialia, cum ſummo animarum lucro, quamplures Hæreticos Romanæ aggregando Eccleſiæ, plures etiam Arianos, & Turcas infidelitate abjurata, Sacrô Baptizmatis lavacrô regenerando uſque ad annum 1716. zelosè, & indefeſsè adminiſtrabant. Quæ tandem cura animarum ad Reverendiſſ. D. Stephanum Görgei Præpoſitum S. Gabrielis, Cuſtodem, & Canonicum Eccleſiæ Cathedralis Varadienſis, & Proto-Parochum loci devoluta eſt, ut clarè ex ſequenti Contractuali tenore eluceſcit.

Reſidentia iterum reædificatur.

Patres noſtri Parochiam multis annis adminiſtrant.

EGo infra ſcriptus Plebaniam Civitatis M. Varadienſis aſſumere volens, cum A. R. Patribus Franciſcanis, in ſpecie pro tunc A. R. P. Adamo Geisler Præſidente loci ejusdem in talem Contractum deſcendi: Primò omnis authoritas eorum maneat in ſtatu eo, quô fuit hucuſque quoad omnia, hoc eſt: quoad exercitium ſpirituale, & quoad perceptionem paucorum proventuum, permanente duntaxat penes me nomine, & jurisdictione Plebaniali. Secundò, ut ulteriorem zelum oſtendam, tenebor iisdem omni anno florenos centum quinquaginta pendere, in medietate anticipatò. Tertiò maneat penes me Feſtorum celebritas, hoc eſt: ut promiſcuè non laborent in Sacris Feſtivitatibus. Quartò ut apud Eminentiſſimum Præſulem laborare valeam pro augmentatione omni modo, qnô fieri poteſt, proventuum Parochialium. In cujus rei fidem has manu mea ſubſcriptas dedi Varadini 4tâ Octobris ipſô Feſtô Sancti Patris Franciſci Seraphici Annô 1716.

Contractus Reverendiſſ. Plebani Varadienſis initus cum noſtris.

Coram me MICHAELE KÉBELL
Abbate Biharienſi, Præpoſito Majori, Lectore, Canonico Varadienſi, ac Vicario Generali m. p. (L. S.)

STEPHANUS GÖRGEI Præpoſitus S. Gabrielis, Cuſtos, & Can. Varad. m. p.

(L. S.)

N. 311. Cùm verò V. Capitulum Varadinenſe propriam non habens, annis præinſinuatis in noſtra Eccleſia Divina peragebat, donec annô 1719. Reverendiſſimus Neo-Parochus hinc ſe transferens, in nova Civitate domum quandam in Oratorium erexiſſet, ubi poſtea Parochialia peregit, uſque dum V. Capitulum pro ſe Sanctuarium Eccleſiæ erigi fecit. Antelato Proto-Parocho fatis functo ſuffectus eſt annô 1721. Reverendiſſ. D. Stephanus Keczer Ex-Parochus Debreczinenſis, huic ſucceſſit Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Franciſcus Zichi, cui dein alii.

Parochus Loci ex noſtra Eccleſia ſe transfert, & in nova Civitate Oratorium erigit.

Annis his ita tranſactis, Provincia hæc Salvatoriana, omnimodè adlaborabat, ut eandem Reſidentiam in Conventum transformaret, verùm huic pio co-

namini non parùm obstabant Officiales Præsidiarii, ne videlicet variata temporum vicissitudine, ædificium si magis ampliaretur, Hostibus munitioni esset, indeque Arcem globis missilibus impeterent. Quod cùm Eminentissimus Comes Emericus Csáky S. R. E. Tit: S. Eusebii Presbyter Cardinalis, Archi-Episcopus Colocensis, Episcopatûs M-Varadiensis, & Præposituræ Posonienſis Administrator sæpe sæpius pia mente revolveret, motu proprio locum alium in eadem Civitate Olaszia annô 1725. Fratribus determinavit, quem annô eôdem Mense Novembri, ex mandato Suæ Eminentiæ Perill. D. Adamus Viszlai absolutus Plenipotentiarius universorum bonorum Episcopalium Præfectus, in præsentia Illustr. ac Reverendiss. D. Stephani Luzinski Episcopi Scopiensis, Præpositi de Gaborján Ecclesiæ Cathedralis Varadiensis Canonici specialiter ab Eminentissimo Cardinali ex parte V. Capituli deputati dimensuravit, & simul cum quatuor hortis contiguis Perillustrium Dominorum Michaëlis Bucsi pro tunc Vice-Comitis substituti, Joannis Mosóczi, Jeremiæ Kerekes, & Joannis Gázi Patribus nostris consignavit; fundum sic plenè jam consignatum annô immediatè sequenti Mensibus Aprili, & Majô, P. Matthæus Csiszer eò tum Præsidens fecit sepibus cingi, ac die 11. Junii, incidente in eam feriâ tertiâ Pentecostes, indicta solemni Processione Crux erecta est, & locus præsente copiosa multitudine Nobilium, & Civium per Reverendiss. D. Paulum László Canonicum actualem solito ritu benedictus est, ubi primum Missæ Sacrificium obtulit M. V. P. Augustinus Gröcsk Concionator Germanorum, Concionem ad populum præsentem per A. R. D. Ladislaum Erdéli habendam optata pluvia impedivit, quam postea, Processione eâdem viâ, quâ venit reductâ, in Ecclesia Residentiæ nostræ perfecit, absolvítque gloriosè. Gratiosæ verò Litteræ dicti fundi Cessionales Eminentissimi Cardinalis sunt tenoris sequentis:

Eminentiſſimus D. Cardinalis pro futuro Conventu alium locum deſignat.

Locus ſolenniter beuedicitur.

Litteræ Eminentiſſ. Cardinalis Ceſſionales fundi in quo modò ſtat Conventus.

N. 312. *NOs Emericus Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ S. R. E. Tit. S. Euſebii Presbyter Cardinalis è Comitibus Csáki de Kereſztszegh, Perpetuus Terræ Scepuſienſis, Colocenſis, & Bacſienſis Eccleſiarum Canonicè unitarum Archi-Epiſcopus, Epiſcopatûs Varadienſis, & Præpoſituræ Poſonienſis Adminiſtrator &c. Memoriæ commendamus tenore Præſentium ſignificantes, quibus expedit Univerſis, quòd Nos peculiàri erga Sacram Divi Franciſci Seraphici Reformatorum Religionem zelô moti, ſemper ſalutaris intentionis illius fuerimus, ut eandem omnibus viribus benignâ, ac Paterna protectione non ſolùm ſecundaremus, verùm etiam in quantum Paſtorali muneri noſtro competeret, & poſſibilitas Aſſiſtentiæ Noſtræ ſe extenderet, omnia Sacri illius Ordinis negotia, quæ ad Sacræ Romanæ Eccleſiæ Augmentum, Animarum Chriſti Fidelium Emolumentum, & præfatæ Sacræ Religionis Incrementum maximè conducere viderentur promovere ſtuderemus, & exoperari adlaboraremus. Cùm proinde in Epiſcopali Noſtra Diœceſi Varadienſi in Oppido noſtro Várad Olaſzi I. Comitatûs Bihariensis dictus Sacer Ordo S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Hung. SSmi Salvatoris exiguam Reſidentiam ſuam cum Eccleſia in tali loco ſituatam haberet, in quo formalem Conventum, & Clauſtrum ædificare valdè incommodùm, & minùs conſultùm foret, ex eò præprimis, quòd inchoatum Catbedralis Eccleſiæ ædificium, ſicut, & R. P. Societatis JEſu Reſidentia, ac Capella non longè diſtent, quæ dum ſuo tempore, prout præconcepta ſunt, ædificarentur, & in ſtatum perfectum deducerentur, unum ædificium, unámque Eccleſiam cum alia contiguari, & incongruè omnia inſimul coadunari eſſet neceſſariùm. Præterea, quia memorata PP. Franciſcanorum Reſidentia planè in rippa fluvii rapidiſſimi Chriſii dicti conſtituta, ob frequentem ejusdem fluvii exundationem, continuo periculo alluitionis, impetitionis, & ſucceſſivè everſionis eſſet expoſita. Et tandem, quia ſi in eodem loco, utpotè Præſidium prope Magno-Varadienſe ſub ipſis Tormentis exiſtente Monaſterium ſuo tempore extrueretur, & ſi quid pro Religione Sacra Chriſti fidelium auxiliô, ope, & Patrociniis ſolidius, firmius, ac ſtabilius aſſurgeret, & ædificaretur, id totum denuò cum maximo ejusdem Religionis aliunde de Vocatione, & Profeſſione ſua pauperis*

peris damno funditus everti, & deſtrui contingeret, ut Præſidium ſalvaretur. Ideò his ex motivis, & præſertim, ut Populus fidelis, prout in Domino plurimùm confidimus copioſior ſucceſſivè futurus, commodiorem, & frequentiorem ab invicem diſſitorum Templorum aditum habere queat, ſuprafatæ Religioni S. Franciſci Seraphici, Provinciæ Hung. SS. Salvatoris Reformatorum in Oppido noſtro Várad Olaſzi exiſtentium, locum alium in præfato Várad Olaſzi videlicet, in via Regia, quæ ex Várad Olaſzi Hoſpitale versùs directè ducit ad fluvium, vulgò Paris Pataka *vocatum, & ibi extructum pontem lapideum, pro nova erigenda Eccleſia, & Conventu, ac ſufficientibus, & neceſſariis domibus, hortis, areis, Templi & Clauſtri acceſſariis aſſignamus, damus, & conferimus, atque omni eo jure, quò Sacra Religio S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Hung. SS. Salvatoris, tam per Bullas Pontificias, quàm alias Immunitates Eccleſiaſticas uti, frui ſolet, & ei conceſſum eſſet, in perpetuum, & irrevocabiliter tenendum, & poſſidendum tradimus, aſſumentes in Nos, & Succeſſores omnes, quòd in præmiſſo per Nos deſtinato, & aſſignato loco dictam Sacram Religionem S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Hung. SS. Salvatoris perpetuò manutenebimus, & propria modalitate in omnibus ſuis Privilegiis, ac Immunitatibus conſervabimus, pariter, & Succeſſores Noſtri manutenebunt, & conſervabunt; Hortorum, & quorumvis ædificiorum dicto in loco nunc exiſtentium, & pro declarato Conventu, & Templo neceſſariorum, illis, quibus competit, Excontentionem pariter in Nos aſſumimus, firmam in eo ſpem collocantes, quòd quemadmodùm hactenus Sacra Religio S. Franciſci Seraphici Reformatorum Provinciæ Hung. SS. Salvatoris laudabilem in ſublevandis Diœceſis hujus Noſtræ Varadienſis Animarum Curatoribus Zelum demonſtravit, atque noctu, diúque ſuccurrendi promptitudinem Animabus, tum & Religioſæ Modeſtiæ, atque Humilitatis exemplum exhibuit, ulterius quoque per ſuos idipſum ſit ad Votum, deſideriúmq; Noſtrum, & Succeſſorum Noſtrorum continuatura. Datum in Reſidentia Noſtra Magyarbél, Die 28. Julii Annô Dom. 1726.*

Cardinalis CSÁKY Adminiſtrator Epiſcopatûs Varadienſis m. p. (L. S.)

Adamus Cſupor m p.

§. V.

De Inchoatione, & Progreſſu novi Ædificii.

In novo loco inchoatur ædificium.

N 313. ANnô igitur nunc præmemorato poſt plenam, & effectivam loci novi conſignationem M. V. P. Michaël Mora in Congregatione die 16. Junii in Conventu Galgoczienſi celebrata recenter in Præſidentem Varadienſem electus, omnem ſuum conatum eó direxit, ut ædificium inchoaret, quod & feliciter inchoavit, cujus conatum Eminentiſſimus Cardinalis plurimùm adjuvit ſubminiſtrando eidem materialia, nec defuit I. Comitatûs Biharienſis liberalis munificentia, & privatorum munificorum Dominorum æs ſubſidiarium. Sicque Religioſa Domus tantum annis ſubſequis pregreſſum habuit, ut annô 1731. die 1. Novembr. Patres noſtri, & Fratres ex antiquo habitationis loco ſolemniter ſe ad neo-erectam Reſidentiam translocârint, Proceſſionem cum V. Sacramento ducente Reverendiſſ. D. Franciſcô Barbacſi, comitantibus Reverendiſſ. DD. Canonicis, ac magna multitudine Nobilium, & plebis.

Patres ex antiquo loco ſe transferunt ad novam Reſidentiam.

Deductô jam in tantum ſtatum Domicilio, ut ſuô gremiô Alumnos Seraphicos commodè complecteretur, deventum eſt ſub Præſidente P. Feliciano Doroſzlai ad erectionem Eccleſiæ, pro qua annô 1732. die 11. Menſis Maji ex ſpeciali delegatione ſæpefati Purpurati Præſulis, primum fundamentalem lapidem ritu conſueto benedixit, & incluſis in eo Reliquiis Sanctorum Reparati Mart. & Urbanæ V. & Mart. impoſuit Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Stephanus, Ladislaus è Liberis Baronibus Luſinſzki de Reglicſe, Epiſcopus Thyariæ, Præpoſitus S. Gabrielis de Gaborjan, Cathedralis Eccleſiæ M.-Varadienſis Cuſtos, & Canonicus, præmiſſâ in

Lapis fundamentalis Eccleſiæ benedicitur, & ſolenniter imponitur.

Capella Concione Germanicâ per Reverendiſſ. D. Petrum Cajetanum de Carrara Eminentiſſimi Cardinalis Cæremoniarium, & Aulicum Parochum, nec non Protho-Notarium Apoſtolicum, ac altera Concione Hungarica dictâ per M.V.P. Laurentium Ruſvai, hujus Provinciæ zeloſum Verbi Dei Præconem, & poſtea SStæ Theologiæ Lectorem Generalem; præſentibus Illuſtriſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Canonicis, nec non ex Statu Eccleſiaſtico, Religioſo, ac Sæculari quàm plurimis.

§. VI.

De Erectione Reſidentiæ in formalem Conventum, Cellis, Studio, Eccleſiæ Conſecratione, & Altaribus, ac Cryptis.

Reſidentia declaratur Conventus.

N. 114 DUodecim jam annorum decurſu, ſedulò, ac continuo cum labore Monaſterium tandem ſuæ perfectionis faſtigium potiſſima ex parte adeptum eſt, nec ampliùs ei deerat, quàm ut Nomenclaturam Conventûs acciperet, quare 1738. die 25 Maji in prima intermedia Congregatione Diffinitoriali in Conventu Fülekienſi celebrata, ſuppreſſo poſthaç Reſidentiæ nomine formatus Conventus declaratur, & nominatur, præpoſitô eidem Proto-Guardianô M.V.P. Felicianô Boroſzlai.

Conventus hic, ſi compendioſam ejus capacitatem ſpectes, numerat 24. dormitoria, valetudinariô ita adaptatô, ut infirmi Sacerdotem in adjacente Oratorio Sacra facientem commodè conſpiciant, & Divinis actionibus intendant.

Area. Aream, quà Boream reſpicit, habet undequaque amplam, fonte inſtructam, ac undique murô cinctam; Hortus versùs Solem Orientem pariter eſt ſpatioſus, amœnus, fructiferísque arboribus tum ad amœnitatem, tum utilitatem conſitus, eſtque Clauſtro contiguus, ac ex duobus fontibus, quos complectitur, aquam ſalubrem ſitientibus diſpenſat, cincturam ſolidiorem anhelat, modò tamen ſepibus

Hortus. contentus eſſe debet. Hortus iſte ad Aquilonem terminatur hortis contiguis, ad Meridiem habet pontem lapideum tribus ferè paſſibus diſſitum, ad Orientem aſpicit fluviolum, communiter *Paris Pataka* nuncupatum, poſt hunc habet Promontorium vitiferum, & interceptam viridem planitiem, parùm tamen latam; Hæc planities paucos ante annos nullum ædificium habuit, at nunc integer in ea domorum ordo viſitur, quæ domus eò tum ædificari occeperant, dum Excellentiſſimus, ac Illuſtriſſ. D. Paulus è Comitibus Forgách Antiſtes Varadienſis (qui modò Epiſcopus Vacienſis) Magnificam Baſilicam à fundamentis Biharinum versùs in dicta planitie inchoârat, quæ hodie etiam continuatur, paucum poſt tempus ſupremum ſuum apicem adeptura.

N. 315. Siluerunt hîc Scotiſticæ Muſæ, donec annô 1743. ſub Provincialatu A.R.P. Gerardi Pataki novus iſte Conventus ſalutaret Proto-Lectorem M.V.P.

Philoſophicum Studium inducitur: Georgium Kernhoffer, placita Ariſtotelis ad mentem Subtilium Doctoris ſui ſex diſcipulis Clericis profeſſis prælegentem, ab eóque tempore ſine interruptione Scholaſticos ſuos Alumnos ſemper aluit, & modò alit, ac fovet; Perſonas verò Religioſas inhabitantes communiter numerat nunc ubi 26. ubi 27.

Eccleſia conſecratur, & dies anniverſaria Dedicationis aſſignatur. Conventus, quà reſpicit plagam Meridionalem habet Eccleſiam ſibi adjunctam, quæ ſecundùm faciem interiorem eſt ſatis elegans, nec eam in nitore multæ aliæ antecellunt, eſtque Conſecrata annô 1749. die 20 Aprilis per Excellentiſſimum, ac Illuſtriſſimum Dom. Paulum Forgách Epiſcopum Varadienſem, aſſignata die anniverſariâ Dedicationis Dominicâ ſecundâ poſt Paſcha. Turrim habet parietibus Sanctrarii, & Conventûs intercluſam, Campanæ in ea mediocriter graves.

In Eccleſia ſeptem conſpiciuntur Altaria, omnia lignea, quæ tam architectonicâ, quam pictoria manu ad ſpecioſam elegantiam erecta. Altare majus,

Altare majus. quod Spiritum S. Eccleſiæ, & Conventûs TUTELAREM exhibet, eſt piis ſumptibus

ptibus Reverendiſſimi Domini Franciſci Barbaci erectum, cujus etiam Gentilitium Inſigne in perenne monumentum circa ſupremitatem ejusdem Altaris eſt appoſitum, eſtque 1743. die 18. Auguſti Conſecratum per Excellentiſſimum D. Nicolaum è Comitibus Csáky Epiſcopum Varadienſem, incluſis Reliquiis Sanctorum Martyrum Clementis, & Modeſti.

Altare ſecundum ex parte cornu Evangelii ſtat Honori Pauperum Patriarchæ Seraphici Divi Franciſci dicatum, & 1748. devotis expenſis Reverendiſſ. D. Franciſci Makay, V. Capituli Varadienſis Canonici Reſidentis curatum, qui ſicut devotiſſimus Cultor extitit S. Patris, ita filios ejusdem Seraphicos affectu proſequebatur ſingulariſſimo. Altare ſecundum.

Tertium ex parte eadem dextra conſpiciendum ſe præbet Altare in Venerationem S. Crucis, annô 1750. per Spectabilem D. Ladislaum Laskovics curatum, & illocatum. Tertium.

Quartum repræſentat Effigiem Aviæ Sanctiſſimi Salvatoris Divæ Annæ, olim à Perilluſtri D. Anna Kéri Conthoralis Perill. D. Stephani Erdelyi curatum, annô verò 1748. per Fratrem noſtrum Profeſſum Liborium Oſztler arcularium in meliorem formam redactum, moderno ſuo loco eſt adaptatum, annô dein 1751. per Perill. D. Michaëlem Parniczky coloribus donatum. Quartum.

Quintum, quod in parte collaterali ſiniſtra eſt primum, S. Joannis Nepom. Mart. ab ingredientibus Eccleſiam conſpicitur, & hoc Munificum Patronum agnoſcit Spect. D. Michaëlem Bucſi Vice-Comitem Emeritum, Conventûs quondam Syndicum Apoſtolicum eſtque annô 1748. moderno ſuo loco appoſitum. Quintum.

Sextum eſt D. Antonii Paduani, quod ex liberali Munificentia Spect. D. Franciſci Ferdényi Vice-Comitis Ordinarii annô 1750. aſſurrexit, & annô 1753. ſuis coloribus, ſumptibus ejusdem inveſtitum. Sextum.

Septimum eſt Immaculatæ Conceptionis S. Dei Genitricis MARIÆ, pia liberalitate D. Suſannæ Szalai, Conthoralis quondam Perill. D. Martini Orſzág curatum, & annô 1748. ſuæ ſtationi repoſitum, annô verò 1751. expenſis Perill. D. Ladislai Sánta coloribus eſt illuminatum. Et hæc omnia ſex Altaria collateralia annô 1750. die 10. Maji incidente in eam Dominicâ infra octavam Aſcenſionis Domini, beneficiô Conſecrationis donata ſunt per Excellentiſſ. ac Illuſtr. D. Paulum è Comitibus Forgách Epiſcopum Varadienſem, impoſitis Reliquiis Sanctorum Benedicti, & Feli[illegible]ani. Septimum.

N. 316. Eccleſia Pulpitum Concionatorium habet ad miram elegantiam elaboratum, aurô, ac pretioſis coloribus adornatum, in quo opus Artificum ſummè laudatur, dignum ſanè, ut aſſumatur in prototypon, in quod Spectabilis D. Michaël Beöthi Vice-Comes Emeritus ex ſua pia liberalitate florenos expendit ſeptingentos nonaginta, qui vel exinde hôc locô memorandus venit, quòd ut Eccleſiæ ſtructura ſuo citius apice faſtigiaretur, non ſolùm efficacibus conſiliis, verùm etiam proprio ære, ejus progreſſum multum adjuvit, partim ſumptus ſpontaneè offerendo, partim operarios per plures etiam menſes contentando. Cathedra elegans.

Cryptæ hìc reperiuntur duæ, ſúntque ſatis amplæ, minor jacet ante Altare majus, in qua tumulantur Patres, & Fratres mixti Sæcularibus, quibus aſſociati ſunt, Excell. Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Joannes Okolicsányi Epiſcopus Varadienſis, Excell. ac Illuſtr. Dominus L. B. Melchior Saltzer á Roſesbein Generalis, & Illuſtr. Dom. L. B. Speth I. Regiminis Najpergiani Colonellus, Commendans Præſidii Varadienſis. Altera major prope portam Eccleſiæ ſituata manet, in hac tumulantur plurimi Nobiles, ac Cives cum ſuis pignoribus. Cryptæ.

REFERUNTUR SUPERIORES LOCALES.

Annô
1497. P Britius de Solilo.
1532. P. Martinus de Nagócs.
1533. P. Blaſius de Arok-tö.
1535. P. Joannes de Kopács.
1537. P. Thomas de Pata junior.
1540. P Stephanus de Debreczen.
1542. P. Thomas de Pata.
1544. P. Martinus de Nagócs.
1546. P. Emericus de Tövis.
1548. P. Martinus de Nagócs.
1550. P. Emericus de Tövis.
1552. P. Thomas de Szigeth.
1554. P. Stephanus de S. Ladislao.
1558. P. Valentinus de Szabatka.
Poſt hunc videtur Conventus iſte per hoſtiles tumultus fuiſſe deſolatus.
1693. P. Joannes Nagy.
1694. Idem.
1695. Idem.
1696. Idem.
1697. P. Stephanus Tarhós.
1698. P. Jacobus Nazl.
1699. Idem.
1700. Idem.
1701. P. Franciſcus Szürtei.
1702. P. Maximilianus Friepeis.
1703. P. Martinus Padiaſſi.
Poſt hunc combuſtâ Reſidentiâ per milites Rakoczianos, P. Maximilianus Friepeis *conſtanter manſit in Arce Varadienſi, cum uno alterove ſocio uſque ad annum 1709.*
1709. P. Maximilianus Friepeis.
1710. Idem.
1711. Idem.

Annô
1712. P. Godefridus Rachner.
1713. P. Benedictus Döbrödi.
1714. P Maximilianus Friepeis.
1715. Idem.
1716 P. Adamus Geisler.
1717. P. Maximilianus Friepeis.
1718. Idem.
1719. P. Ladislaus Farkas.
1720. P. Jacobus Názl.
1721. P. Coſmas Moncsko.
1722. P. Matthæus Cſiſzer.
Idem uſque ad annum 1726.
1726. P. Michaël Mora.
Idem uſque ad annum 1729.
1729. P. Felicianus Doroſzlai.
Idem uſque ad annum 1738. quô in Proto-Guardianum electus eſt, & manſit annis tribus continuis.
1741. P. Athanaſius Hihalmi.
1742. P. Urbanus Kovács.
1743. P. Athanaſius Hihalmi.
Idem tribus annis continuis.
1746. P. Samuel Sarkány.
1747. P. Athanaſius Hihalmi.
Idem uſque ad annum 1750.
1750. P. Alexander Badzei.
1751. P. Sigiſmundus Balás.
1752. P. Urbanus Kovács.
1753. P. Gabriel Szekeſi.
Idem uſque ad annum 1756.
1756. P. Athanaſius Hihalmi.
1757. P. Franciſcus Mohorai.
1758. P. Paulus Soós.
1759. Demetrius Hoſzſzumezei.

XXVII. CONVENTUS SZOLNOKIENSIS AD SANCTISSIMAM TRINITATEM.

§ I.

De Oppido Szolnok, ejusque Situ.

N. 317. SZolnok inter alia Regni Apostolici Hungariæ pervetustum Oppidum, in mera planitie est situatum, & fluviis binis ab Ortu Zagyvâ, à Meridie Tibisco clauditur, & à montibus Matræ septem milliaribus divellitur; Cui deinde circa annum 1546. jussu Imperatoris Ferdinandi hoc Nomine primi per Salmensem Comitem superaddita est munitio, eo in loco, quô ante multa Sæcula septem Duces ex Scythia, in Pannoniam migrantes sibi munitionem construxerant, ubi nimirum Zagyva se in Tibiscum exonerans angulum efficit. Hoc quidem Præsidium licet mœnibus muratis caruerit, & modò careat, à fundamentis tamen ex gleba, & cespite salicibus interjectis ars illud ita condidit, ut domorum tecta, quæ intus sunt, extrinsecus conspici nequiverint, fossata, quibus cingitur, ex duobus fluviis confluentibus repleta hostem cominùs venire prohibent. Hæc siquidem munitio licet tam ab arte, quàm à natura benè provisa, & expugnatu difficilis fuerit, eam tamen annô 1552. Militum nostrorum ignavia Eunucho, Turcicæ militiæ Præfecto non sine infamia turpiter dedidit, quam dein hostis ultra Sæculum obsessam tenuit, donec annô 1685. victricia arma Invictissimi Imperatoris Leopoldi, eum in fines suos abegêre.

Situs Oppidi.

Arx in eo conditur.

Turcis deditur, & ab iis iterum recipitur.

N. 318. Oppidum hocce Szolnokiense licet temporibus anterioribus Comitatui sui cognominis nomen indiderit, at modò ejus regimen suscipit, qui Comitatui Heveſiensi jure Supremi Comitis præsidet. Ædificia, quæ aliquod ornamentum eidem adferunt, est noster Conventus, item domus salinariæ, & Officialium, Oppidani humilibus contenti sunt. Hîc pons per Tibiscum oblongus securum tum curribus, tum pedestribus præbet transitum.

E Religiosis Ordinibus soli Fratres Minores Strictioris Observantiæ hîc reperiuntur; Incolæ linguâ utuntur Patriâ, & Religioni sunt addicti Romano-Catholicæ, neque aliquem patiuntur Acatholicum, & quod illis summam in laudem accedit, Fidei avitæ ab antiquo tanta firmitate adhæserunt, ut ab ea nec jugum Turcicum, neque Heterodoxorum callidæ persuasiones eosdem avellere potuerint, siquidem zelosos Missionarios isthæc Alma Provincia Salvatoriana turbulentis illis temporibus semper submiserit, qui eosdem salutaribus, efficacibúsque consiliis juvarent, Sacramentis munirent, ac in Fide roborarent; Tota enim plaga ista inferior Gyöngyösinô Szegedinum usque protensa per Patres hujus nostræ Provinciæ, veluti indefessos Christi pugiles fuit conservata, ac in Fidei firmitate custodita, quod beneficium hodiedum etiam fatetur, & ultra recognoscit.

Incolæ omnes Catholici, & idiomate utuntur Ungarico.

Patres nostri his in partibus zelosos se præbent *Missionarios*.

N. 319. Oppidô itaque solutô à Tyrannide Turcica annô, ut supra memini 1685. populus accrevit in tantum, ut Grex fidelis emergeret validus, qui ut erat salutis propriæ non incurius, ne Spirituali careret solamine, ac unà Pastore, neve aberraret in solitudine absque fideli Ductore, ad hanc laboriosam nostram recursum fecit Provinciam, quatenus humilibus, ac devotis eorum annueret postulatis, & zelosos submitteret Verbi Dei Præcones, animarúmque Curatores; Proinde prout Szolnokiensium pia petitio volebat, Majores nostri pari pietate commoti, P. Bernardinum Somodi primum submiserant, qui ut erat Concionа-

Ad instantiam Szolnokiensiũ P. Bernardinus Somodi submittitur, qui postea imus Præ-

dens ejusdem loci declaratur.

cionator eximius, Vir pietate, & zelô plenus, Gregem Chriſti verbô, & exemplô mirificè pavit, rebus Spiritualibus providit, ac ut ſibi, & Fratribus ſuis poſteà ſociis de commodo loco provideret, in Præſidio locum penes Fanum Turcicum ſibi oblatum acceptavit, ubi tranſactis decem circiter menſibus, annô 1686. proximè ſequenti in Congregatione die 5ta Maji Hradiſtii celebrata Præſidens Szolnokienſis nominatur, & ut talis Tabulæ inſcribitur, eò ordinatis duobus, quibus præeſſet Patribus Concionatoribus, ſubſequis temporibus Fratribus magis, ac magis multiplicatis.

§. II.

Reſidentia inchoatur, per tumultuarios Arx, & Oppidum incineratur, & Fratres recedere coguntur.

Reſidentiam noſtri in Præſidio inchoant, & Fano Turcico Sanctiariũ adjungunt.

N. 320. LOcum in Præſidio Fratres jam adepti, piô Chriſti Fidelium ærariô eorum ſtudium, & laborem adjuvante ædificium inchoârunt, & Cellas, quæ tractu temporis exſurrexerant, Fano Turcico (quod communiter Moſchæam vocitamus) adjungebant, capacitas verò Moſchææ, in Ritum Catholicum traductæ non erat tanta, quantam Civium, & militum Præſidiariorum numerus expetebat; Hinc Sacratiorem partem, Sanctuarium duntaxat eidem Fratres noſtri addidêre, quod in præſens etiam perſeverat.

Rebelles Patriæ Filii Præſidium cum Reſidentia, & Templo ncendunt, & noſtros abinde ex turbant.

Fratres hocce in domicilio jam commodè inſtructo quietè Deo famulabantur, & populo inſerviebant, verùm hanc quietem inimicus, infernalis animarum prædo eis invidit, dum annô 1697. novam iterum metamorphoſim Regno ſuperduxit, animos videlicet Rebellium in fatales tumultus incitando, qui Arcem cum Templo, & Reſidentia in favillas redegerunt, ſicque Fratres cum Oppidanis exulare coacti, veſtigia tantùm, & memoriam ſui reliquerunt. At hic turbo, illuceſcente ſereniore ſydere brevi diſſipatus, & populus varias in partes dilapſus, anno mox ſequenti 1698. conglomerari cœpit, Patrésque noſtri, ad locum priſtinum repadârunt, at quia Eccleſia, & Reſidentia ſuos intuentibus objectabat cineres, ſanè ſine amaris lacrymis videri non poterant, exinde Patres neceſſitati ſunt in quadam domo Præſidiali ſuas, & Parochiales Devotiones peragere, & continuare uſque ad annum 1703. quô Princeps Tranſylvaniæ Franciſcus Rakoczius novam rebellionem excitaverat, adlectis in ſuas partes plurimis hæreticis ſexcenta mala poſteà Regno inducentibus.

Patres iterum redeunt

Tempore rebellionis Rakoczianæ Hæretici multa damna inferunt Ecclesiis, & Religioſorum domibus.

N. 321. Tunc vidiſſes Lector benevole! in hoc Regno Mariano-Apoſtolico non humanam, ſed ab Orco excitam Acatholicorum adversùm Orthodoxæ Fidei Cultores exertam rabiem, & tyrannidem; Quantæ tunc ſeditiones in Hungaria, tumultus inteſtini, & in populo contradictiones! Omni ſepoſitâ Sacrorum reverentiâ, Sacro-Sancta Sacramenta profanabantur, Paræciæ, Templa, Scholæ, per hæreticos contra omne ſanum jus violenter occupabantur, Monſtratoria, Calices, Sacræ Myſtarum veſtes, cæteráque Deo ſacrata ſupellectilia in abominandum profanum uſum à profanis nebulonibus convertebantur, Parochi æquè, ac Religioſi ad necem conquirebantur, conquiſiti incarcerabantur, carceribus incluſi miſerum in modum divexabantur, nec aliud Cœlo gratius putabatur, quàm innocuo Sacerdotum ſanguine litare, verbô, omnia ſine lege, ſine conſcientia agebantur, ut meritò huc aptari poſſit illud Naſonis de bello Trojano: *Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.*

Exemplum tragicum.

Inter reliqua, & millena alia vel de Szolnokino tragicum hoc appono exemplum: luctuoſa illa tempeſtate, non vano metu perterriti Viri, juxta ac mulieres, pueri, & ſenes, in Eccleſiam noſtrorum Fratrum ſtudiô denuò reparatam, tanquam locum aſylarem annô 1706. tutandæ vitæ gratiâ ſe ſe receperunt, ſed nec receptaculum hoc licet ſacrum, furorem hæreticorum reprimere poterat, verùm omnes ſine diſcrimine ſexûs, vel ætatis gladiis ſuis peremerunt, ac rabiem,

biem, quam in Fratres noſtros ad tutiora ſe fortè recipientes effundere non poterant, in ædificium ipſorum ex aliqua parte jam reſtauratum, & Eccleſiam effuderunt, dum igne ſuppoſito concremaverunt, cunctum ſacrum apparatum, Organum, & hujusmodi alia aut diripuerunt, aut nulli uſui ampliùs apta reliquerunt.

Noſtri Solnokinum jam tertiò ſubintrant.

N. 322. Poſt tantam furiali excuſam caminô ſtragem, Oppidum Szolnokienſe annis circiter quatuor remanſit deſolatum, & ſuis cineribus opertum, compoſitis poſtea in Regno tumultibus pax optata rediit, & populô congregatô Patres noſtri tertiò jam Szolnokinum ſubintrârunt, & ad Rippam Tibiſci ſupra modernum Conventum domicilium fixerunt, ubi erectis aliquot gazulis, & Oratorio ex meris arundinibus foris, & intus lutô complanatis populo ſerviêrunt.

Nova Capella pro noſtris cõſtruitur.

Verùm nec hic locus fuit adhuc ſtabilis, nam annô 1717. auctâ aliquantum in Præſidio priſtinâ Reſidentiâ, eò commigrârunt, at unô tantùm annô ibidem commorantes. Miſeratio tandem Divina poſt tot novercantis fortunæ fata commovit cor, & animum Perill. D. Ignatii Bereczki, eò tum ſalis Perceptoris, qui piis ſuis ſumptibus Capellam curavit in rippa Tibiſci erigi ad modum Sanctuarii, cui deinde reliquum Corpus Eccleſiæ adjungeretur, penes quam Fratres ligneas aliquot domos erexerant, in eis interim commorantes, donec poſitô fundamentô Conventûs, alias ex ſolida materia apparerent.

§. III.

De Structura Conventûs, & Eccleſiæ.

Inchoatur ædificium moderni Conventûs

N. 323. HAbitâ jam Capellâ, & loco ſtabili, Fratres noſtri annô 1723. inchoârunt æ ificium novi Conventûs ſub Præſidente P. Ambroſio Paulovics, & factum eſt fundamentum primi tractûs ad Orientem, versùs Præſidium, qui dein pro t ſubſidium devotorum Fidelium, conamen Fratrum adjuvabat, ad ſuum faſtigium provehebatur eo progreſſu, ut recens hoc ædificium Capellæ (cujus priori paragrapho memini) conjunctum, jam annô 1729. non ſolùm Sacriſtiam, Cellarium, & Diſpenſam, verum, & ſuperiores Cellas ſuperædificatas habuerit. Annô verò 1731. die 30. Julii primus lapis versùs hortum ad plagam Meridionalem, ſecundi tractûs, in quo Refectorium, & culina viſitur, feliciter impoſitus eſt ſub Præſidente P. Emerico Szent-Királyi, & annô 1733. ſub Præſidentatu P. Nicolai Tuchinſzki, ingreſſi ſunt Fratres novam Reſidendiam die prima menſis Decembris.

Ponantur fundamenta pro nova Eccleſia.

Unde novam jam nacti habitationem, videntes Eccleſiæ ampliationem eſſe ſummè neceſſariam, annô 1736. ſub Præſidente P. Joachimo Szombati jacta ſunt fundamenta Navis Eccleſiæ, & adjuncta ſuprafatæ Capellæ, futuro nimirùm Sanctuario, plurimùm hic Fratrum inopiam ſublevante Nobili D. Helena Vörös, Perill. D. Széleſi relictâ Viduâ, quæ ex ſua pia liberalitate florenos mille obtulit, ſicque eôdem annô die 9. Octobr. è terra ſunt educta fundamenta, & labor, qui tota ſequente hyeme quievit, annô 1737. die 9. Aprilis iterum reſumptus eſt, & ventum eſt ad elevandos parietes, qui dein annis ſubſequis faſtigiati lacunaria receperunt, hæc ſtructura feliciter poſtea terminata, ſi fundamenta excipias, præter laboriosè conquiſitas elemoſynas ſpecialem Patronum novit neminem.

N. 324. His ita actis, annô 1748. die 30. Aprilis ſub Præſidente P. Stephano Fiſſer data ſunt initia tertio tractu Conventûs ad Solem Occiduum, annôque eôdem die 19. Novembris ſub Præſidente P. Modeſto Knoll terminatus. Annô tandem 1751. P. Hyacinthus Roſa ejusdem Reſidentiæ Præſidens quartum tractum, ambitum inferiorem, & ſuperiorem, complectentem versùs Boream lateri Eccleſiæ conjunctum fecit incruſtari, lævigari, & calcem eidem ſuperinduci, hôc

modô Eccleſia, & Conventus jam in quadro poſitus, labore Fratrum, ac piô Munificorum ſubſidiô aſſurrexit, & ultimum apicem accepit.

Crypta toti Eccleſiæ ſubinducitur.

Quia tamen Crypta adhuc defuerat, hæc annô 1752. ſub modò dicto Præſidente per totam Eccleſiam, trifariam diviſa ſubinducta eſt, ex Munificentia Generoſi D. Joſephi Tajs, pro tunc Reſidentiæ Syndici Apoſtolici, qui omnes operarios proprio ære ex toto contentavit, cui dein, una cum prolibus, & Conthorali A. R. P. Modeſtus Trubeczky Miniſter Provincialis in eadem jus ſepulturæ juſtè conceſſit.

§. IV.

Reſidentia titulô Conventûs donatur.

Ex Reſidentia fit Conventus, & Chorus inchoatur.

N. 325. ÆDificium jam non niſi Fratrum numerum ampliari deſiderabat, qui de more noſtrorum reliquorum domicioliorum Pſalmos Vatis Regii, diu, noctuque in Sacrificium Laudis Deo immolarent. Annô itaque 1753. die ſeptima Maji in Capitulo Provinciali Galgoczii ad omnes Sanctos celebrato Reſidentia iſthæc titulô Conventûs condecoratur, & qui ei præeſſet Proto-Guardianus, eligitur M. V. P. Hyacinthus Roſa, & Chorus die ſeptima Julii à primis Veſperis per A. R. P. Modeſtum Knoll Miniſtrum Provincialem incœptus eſt, reliqua ſolemnitate translata in diem ſequentem, quæ fuit Dominica quarta poſt Pentecoſten; Hôcque eôdem annô Studium S. Moralis Theologiæ Szegedinô huc transfertur, cui Lector præficitur M. V. P. Antonius Beſſenyei, hujusmodi Studium uſque in præſens continuatur.

Studium Morale Szegedinô Szolnokinum transfertur.

Sanctuarium novum erigitur.

At verò Capella pro Eccleſiæ Sanctuario deſtinata, cujus mentio ſuperioribus Paragraphis facta eſt, tanta non erat, ut reliquo Corpori proportionaretur, hinc annô 1754. die 3 Maji à fundamentis erecta fuit, & in locum ejus pro novo Sanctuario, & Turri primus lapis impoſitus eſt, & hoc utrumque annô 1757. conſummatum eſt, Turris tamen, quæ interimaliter tecta eſt, pro competenti, & elegantiore tecto ad futura tempora remiſſa manet. Occaſione hujus neoerecti Sanctuarii hoc utilitatis Eccleſiæ, & Conventui acceſſit, quod Sacriſtia poſt Altare majus comodum locum acceperit, ſuper quam Chorus elevatus eſt, ex quo patet porta ad turrim, & campanile, alter Chorus erectus manet ſupra portam Eccleſiæ. Campanæ pariter tres induſtriâ Fratrum comparatæ, quæ in turricula lignea ſupra tectum Conventûs erecta diu ſonabant, eôdem annô ad novam Turrim ſunt evectæ. Hæc addere licuit, Parochum Eccleſiaſticum à memoria hominum hoc in Oppido nullum fuiſſe, ſicut nec Eccleſiam Parochialem, ſed per noſtros Patres animarum cura habebatur, & ab anno 1685. pacificè ex annuentia Excellentiſſimorum, ac Illuſtriſſimorum Vaczienſium Antiſtitum continuatur.

Sacriſtia, & duo Chori.

A memoria hominum animarum cura noſtri Patres ſemper geſſerunt.

Conventus hic licet ſit compendioſus, viginti tamen, & quatuor Fratribus percommodam præſtat habitationem, quorum votivam pauperiem, & neceſſitatem largitas Benefactorum per viciniam charitativè ſublevat. Hortum ad Meridiem habet non exiguum, nunc pineis trabibus cinctum, quem Tibiſcus ſæpe alluit, & dum fit elevatior, non rarò etiam influit, & Cauletum irigat; Et hortulus tractibus Conventûs intercluſus, eſt Floræ conſecratus, in cujus medio fons culinæ potius, quam potui inſervit, hîc loci enim aqua Tibiſcana bibitur. Area versùs Occidentem ſatis ampla eſt, quæ quia omnibus eſt pervia, cincturam expetit.

Hortus, & Aræa.

§. V.

De Altaribus Eccleſiæ, & Confraternitatibus,

N. 326. ANtequam ad ſingula Altaria deſcenſum faciam, aliqua priùs circa Eccleſiam attingam. Eccleſia hæc Regularis hucuſque quidem necdum

eſt

est beneficiô Consecrationis donata, est tamen satis ampla, & amplius per novum Sanctuarium amplificata, feneſtræ, quia plures, & peramplæ, ſufficiens lumen in eam tranſmittunt. Frontiſpicium ejus, quod Occidentem reſpicit, exornat Imago lapidea Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ in tribus Perſonis opere ſtatuario effigiata, ſupra portam locata eſt annô 1757. Præter hanc Eccleſiam in Oppido nulla alia, extra Oppidum ſtat una parva Capella, quæ poſt peſtem Thaumaturgo Divo Franciſco Xaverio erecta eſt. Quantùm Eccleſiam noſtram in Præſidio antiquam attinet, ibi Pater unus ex noſtris titulô Capellani ſemper reſidet, qui militibus Præſidiariis, Spiritualia exhibet ſervitia Reſidentiæ, (noſtri olim primi Domicilii) quam Capellanus inhabitat, ſarta tecta hodie etiam Conventus noſter conſervat. Modò ad Aras.

Imago lapidea in Frontiſpicio Eccleſiæ.

In Oppido præter noſtram Eccleſiam alia nulla.

N 327. Hac in Eccleſia Altare majus, eſt dicatum Cultui Sacro-Sanctæ & Individuæ Trinitatis, quod ſtudiô, & dexteritate M. V. P. Hyacinthi Róſa in hoc loco ſecundò jam Guardiani ex puris eleemoſynis Peſtini curatum eſt, ac annô 1758. inde allatum novo Sanctuario illocatum eſt, & ab hoc Sacratiſſimo Nomine, tam Eccleſia, quàm Conventus titulum ſuum mutuatur. Ultra hoc numerantur alia ſeptem collateralia.

Altare majus.

Altare primum collaterale eſt S. Crucis impenſis Perill. D. Confratris Matthæi Stephanovics, Præſidii Szolnokienſis Anonæ Præfecti annô 1736. die 7. Septembris erectum.

Altare primum collaterale.

Secundum B. V. Annuntiatæ annô 1738. die 23. Junii erectum, quod munificum Patronum recognoſcit Dominum Joſephum Tajs Braxatorem Szolnokienſem, & ſingularem Conventûs Confratrem.

Secundum

Tertium S. Stephani Reg. Hung. annô 1752. erectum, Quartum S. Antonii Paduani eôdem annô ſuo loco accommodatum. Quintum Seraphici Patriarchæ S. Patris Franciſci (& eſt Privilegiatum) quod in monumentum ſinceræ affectionis erga ſuum Divum Tutelarem annô 1753. erexit devota Confraternitas Chordigerorum.

Tertium, Quartum, & Quintum.

Sextum Sacri Scapularis B. V. MARIÆ de Monte Carmelo, cujus Curatrix extitit Perill. Domina Helena Vörös, prout & Monſtratorii majoris annô 1753. Septimum S. Annæ per Generoſam D. Annam Steibrunerin curatum. Horum Altarium nullum eſt conſecratum.

Sextum, & Septimum.

Sacræ, ac doloroſæ Crucis exercitium in Eccleſia nondum eſt inchoatum, at illud à Fratribus in ſuperiori ambitu Sacris Stationibus exornato perficitur. Confraternitates Sacræ tres reperiuntur: Prima S. P. Franciſci Chærdigerorum annô 1737. die 23. Decembr. inſtituta, & ab Eminentiſſimo Cardinali Michaële Friderico è Comitibus ab Althan Epiſcopo Vacziensi ratihabita, & confirmata. Secunda Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ annô 1744. die 21. Maji occaſione Canonicæ viſitationis per Excellentiſſimum D. Antiſtitem Vacziensem Michaëlem Carolum è Comitibus ab Althan roborata, & firmata eſt. Tertia Sacri Scapularis B. V. MARIÆ de Monte Carmelo, quam annô 1752. die 10. Maji Idem Excellentiſſimus Præſul Vacziensis probavit, & confirmavit. Cathedra circa medium Eccleſiæ ex parte Epiſtolæ, Columnæ parietinæ applicata conſpicitur, ad quam ex ambitu ſuperiori Conventûs patet introitus.

Confraternitates ſunt tres.

Hic notanda venit lues contagioſa, quæ hocce in Oppido annô 1742. menſe Maio per populum ſerpere cepit, & tandem magis invaleſcens, intra diem quartam dicti menſis Maji, & vigeſimam quintam menſis Februarii 480. ex Oppidanis delevit, ex Patribus verò noſtris, qui ſe pro ſervitiis eorum expoſuerant, tres eadem lue contracta Martyres Charitatis effecti piè obiêre; Cui malo, ut cautè occurreretur, per DD. ſanitatis Commiſſarios ordinatum eſt, ut Præſidium noſter Pr. Capellanus reſidens provideret, Officium Salis autem, & Domum Annonariam alter, ad Oppidum militare, & exterius, alii ex Conventu ordinati ſunt.

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô
1686. P. Bernardinus Somodi.
1687. Idem.
1688. P. Franciſcus Szürtei.
1689. Idem.
1690. P. Joſephus Biró.
1691. P. Alexius Fekete.
1692. Idem.
1693. P. Franciſcus Szürtei.
1694. P. Joannes Nagy.
1695. P. Bonaventura Csötö.
1696. P. Joannes Bárkányi.
1697. P. Dionyſius Keleſſi.
1698. P. Antonius Bereczki.
1699. Idem.
1700. P. Fortunatus Föczén.
1701. Idem.
1702. P. Raphaël Géczi.
1703. P. Joachimus Molnár.

Licet poſt hunc annum Patres à Rebellibus multa perpeſſi ſint, adhuc tamen populo, qui remanſerat inſervire non ceſſabant, etiam cum periculo vitæ, ſiquidem P. Joachimus Molnár. *annô 1705. in Tabula Provinciæ ſcribatur Præſidens Szolnokienſis, cum duobus Patribus, & uno Laico Profeſſo, & dein usque ad annum 1710. manſit Oppidum deſolatum, ubi hoc prædictô annô in Tabula Provinciæ leguntur ſequentia: Pro Szolnokino attendat* M. V. P. Guardianus Kecskemetienſis, *quamprimum homines inhabitare ceperint tranſmittat eô* M. V. P. Michaëlem Javorski.

1711. P. Bonaventura Engelhart.
1712. P. Dominicus Vonnák.
1713. P. Joannes Bacſa.
1714. Idem.
1715. P. Baſilius Maróti.

Annô
1716. Idem.
1717. P. Ambroſius Paulovics.
1718. P. Emericus Morvai.
1719. P. Athanaſius Sziſztó.
1720. P. Dominicus Vonnák.
1721. P. Sylveſter Vaſs.
1722. Idem.
1723. P. Ambroſius Paulovics.
1724. P. Joachimus Sükeſt.
1725. P. Fortunatus Föcsén.
1726. Idem.
1727. P. Ladislaus Farkas.
1728. P. Joannes Bacſa.
1729. P. Adamus Kropff.
1730. Idem.
1731. P. Emericus Szent-Királyi.
1732. P. Raphaël Cſaſzta.
1733. P. Nicolaus Tuchinſzki usq; ad annum 1736.
1736. P. Joachimus Szombati. uſq; ad annum 1739.
1739. P. Nicolaus Tuchinſzki. uſq; ad annum 1742.
1742. P. Gregoius Gulyás.
1743. P. Daniel Harai. uſq; ad annum 1746.
1746. P. Urbanus Nedeczki.
1747. P. Stephanus Fiſſer.
1748. P. Modeſtus Knoll.
1749. P. Petrus Greskovics.
1750. P. Hyacinthus Rósa. qui tandem
1753. Proto-Guardianus factus eſt.
1754. Idem.
1755. Idem.
1756. P. Franciſcus Muhorai.
1757. P. Hyacinthus Rósa.
1758. Idem.
1759. Idem

XXVIII. CONVENTUS BARTPHENSIS AD SANCTUM JOANNEM BAPTISTAM.

§ I.

Compendiosa Descriptio Civitatis Bartphensis.

N. 328. BArtpha Civitas Regia, Liberáque sua initia reducit ad Annum 1324. Condita à Carolo hoc nomine primo Rege Hungariæ, qui Coronatus Albæ Regali annô 1310. die 2. Januarii, obiit annô 1342. die 16. Mensis Julii in Vissegrad, & sepultus Albæ Regali in Basilica S. Stephani Hæc colliculo incubat non procul dissita à Confiniis Poloniæ, satis amplis coronatur suburbiis, ex parte una ternis, ex altera geminis cingitur muris, sed jam ruinæ obnoxiis, duæ ejus portæ, quas habet, curribus transitum præbent, tertia solis pedestribus patet; fluvii, qui penes decurrunt, lingua vulgari nominantur *Topla*, & *Lukavicza*, montes, colles, & Sylvas comminùs circumspicit, in vicino autem monte Templeraii olim inhabitabant domos magnificas, qui postea sæculô qrartô supra Millesimum esse desierant. Conditor Civitatis Carol. primus Rex Hungariæ.

Ædes in Civitate ad commendationem antiquitatis visuntur satis venustæ, Templo primario, in quo Cives colunt S. Ægyidium Parochus præest Ecclesiasticus, Fratres Minoros S. Francisci à Strictiori Observantia nuncupati, Templum suum habent, & tum in hoc, tum in illo Verbum DEI idiomate Slavonico Auditoribus proponitur, illud quondam fuisse PP. Dominicanorum, juxta alios PP. Benedictinorum, nostrum verò PP. Augustinianorum fert fama sed incerta. Senatus olim totus Acatholicus, nunc in Magistratu omnes Catholici. Prætorium antiquitatis venustum spectaculum stat in medio fori à privatis ædibus discriminatum, ad quod antea Senatores, Romanorum æmuli, palliati procedere assolebant. Magistratus totus est Catholicus.

N. 329. Lutherani in Hungaria sua prima incunabila huc induxêre, Cives malis jam erroribus inescatos, Lutherus, & Melanthon mali Magistri pessimus discipulus, sæpe per litteras invisebant, ac Lutherus suum discipulum nomine Stökelium huc expediverat, ut insana dogmata, quæ insanus inbiberat disseminaret, hæc insana semina usque nunc suffocari non poterant, habent enim, & modò Fanum unum in Suburbio, Prædicantes verò tres, ab uno Slavi, à reliquis duobus Germani virus malignæ suæ Sectæ hauriunt, quibus ab anno 1743. est indulta facultas suos infirmos, & captivos in Civitate invisendi, corpora tamen non in Civitate, sed foris ante portam levant, & levata ad suum Cœmeterium deferunt. Religionem si spectes, plebis tam Urbanæ, quam Suburbanæ medietas est Romano-Catholica, medietas Luthero paret, his junguntur Rutheni, at valde pauci. Et ne memoriâ excidat, in Suburbio extat Capella Honori S. Annæ Sacrata, & Xenodochium cum sua Ecclesia. Lutherani in Hungaria hic sua prima posuêre fundamenta. Incolarum medietas Catholica, medietas Acatholica.

Regiæ hujus Urbis opulentia qualis, quantáve olim fuerat, tres supra decem Pagi, quos possederat, demonstrant, at modò Censum tantùm à tribus percipit. Isthic quondam Præsidarii milites residebant, horum hodie nullus est, Civitas tamen alit suos Satrapas, qui in portis excubant. In loco, ubi nunc situatur Civitas, Sylva erat arboribus Taxi obsita, modò hic de talibus lignis nihil est reperire, nisi in antiquis cellariis. Dominium hujus Civitatis tredecim pagis constabat.

§ II.

De collatione Fundi, Ædificatione Reſidentiæ, & quas viciſſitudines Fratres noſtri ab Hæreticis perpeſſi.

Fratres Minores Bartpham inducuntur, & locus eisdem aſſignatur.

N. 330. ANnô Domini 1670. Pontificatum gerente Clemente IX. Invictiſſimus Cæſar, & Rex Hungariæ Leopoldus I. ex innato ſuo in rem Catholicam zelo, loca ſuis veris Paſtoribus viduata, ſedulis in Vinea Domini Operariis cupiens reſtaurare, Filios Seraphici S. P. Franciſci in Civitatem Bartphenſem induxit, eiſque ſolitariam, & deſolatam Eccleſiam, olim Honori Præcurſoris Domini D. Joannis Baptiſtæ dicatam, contulit, in qua quondam PP. Ordinis S. Auguſtini (ut vulgus opinatur) Deum laudabant, quam ante Noſtrorum Fratrum ingreſſum Slavonica Natio Sectæ Lutheri addicta poſſidebat, alteram verò D. Ægydio Sacram populus Germanicus iisdem æquè erroribus infectus frequentabat.

Reſidentia inchoatur.

Hanc igitur Eccleſiam, & locum nacti Patres noſtri, de domicilio erigendo cogitabant, ſiquidem penes prædictam Eccleſiam ampliùs ne rudera quidem antiqui Aſceterii apparebant; Hinc ex pia Fidelium contributione cellæ, licet numerô paucæ, muris tamen Eccleſiæ contiguæ ſunt erectæ pro Reſidentia ſub Proto-Præſidente M. V. P. Joanne Ziveczky, poſtea hujus Provinciæ Miniſtro Provinciali, ubi annos aliquot licet in medio hæreticorum in pace exegerunt, at quia ſub Sole nihil variabilius tempore, Duce Tökölio malè contenti Patriæ Filii Regnum iteratò interturbant, Sacra eorum Supellectilia diripuerunt, contaminârunt, quibus nîl meliores Cives Bartphenſes, affectæ Religionis ſuæ dolore incenſi, virus, quod diu in pectoribus ſuis fovebant, in Fratres noſtros pleno furore effuderunt, eosdem diras priùs perſecutiones perpeſſos, cum hoc ignominioſo dicterio, *Ite Miſſa eſt* Urbe ejecerunt, qui raptim collectis quibusdam reculis, ad Conventum Stropkovienſem ſe receperunt, unô tamen profeſsô Laicô Fratre Marcô foris eleemoſynam colligente deſideratô, quem in odium Fidei occiſum hæretica rabies Cœlo donavit, ſicque Eccleſiam, quam pientiſſimus Imperator benignè nobis donaverat, Cives hæretici iteratò ſuam fecerunt. At annô 1685. Rebellium tumultibus, & hæreticorum auſibus ſuppreſſis Luthericolæ etiam Bartphenſes ab Eccleſiis, quas jure violento detinebant prohibiti, & repulſi ſunt, ac Fratres hôc eôdem annô ab exilio revocantur, & loco priſtino reſtituuntur die 10. Menſis Martii, locique Præſidens in Congregatione die 24. Junii Szakôlczæ celebrata inſtituitur M. V. P. Jacobus Róſa.

Fratres per Cives hæreticos Bartphâ ignominioſè exturbantur, & unus ab hæreticis occiditur.

Iterum revocantur.

§. III.

Nova fundamenta pro Reſidentia ponuntur, quæ poſteà in formalem Conventum erigitur.

Nova fundamenta ponuntur pro Reſidentia, quæ poſtea ſuâ perfectione adepta in formalem Conventũ erigitur.

N. 331. QUia nihil ſub Sole tam ſtabile, quin vetuſtate temporis ſingula ſuis viciſſitudinibus fiant obnoxia, hinc eſt, quòd Domus, quas Fratres poſt ſuum regreſſum laborioſè erexerant, ætas antiquaverit, & ruinæ ſubdiderit, ut non niſi validiorem operariorum manum expoſcerent; Quare annô 1740. nova fundamenta ſunt jacta pro nova Reſidentia, quod ædificium ſub variis Præſidentibus pia munificentia devotorum Fidelium ita ſucceſſivè promovit, ut annô 1759. in Capitulo die 20. Maji Gyöngyöſſini celebrato inter formales Conventus ſcriberetur, aſſignatô ei Proto-Guardianô M. V. P. Nicolaô Victor.

Chorus inchoatur.

Reſidentiâ hôc modô in Conventum erectâ, Chorus annô mox præmemoratô 2. Julii pridie videlicet Feſtivitatis B. V. Mariæ Eliſabeth Viſitantis Adjutoriô Dei invocatô à primis Veſperis reſonare incepit. Conventus hic tractibus ſuis quadratus, & in breve compendium contractus cellas non niſi 16. Religioſis Perſonis accomodare valet, Refectoriô, cellariô, & aliis neceſſariis officinis eſt

unde-

undequaque proviſus. Hortus, & Area ob Civitatis anguſtiam nec ampla, nec ſpacioſa, ædificio tamen contigua.

Eccleſia non eſt Conſecrata.

N. 332. Eccleſia eſt ampla ſatis, cujus ornamentum maximum, quòd antiquitatem oſtentet, Sanctuarium ejus opere Cæmentario eſt cameratum, reliquum verò Corpus contabulatis aſſeribus contentatur. Eccleſia an unquam fuerit conſecrata hucuſque nemini conſtat, Altaria verò in ea numerantur ſeptem ſequentia.

Altare majus.

Altate majus exhibet effigiem S. Joannis Baptiſtæ, à quo titulus tam Eccleſiæ, quàm Conventûs.

In Sanctuario ſunt tria collateralia Altaria.

In Sanctuario tria viſuntur Altaria collateralia: B. V. MARIÆ Gaudioſæ duntaxat, S. P. Franciſci, & iteratò B. V. MARIÆ doloribus Filii ſui Unigeniti indolentis.

In navi Eccleſiæ pariter tria.

In Navi Eccleſiæ ſunt pariter tria; Sanctæ Crucis, quod eſt Privilegiatum, S. Antonii Paduani, & S. Joſeph Chriſti Nutritii.

Confraternitas Chordigerorũ.

In hac Eccleſia licet nulla ſit formata Crypta, multi tamen reperiuntur in ea tumulati. Confraternitas unica tantùm eſt erecta, & illa eſt Chordigerorum Seraphici S. P. Franciſci. Altare verò nullum eſt conſecratum. Cæterùm ſicut ædificium Conventûs ex eleemoſynis conquiſitis exſurrexit, ita pariter Fratrum pauperiem, & neceſſitatem quotidiana mendicatio ſublevat.

Piæ Fundationes.

N. 333. Piæ Fundationes Religioſo huic Domicilio acceſſerunt ſequentes: Ad diſpoſitionem Illuſtriſſimæ D. Suſannæ Pethö, Illuſtriſſimi quondam Franciſci Barkóczi Conthoralis annô 1688. die decima Decemb. factam, annuatim ſingulis hebdomadibus feriâ quintâ, in honorem, & memoriam ſeptem Gaudiorum B. V. Mariæ una Miſſa legitur. Et modò ſecundùm diſpoſitionem Teſtamentariam, pro illa, & antelato ejuſdem Marito hebdomadatim hæ Miſſæ alternantur.

Ab anno verò 1724. ad devotam pariter Diſpoſitionem A. R. D Andreæ Joſephi Horváth, Parochi quondam Oppidi Zborovienſis, quâlibet feriâ Sextâ Miſſæ Sacrificium, pro refrigerio animæ ejuſdem peragitur.

Tandem Excellentiſſimus D. Generalis Gabriel Splény annô 1740. piam Fundationem pro oleo lampadis condidit, quô perpetuum lumen coram Sanctiſſimo, Venerabili Altaris Sacramento foveretur.

ELENCHUS SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô

1670. P. Joannes Ziveczky.
Idem uſque ad annum 1675.
1675. P. Benedictus de Andreacze.
1676. P. Bartholomæus Klobutzki.
1677. P. Arſenius Dióſſy.
1678. Idem.
1679. P. Ladislaus Nadoſény.
1680. P. Michaël Kuratóczi.
1681. P. Euſebius Staronczek.
1682. Idem.
Deinde Fratres per Cives hæreticos Bartphâ exturbati manſerunt Stropkoviæ uſque ad annum 1685.

Annô

1685. P. Jacobus Róſa.
1686. P. Laurentius Firley.
1687. P. Maximilianus Waltſtejner.
1688. P. Raphaël Samkó.
1689. P. Remigius Hadács.
1690. Idem.
1691. P. Raphaël Samko.
1692. Idem.
1693. P. Emericus Terchovics.
Idem uſque ad annum 1696.
1696. P. Capiſtranus Koſulics.
Idem uſque ad annum 1699.
1699. P. Iſidorus Krizidovsky.

1700. Idem.
1701. P. Remigius Hadacs.
1702. P. Auguſtinus Hamernik.
1703. P. Capiſtranus Valovics.
Idem uſque ad annum 1707.
1707. P. Jacobus Róſa.
Idem uſque ad annum 1713.
1713. P. Laurentius Piſſoff.
Idem uſque ad annum 1717.
1717. P. Narciſſus Zniava.
Idem uſque ad annum 1720.
1720. P. Martinus Ziveczki.
1721. Idem.
1722. P. Lukas Duchkovics.
1723. P. Clemens Cſaſzta.
1724. P. Laurentius Piſſoff
1725. Idem.
1726. P. Donulus Szrna.
1727. P. Franciſcus Lyptai
1728. Idem.
1729. P. Arſenius Brzezina.
1730. P. Gregorius Waczulik.
1731. P. Emericus Ragyóczy.
Idem uſque ad annum 1734.
1734. P. Ludovicus Schmidek.
1735. Idem
1736. P. Stanislaus Sevelóczy.
1737. P. Raphaël Richter.
1738. P. Bernardinus Polakovics.
1739. P. Felix Lukovics.
1740. Idem.
1741. P. Urbanus Bartai.
Idem uſque ad annum 1744.
1744. P. Bernardinus Polakovics.
1745. Idem.
1746. P. Thomas Kapik.
Idem uſque ad annum 1754
1754. P. Columbanus Tiger.
1755. P. Nicolaus Victor.
Idem uſque ad annum 1759
1759. P. Nicolaus Victor Proto-Guardianus.



XXIX. CONVENTUS SZENT-MARIENSIS AD S. MICHAELEM ARCHANGELUM

§ I.

Notatur Vetus Szabatkæ Status, & Catholicorum Persecutio.

N. 334. ORas has nunc desertas olim Gentem Hungaricam incoluisse, ipsa Prædiorum, quæ hujus loci incolæ possident, nomenclatura indigitat, adeòque ante Cladem Mohacsianam Parochi Ecclesiastici Spiritualia peregêre munia, quibus Fratres Minores Szegedinô à suppetiis erant. Devastatis per Cladem dictam his prædiis, & dirutis Ecclesiis, pulsisque cum fideli grege Spiritualibus Pastoribus, Szabatkæ Turcæ sibi Castellum ad instar Munitionis extruxerunt; Lapsuque temporis Oppidum ipsum advocatis ex Dalmatia, Bosnia &c. Populis Catholicis partim, partim Schismaticis impopulaverunt, quibus Patres Provinciæ nostræ Szegedinô submissi Divina zelosè, sed clam, administrabant, quam ob causam in odium Fidei sæpissimè pulsi, hinc inde per deserta latitabant, quos tamen Patres nostri, ementitâ etiam veste, ubique comitabantur, Verbi Divini pabulô, ac usu SS. Sacramentorum eosdem confortando; Dum verò ab Infidelibus Turcis conquirerentur, in Prædio *Ludas* dicto, paludi unà cum Patribus collotenus immersi interdiu manebant, & dum eminùs hostem spectarent, caput aquis immergebant, indita ori arundine, per quam Spiritum ducerent, noctu verò Spiritualibus operam dabant, & corpus reficiebant sæpe crustulas panis desiderando. Hæc genuina fassio, & relatio fuit quorundam eorum superstitum, dum hæc annotarentur, & Protocolo insererentur.

Ante Cladē Mohacsianā planitiē circa Szabatkā Ungari incolebant.

Turca Szabatkā occupat eāq; munit.

Catholicos Szabatkienses Turca persequitur, quos Patres nostri ubique comitantur.

Prudens inventum virtam infra aquā conservandi.

§. II.

Turcâ repulsô, Sabatka fossatis munitur, suum Nomen amittit, & nominatur Szent-Maria.

N. 335. EXpulsô ex Hungaria Turcâ, & propè ad Szentham ultima clade attritô annô 1693. jussu Suæ Sacratissimæ Majestatis Oppidum hoc 14. fossatis cingitur, quæ militari manu ad defensionem limitum præmuniuntur, quæ hodie etiam visuntur. Verùm annô 1744. fossatum Szabatka à statu militari reductum est, & Oppidum suppresso nomine Szabatka, Szent-Maria nuncupatum est.

Szabatka fossatis cingitur, & militibus munitur. Opp. nomen Szent-Maria imponitur.

Interea temporis præmemoratum Castellum incollebant quatuor Capitanei, Palatium verò in eo existens deputatum fuerat pro Capella, Patres autem Conventui Szegedienſi incorporati, idiomatis Illyrici aliàs gnari pro Capellanis deputabantur, qui ab Archi-Episcopis Colocensibus Parochiæ Administratores instituebantur, & denominabantur. Quia verò populus sensim augebatur, multíq; & quàm plurimi operâ Patrum nostrorum Schismate abjurato Ecclesiæ Romanæ aggremiabantur, in tantùm quidem, ut dum eorum vix decima pars Orthodoxa inveniretur, nunc vix vigesima pars Schismaticorum remanserit. Hinc non inconsultò concluſum est, ut dicti Patres in eodem Castello stabiliter permanerent ad serviendum populo.

Patres nostri Capellani Szabakenses, ab Archi-Episco Colocensibus Administratores Parochiæ instituuntur.

N. 336. Crescente tandem in dies populo fideli, augeri debuit, & numerus Spiritualium Operariorum, qui cùm competentem in Castello locum non haberent, ad latus Castelli ex incoctis lateribus Domicilium sibi extruxêre, quod annô 1717. in formalem Residentiam ab Alma hac Provincia acceptatum, pri-

Fratres sibi Domicilia ædificant,

quod in Residentiã acceptatur, & ei Præsidens P. Ludasi præficitur.

mum Præsidentem obtinuit M. V. P. Hieronymum Ludasi, Virum zelosum, & optimè de hoc populo meritum, cujus nunc etiam memoria apud eosdem vivit. Divina adhuc continuabant in dicti Castelli Sacello indefessè magnô animarum lucrô, & solatiô, ex quo inexplicabilis amor populi erga nostros, & Almam Provinciam nostram excrevit, qui, & modò fovetur.

§ III.

Castellum reformatur in Ecclesiam.

Castellum in Ecclesiã convertitur, eique novum Sanctuarium additur.

N. 337. SIquidem angustum Sacellum populum jam multiplicatum capere nequiverit, Patres nostri de capaciori Ecclesia erigenda meditabantur. Hujus rei occasionem dedit recens reductio à Statu milltari hujus Oppidi Incolarum, quod factum subodorans Excellentissimus D. Commendans Præsidii Szegediensis (eò tum in his partibus Cæsareus vices agens) Franciscus de Pilerd, ad instantiam A. R. P. Ministri Provincialis Josephi Bede, obtinuit per Decretum à Sua Cæsarea, Regiáque Majestate CAROLO hujus Nominis VI. ut Castellum suprafatum in Ecclesiam transformaretur, cujus duobus collateralibus parietibus perruptis novum Sanctuarium additum est, cujus primus lapis annô 1730. benedictus, & impositus est, annô tandem 1736. Ecclesia satis ampla, unà cum tractu, seu ambitu sibi conjuncto ad ultimum fastigium deducta est. Turris ad latus Frontispicii adhuc manu Turcica extructa remansit, in qua Campanæ quinque satis graves elevatæ sonant, quæ omnia Fratrum nostrorum sedulâ curâ, & labore, nec non ex pio Benefactorum subsidio comparata, & curata, liber hujus Conventûs ad similia deputatus testatur, & clarè edocet, prout, & Magistratus, & Communitas in suo literali instrumento annô 1757. superinde confecto ultroneè contestantnr. Quia verò authentica erectio Religiosi Domicilii Consensum Diœcesani prærequirit, eatenus Litteras hujusmodi facultativas subnecto tenoris sequentis:

In Turri 5. Campanæ, quas unà cum ædificio adjunjuncto Fratres nostri ex conquisita eleemosyna curârunt.

Consensus Episcopalis.

N. 338. *NOs EMERICUS DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ S. R. E. Tituli S. Eusebii Presbyter Cardinalis è Comitibus Csáky de Keresztszegh, Perpetuus Terræ Scepusiensis, Ecclesiarum Colocensis, & Bacsiensis Canonicè unitarum Archi-Episcopus &c. Damus pro memoria, significantes, quibus expedit, Universis: Quod cùm Nos ad demissam Instantiam Honorabilis in Christo Patris Martini Waczulik S, Ordinis Seraphici Strictioris Observantiæ Provinciæ Hung. SS. Salvatoris ex-Custodis, Nobis propterea, ut Sacrum Seraphicum Ordinem in Oppidum Szabatka in Diœcesi Episcopatûs Nostri Bacsiensis situm, jam ante Quadraginta circiter annos de Mandato Cæsareo-Regio introductum, & ab Antecessoribus Nostris admissum, & receptum, authoritate nostra admissionem hanc ratam habentes, pariter quantùm opus esset denuò admitteremus, & reciperemus, debita cum humilitate factam; consideratis insuper, & attentis salutaribus, ac zelosis meritis Patrum, & Fratrum ejusdem S. Ordinis jam fatæ Provinciæ Salvatorianæ in dicto Oppido szabatka, & aliis Archi, & Diœcesum Nostrarum Locis, maximè sub id tempus, quô major pars hujus Regni Hungariæ Othomannicæ Tyrannidis, naturalis quippe Christiani Nominis hostis jugum tolerare, sub eoque ingemiscere cogebatur, pro conservanda Fide Catholica, & expost in præsentiarum, utque fervidè & constanter sub continua Fratrum, utilissimè servientium Exmissione, præstitis, in futurúmque pari Devotionis zelô, uti confidimus, præstandis, & exantlandis, Potissimùm autem visô eô, quòd partes illæ Szabatkenses fluctibus Hæresis, & Græci Schismatis agitarentur, nullisquè aliis Sacerdotibus, sive de Clero Ecclesiastico, sive de Regularibus provisæ essent; His igitur aliisque ex motivis muneri Nostro Pastorali omnimodè satisfacere cupientes, in Augmentum Gloriæ Dei, Promotionem Salutis Animarum, Propagationem Orthodoxæ, ac unice salutiferæ Fidei Romano-Catholicæ animô deliberatô, eosdem Patres & Fratres mentionati Sacri Ordi-*

Ordinis, ſuprafatæ Provimciæ Hung. SS. Salvatoris, in dictum Oppidum Szabatka de mandato Cæſareo-Regio: ut præfertur, jam olim introductos, & à noſtris Anteceſſoribus admiſſos, denuò authoritate Noſtra Ordinaria admittendos, & quantùm in nobis eſt recipiendos duximus, & decrevimus prouti harum noſtrarum ſigillô noſtrô conſvetô communitarum Vigore, admittimus, & recipimus: ſpe freti, hanc noſtram Admiſſionem, & receptionem præſpecificatorum Patrum & Fratrum, maximè attento pondere motivorum ad id Nos inducentium, omnibus quorum intereſt, pergratum fore. Datum in Reſidentia noſtra Poſonienſi die 3. Menſis Junii Annô Domini 1729.

Cardinalis CSÁKY Archi-Epiſcopus Colocenſis m. p. (L. S.)

Ladislaus Pletrik m. p.

Pro extendendo ſpatio quatuor domus coëmuntur.

Quia verò fundus penes ſæpefatum Caſtellum Fratribus collatus, erat anguſtior, hinc pro ampliando ſpatio G. D. Nicolaus Kopanovicz Confrater Reſidentiæ, & ſimul Syndicus Apoſtolicus ex eleemoſyna Fratribus oblata quatuor domos unà cum adjacentibus fundis coëmit, à Szabatkenſibus providis Incolis Petro Vujkovich nimirum, Franciſco Stantich, Luca Starich, & Franciſco Sevitch. Contractum dein ſuper dictis fundis confectum confirmavit Illuſtriſſimus D. Comes Theodorus Deſpillierz Commendans Præſidii Szegedienſis annô 1727. die 14. octobris, cujus tunc Juriſdictioni ex commiſſione Cæſareo-Regia Szabatka utpote Oppidum Militare ſuberat, quæ Litteræ Confirmatoriæ idiomate Germanico Szegedini exaratæ, & prælaudati Comitis ſigillô munitæ in Protocolo Provinciæ reperiuntur.

§. IV.

De Statu Eccleſiæ, Cryptis & Confraternitatibus, ac Erectione Reſidentiæ in formalem Conventum

In Eccleſia ſunt ſeptẽ Aræ, ex quibus major cũ duabus primis collateralibus, & ipſa ſimul Eccleſia ſunt conſecrata.

N. 339. ECcleſia ſuo condecenti ornatu inſtructa ſeptem Altaria continet. Altare majus eſt S. Michaëli Archangelo dicatum. In latere dextro tria viſuntur collateralia, B. V. Mariæ in Cælos exaltatæ videlicet, Sanctiſſimi Salvatoris, ac ejusdem Virginis Matris Dolorosæ. Ex parte ſiniſtra ſtant itidem tria: Seraphici S. P. N. Franciſci, S. Antonii Paduani, & S. Joañis Nepom. Mar. Ex his Altare majus cum duobus primis collateralibus; B. V. Mariæ in Cœlos Aſumptæ videlicet, & Seraphici P. N. S. Franciſci, & Eccleſia ipſa conſecrata ſunt per Excelletiſſimum Archi-Præſulem Colocenſem Gabrielem Patacſich Annô 1730. die 15. Aprilis, aſſignata die anniverſariâ dedicationis Dominicâ ſecundâ poſt Paſcha.

Via S. Crucis, Confraternitates duæ, & tertius Ordo.

Doloroſæ Stationes Sacræ Viæ Crucis annô 1753 erectæ, à devota populi multitudine etiam extra tempus conſvetum zelosè frequentantur. Confraternitates autem in ea binæ. Una Seraphici Patriarchæ S. Franciſci Chordigerorum mox ab initio erecta, altera S. Michaëlis Archangeli, annô 1739. inducta. Nunc autem Tertius Ordo de Pœnitentia nuncupatus bona ſumit auſpicia.

Cryptæ duæ.

Cryptæ in Eccleſia duæ: una privata Familiæ Bukvich, altera major in medio Eccleſiæ, & hæc communis tam Fratribus noſtris, quàm Secularibus.

Ex Cathedra Verbum DEI proponitur idiomate Dalmatico, & Hungarico, idiomatis tamen primi Auditores ſunt in numero ampliori, populus ſanè ex eo laudabilis, quòd ſit pius, & devotus.

Parochiam noſtri adminiſtrant.

N. 340. Hic loci Parochialia munia Patres noſtri à primo ſui ingreſſu uſq; in præſentiarum adminiſtrant, & plurimos inter labores, & fatigia, conſtanter omni tempore populum tam domi degentem, quàm cùm adhuc in ſtatu militari exiſteret, ad Bellum procedentem ſuis Spiritualibus ſervitiis fovebant, &

Patres noſtri aliquot Parochias à multis annis adminiſtrant.

providebant; Et in duplici lue peſtifera Patres noſtri aliquot in ſervitiis eorũ victima Charitatis occubuêre. Sex Filiales Parochiæ à noſtris ab antiquo jam adminiſtrabantur: *Almás*, *Jankovácz*, *Mélykut*, *Topolya Kaniſcha*, & *Szenta*, in quibus Patres noſtri Szabatkenſes per ſuas zeloſas operas Dominis Parochis viam ſtravêre, & præparavêre, unde ſub hæc tempora dictæ priores tres Parochiæ ſuos proprios Paræcos Eccleſiaſticos alunt.

Reſidentia in Conventum erigitur & Chorus inchoatur.

Cùm verò Domicilium hocce noſtrum Szent-Marienſe, quod modò ſeptemdecim Religioſas Perſonas complectitur, à primis ſuis initiis inter Reſidentias hujus Almæ Provinciæ recenſeretur, & ſub iſta tempora ad tantam perfectionem provectum exiſteret, ut altiorem nomenclaturam jam expoſceret; Hinc in Capitulo Provinciali in Conventu Gyöngyöſienſi anno 1759. die 20. Menſis Maji celebrato nomine Conventûs inſignitur, eidemque Proto-Guardianus præficitur M. V. P Daniel Závodſzki. Chorum verò annô eôdem die octáva Menſis Julii invocatô, & intonatô Adjutoriô DEI, à primis Vesperis debita cum ſolemnitate inchoavit A. R. P. Georgius Kernhoffer Miniſter Provincialis, incidente in ſequentem diem Dominicâ quintâ poſt Pentecoſten.

SERIES SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô
1717. P. Hieronymus Ludaſi.
1718. P. Alphonſus Szokol.
1719. P. Laurentius Jankovics.
1720. Idem.
1721. P. Alphonſus Szokol.
1722. P. Hieronymus Ludaſi.
Idem uſque ad annum 1732.
1732. P. Gabriel Parvi.
Idem uſque ad annum 1741.
1741. P. Raphaël Cſaſzta.
1742. P. Ildephonſus Turcsány.
1743. P. Samuel Sárkány.
1744. P. Capiſtranus Kurimſzky.

Annô.
Idem uſque ad annum 1747.
1747. P. Adauctus Weſzelovſzky
1748. Idem.
1749. P Florentinianus Prait.
1750. P. Samuel Sarkány.
1751. P. Florentinianus. Prait.
Idem usque ad annum 1756.
1756. P. Daniel Zavodſzky.
1757. Idem.
1758. P. Capiſtranus Kurimſzky.
1759. P. Daniel Zavodſzki. Proto-Guardianus.



LOCUS

LOCUS XXX.

RESIDENTIA NAGY-SZŐLŐSIENSIS AD S. BERNARDINUM.

§ I.

De Oppido Nagy-Szőlős, & noſtro Conventu olim ibidem habito.

N. 341. NAgy-Szölös (aut Szölös) I. Comitatûs Ugochienſis Oppidum quondam peramplum, in finibus Hungariæ Superioris Solis ad Ortum ſuum ſitum obtinuit, quod Jure hæreditario jam ab antiquis temporibus Illuſtriſſima Familia Perinyiana inter ſua bona numerat. Huic Oppido collis adjacet, communiter *Kankó* nominatus, in quo antefata Inclyta Familia quinto adhuc Sæculo ſupra milleſimum Seraphici Patriarchæ filiis, Fratribus nimirùm Minoribus de Obſervantia nuncupatis, Monaſterium penes ſuum Caſtellum extruxerat; Quod Religioſum Domicilium poſtea evaſit celebre, tum à multitudine Alumnorum, tùm á Provincialibus comitiis, ſiquidem jam annô 1525. fuerit ibidem celebratum Capitulum, in quo electus in Miniſtrum Provincialem legitur P. Joannes de Tárnok, quid verò anterioribus temporibus in illo Conventu actum, quique ejus fuerint Superiores locales, illorum temporum Tabulis Provinciam hanc Almam, innumeras viciſſitudines perpeſſam ſpoliavit non una bellorum tempeſtas, & hæreticorum naturalis rapacitas Annô 1554. fuit pariter inibi celebratum Capitulum Provinciale, in quo in Miniſtrum Provincialem electus eſt P. Emericus de Tövis, prout præmiſſum manet parte prima hujus Operis.

Familia Perényiana penes Oppidum Szőlős obſervantibus Monaſterium erigit.

In quo binis vicibus fuêre celebrata Capitula Provincialia.

N. 342. Conventus hic in ſuo vigore pluribus annis permanſit, verùm poſt triſtem, & fatalem Cladem Mohacſianam dum Turcæ Hungariam inundârunt, Hæretici, his ſi non pejores, ſaltem non meliores, bona Eccleſiaſtica invaſerunt, Domicilia Religioſa expilârunt, quorum ſacrilegæ manus, & hoc Domicilium noſtrum Szölöſienſe cum multis aliis demolitæ ſunt, ſiquidem hac tempeſtate hæretica, Cuſtodia Banyæ (cui hic Conventus incorporatus fuerat) ſuppreſſa gemebat, unde Conventus hic annô 1554. ingremiatus fuit Cuſtodiæ Jenö. Verùm annô 1559. reaſſumpta quidem fuerat Cuſtodia Banyæ, aſt duntaxat conſiſtebat in duobus Conventibus, Bathorienſi, & Megyeſalyenſi, de Conventu autem Szölöſienſi nec in hac, nec in Cuſtodia Jenö ulla reperitur mentio; Unde non vanè conjicere licet Monaſterium Szölöſienſe his annis fuiſſe dirutum, Fratres pulſos, aut cæſos, prout & Nicolaus Iſtvánfius famoſus Annaliſta lib. 20. Hiſt. ad annum 1559. non obſcurè indigitat ſcribens de Franciſco Perényi, & Georgio Bebéko ab Imperatore Ferdinando ad Iſabellam deficientibus.

Fuit hoc Monaſterium incorporatum Cuſtodiæ Bányæ, quod poſtea hæretici everterunt.

Cùm (Telequeſſius Belli Dux) *Franciſcum Perényium, cum Catharina Bebeka Conjuge, & liberis, gazáque omni, quæ nequaquam erat contemnenda, ſe ſe in Caſtellum Zoloſium recepiſſe, & defenſionem parare didiciſſet, eò iter divertit, miſsóque Lupô Savoliô, eum, ut ſe Clementiæ, & gratiæ Ferdinandi, à quo nullâ laceſſitus injuriâ diſceſſiſſet, dedere vellet, fruſtra admonuiſſet, obſidere locum conſtituit. Itaque Vineis, & aggeribus conſtitutis, campeſtrium falconum aliquot ictibus, Vallum, quod è cratibus, & materia, argilláque conſtructum erat, non magno labore dejectum eſt, ac noſtri Germanis permiſti, per ruinas conſcenderunt, ac Perénianos abjectis armis ſerò deditionem offerentes partim cæcidère, partim captos in Caſtra perduxêre. Ipſe cum Uxore, & liberis captus, ad arcem Saroſiam prope Eperjeſſum ſitam perductus eſt: præda inter Duces, & milites diviſa, quæ ad quadraginta millia numûm aureorum æſtimata fuit: Fuêre, qui exiſtimarent Franciſcum ab irato Numine ea calamitate meritò punitum, quòd Corpus Capiſtrani, Sanctitate celebratum, captô per Turcas Sirmiô à Monachis*

chis in Zoloſiano Monaſterio reconditum, direptô eô, pulsìsque Monachis, aut cæſis, confractum, & indignis modis profanatum, in profundum puteum projici juſſiſſet.

§. II.

Recenſet quædam de Corpore S. Capiſtrani.

Joanni Corvino ad Taurunum contra Turcas S. Capiſtranus validas adfert ſuppetias.

N. 343. INnumera ſunt, quæ Glorioſus Confeſſor S. Joannes Capiſtranus Miraculorum famâ celebratiſſimus huic Regno Apoſtolico beneficia contulit, & vel eò tum, dum collecto per Germaniam, Poloniam, Hungariam, & alias vicinas Provincias militum Cruce ſignatorum exercitu, quorum ſeptuaginta millia numerata ſunt, ad Taurunum, ſeu Belgradum Joanni Corvino ſuo individuo Socio inſperatô auxiliô contra Turcas adfuit, ubi centum viginti millibus Turcarum partim cæſis, partim fugatis annô 1456. celebris Victoria parta eſt, quæ non niſi hujus Sancti Confeſſoris Conſilio, & Virtuti adſcribi debet.

S. Capiſtranus in Oppido Vylak moritur, & Corpus ejus Szölöſinum transfertur.

Qui deinde ex corporis fatigatione lethali morbô contractô Vylacum delatus, Vir ſanè Apoſtolicus, & voluntate Martyr ibidem piè obiit annô mox antelatô 1456. Verùm ante annum 1521. quô Turca Belegradum obſedit, & totum Syrmium cum vicinis locis occupavit, ne Fratres tantô theſaurô per Infideles privarentur, Corpus S. Joannis Capiſtrani Vylacô (ut fert fama communis) ad Conventum Nagy-Szölöſienſem tranſtulerunt, ibique pia populi devotione honoratum jacuit, donec paucos poſt annos Peréniani, eò tum hæretici, Corpus Glorioſi S. Capiſtrani in altum puteum dejecerunt ſuperingeſta lapidum congerie, prout etiam ſupra laudatus Iſtvánfius Scriptor egregius ex communi fama ſcriptum reliquit. Hic fons dein vicibus aliquot repurgari, & eruderari curâ, ſtudióq; noſtrorum cepit, quatenus Sacrum illud Pignus inde levatum, decenti loco reponeretur; Super quo ſubjungo elegans teſtimonium A. R. P. Ambroſii Bodiebradsky Provinciæ hujus Miniſtri Provincialis.

Quod ignominiosè in profundum puteum dejicitur.

N. 344. *PAx Chriſti. Annô 1672. dum Provinciam noſtram SS. Salvatoris Reformatorum, mihi concreditam viſitâſſem, & dudum antea de Corpoee S. Capiſtrani audiviſſem, nimirùm, dum in Vylak (facta Victoria glorioſiſſima contra Turcas ad Albam Græcam) infirmus deveniſſet, ibique ulteriori infirmitate preſſus expiràſſet, ne tali Corpore, & Theſaurô Ordo privaretur, ob metum Turcarum, ubique circa dictum locum Vylak, ubi ſepultum fuit, vaſtantium, translatum erat uſque ad Confinia Tranſylvaniæ ad Oppidum Nagy-Szölös dictum, in quo Oppido, dum illuc perveniſſem, inveni unum monticulum mediocrem, olim Arce, & Monaſtrriô noſtri Ordinis adornatum, ubi modernis temporibus meræ Vineæ extant, in hoc monte conſpexi ſat amplum, latum, & profundum fontem, qui tam Monaſterio, quam Arci per medium deſuper diviſus, inſerviverat, quia ſimul in parva diſtantia Monaſterium, & Arx erant ædificata. Sciſcitando igitur à Familia Perénianorum Magnificorum, illorum quatuor ibidem degentium (per quam Familiam olim omnes noſtri Fratres erant tanquam ab Hæreticis mactati) an aliquid audiverint de Corpore S. Capiſtrani? dum noſtri Fratres omnes erant mactati, quò Corpus hujus Sancti ibidem in Monaſterio jam dudum depoſitum deveniſſet? Affirmârunt uti à ſuis Prædeceſſoribus habuerunt, tale Corpus in illum altum, magnum, & latum puteum projectum, unà cum Corporibus aliorum Patrum, & Fratrum, an omnium? Deus novit. His auditis, montem viſitavi unà cum aliis Patribus, ibidem in Oppido degentibus, ac aliquot Calviniſtis, Secularibus; Præcipuè ibat nobiſcum quidam Calviniſta Chyrurgus, qui Reſidentiæ inſervièrat. Dum in montem ad fontem perveniſſemus, facta omnibus exhortatione, unanimiter omnes fontem ruderibus, & lapidibus repletum cepimus evacuare, & quò ulteriùs, & profundiùs deveniebamus, omnes odorem mirabilem ſentiebamus, muſſitando ad invicem: Hic erit Corpus S. Capiſtrani. Interim noſter Calviniſta Chyrurgus, & Reſidentiæ ſervus, nihil, quæ nos ad invicem habebamus, intelligendo, prorupit in hæc verba, idiomate Hurgarico:*

Fontis illius ſitus & figura deſcribitur.

Fons repurgatur.

Pa-

Patres! ſentio talem odorem, quem meâ vitâ non ſenſi, ad quem: Sileas tantùm, magis ejicias. Altera, & tertia die ſimiliter fecimus; dum autem diſceſſum paraveram, rogavi prædictos Perénianos Magnificos, quorum aliqui ſat miſerè cum paucis ſubditis vixère, exhortando eos: Siquidem per eorum Familiam Prædeceſſorum tanta ſtrages, & perſecutio in Catholicos, præcipuè in noſtros Fratres, & Corpus Sancti facta eſt, & ideò ſupponendo tam miſeri, & egeni Magnifici modernis temporibus facti, velint nobis hanc præſtare gratiam, & ad evacuandum fontem Patri Præſidenti quilibet veſtrûm unum ſubditum aliquando dare; Certè ſcitote, quòd etſi modò depreſſi ſitis, Deus vos per merita Sancti hujus, & Sociorum ejus exaltabit. Promiſerunt, & aliquantùm laborârunt; ſed inopinata inſurrectione Calviniſtica, Præſidentem Joannem Franciſcum Szegedi, qui Generalis Lector erat, horrendè vulnerârunt, nudum ad denſiſſimas ſpinas unà cum ſuo ſocio projecerunt, & in vivis vix reliquerunt. Quì locus poſtea multis inhabitabilis, niſi modò ibidem ab aliquot annis habitant, & cum timore, & tremore paucis admodum Catholicis inſerviunt. Hic ultimò notandum, quod prædictus mediocris mons, in quo ſimul Arx, & Monaſterium erat, vocetur Kankó, & Oppidum Nagy-Szölös.

Calviniſtæ tumultuarii laborē impediunt.

Fr. Ambroſius Podſebradsky Prv. P.
Senior, 74. an. completorum m. p.

N. 345. Teſtimonium hoc non obſcurè indicat prætioſum illud pignus in præmemorato puteo in diem fors etiam hodiernam latere, cujus inveſtigationē ex facultate Eminentiſſimi Archi-Epiſcopi Strigonienſis, & juſſu Auguſtiſſimi Imperatoris attentavit annô 1698. Provincia Auſtriaca, at hanc inveſtigationem per extraneos in ſua Diœceſi Illuſtriſſimus Præſul Agrienſis improbavit hâc Almâ Provincia pariter diſſentiente, unde comiſſa fuit noſtris Patribus, qui deinde, annô, qui præfertur, & ſequentibus Sacro illi Corpori inquirendo ſeduli incumbebant, ſæpè etiam à cæpto labore per tumultuarios impediti ac repulſi Ut autem labor ſecuriùs procederet in Congregatione Comitatenſi Szölöſini habita aliquot Perſonæ ſæculares corporali priùs depoſitô Juramentô interogatæ de loco plurium etiam fontium, non niſi perobſcuras elicuêre faſſiones, evenire enim potuit, ut fons ille, qui inquirebatur cum ſuperficie terræ jam fuerit complanatus ſicquè Patres ſpe ſua fruſtrati ab ulteriori labore deſiſtebant.

Patres Auſtriaci Corpus S Capiſtrani inveſtigare volunt.

Hæc cura Patribus noſtris committitur, qui ſpe ſua fruſtrati laborem intermittunt.

Annô etenim 1699. P. Joachimus Molnár Reſidentiæ Szölöſienſis Præſidens inveſtigando Eccleſiam antiqui Monaſterii, in Cryptis nihil reperit præter oſſa Patrum, & Fratrum ibi Sepultorum, & in una Crypta reperit oſſa quinque Perſonarum, & quidem unius exuſta, aliorum autem quatuor ſalva ab aduſtione, prouti ſcribit ad ſuum Superiorem Miniſtrum Provincialem A. R. P. Franciſcum Beſſelin ſub dato diei tertiæ Menſis Martii annô, ut ſupra. Et ſic Deus, cujus ſunt Judicia incomprehenſibilia, Sacrum Corpus Glorioſi hujus Confeſſoris uſq; in præſens ab oculis noſtris eſſe abſconditum voluit, reſervando ſibi tempus quô illud pro ſolatio S. Matris Eccleſiæ revelet.

P. Joachimus Molnár Cryptas antiquæ Eccleſiæ viſitat.

§. III.

De Regreſſu Fratrum in Oppidum, & Statu Modernæ Reſidentiæ

N. 346. SUppreſsô antiquô noſtrô Monaſteriô per hæreticam rabiem, Partes iſtæ circa Szölöſinum diu manſerunt privatæ Spirituali ſolatio, quandoquidem nec Parochi, nec Religioſi à ſervitiis populo adeſſe poterant, hæreticis eosdem nimium perſequentibus; Hinc contigit quòd Magnifica Familia Baronum de Perény annô 1667. & 1668. iteratis litteris ad noſtram hanc Provinciam recurſum fecerit pro Patribus Szölöſinum ſubmittendis, ex quibus hic unas ſubnecto, quarum tenor eſt ſequens.

Admodùm Reverendi Domini in Christo Patres

Almæ Provinciæ Hung. SS. Salvatoris in Capitulo Congregati Superiores salute, Servitiorumque nostrorum semper paratissima Commendatione.

Magnifica Familia Perénianorũ à Provincia patres Szolosinum expetit.

PRæhabito super hoc nostrorum omnium communi votô, & consensu, ultimatè, planè, & plenè determinavimus, & deliberavimus in Civitate nostra Nagy-Szôlôs dicta, & ab antiquo à nobis jure hæreditario possessa in Comitatu Ugochiensi, cum consensu etiam A. R. P. Ægydii Barilovics ad hoc accedente, iteratis vicibus de hoc negotio requisiti, ad DEI majorem in primis Gloriam Religionis Christianæ propagationem, Fidelium, Animæque nostræ salutem, ædificare unam cum adjuncta sibi Ecclesia Residentiam in forma Monasterii cum suo hortulo, tam quoad honestam Religiosorum Patrum Franciscanorum obsequentium sustentationem, quàm quoad loci prælibati situm, & commodam eorundem inibi inhabitationem futuram. Quapropter hisce nostris, communi, & propria manu subscriptis, & consignatis litteris A. R. D. in Christo Patres duximus peramanter rogandos, quatenus ex sua æternum bene merita Provincia dignabuntur tales ad obsequia Spiritualia aptos Patres duos aut tres assignare, & prudenti suô Consiliô ordinare, qui & futuræ ædificandæ Residentiæ, sive Monasterio commodè invigilare, & Vineæ Domini salutariter, & fructuosè, tum animarum docendarum, quàm continuè ad Fidem Christi convertendarum emolumento, & documento prodesse possint. Super hoc communi nostrô votô, & professione gratissimum expectamus A. R. Paternitatum Vestrarum responsum. Servet Deus diutissimè salvas, & incolumes A. M. R. Paternitates vestras, quarum devotis precibus nos iterum recomendandos habemus. Datum in Civitate nostra Nagy-Szölôs die 12. Mensis Aprilis annô 1668. Earundem Paternitatum Vestrarum Adm. Rev. Filii in Christo obsequiosissimi.

Gabriel Perényi m. p. — Stephanus Perényi m. p.
Franciscus Perenyi m. p. — Adamus Perényi m. p.
Catharina Forgács m. p. — Georgius Perenyi m. p.

Patres deputantur Szôlôsinum.

N. 347. Unde Provincia hæc Alma cernens petitionem Magnificæ præmoratæ Familiæ præcisè in animarum salutem tendere, hinc in Congregatione Szakolcsæ annô 1669. die 2. Mensis Julii celebrata ad Oppidum Nagy-Szölös deputatur, & Præsidens instituitur P. Ignatius Gaál, adjuncto ei Socio P. Georgio Szécsény, ubi dein in animarum salute procuranda non segnes operarii exstiterunt. Quare labore eorum majora in dies Spiritualia incrementa capiente annô 1691. die 23 Mensis Septembris, Andreas Szántóly Abbas S. Petri de Tapolcsa V. Capituli Cathedralis Ecclesiæ Agriensis, Lector & Canonicus, nec non Illustrissimi & R. D. Georgii Fenesi Episcopi Agriensis in Spiritualibus Vicarius, & causarum Auditor Generalis, Administrationem Parochiæ Nagy-Szölösiensis Patribus nostris concredidit, inque eadem Administratione mediô Litterarum superinde confectarum eosdem confirmavit; Verùm munia Parochialia solis Incolis Oppidi Nagy-Szölös præstare non contentos ad circumjacentia etiam loca Charitas evocavit, siquidem turbulentis illis temporibus partes istæ nullum Spiritualem Pastorem habuerint, sed Patres nostri in medio hæreticorum animabus invigilârunt, prout patet ex litteris subinsertis.

INfrascriptus præsentium per vigorem bona Fide Christiana recognosco M. V. in Christo Patrem Severinum Kasparóczi una cum suis Patribus olim Conventûs, nunc verò Residentiæ Nagy-Szôlôsiensis Præsidentem, tum inter hæreticos, quàm etiam Catholicos pro salute animarum Spiritualis servitii causâ, non solùm in Oppido ipso Nagy-Szôlôs, ubi ob injuriam temporum, & continua atrocissima bella (olim Conventûs) nunc verò Residentia est, verùm pagatim in quatuor Comita-

mitatibus, Beregh, Ugocſa, Szatmár, & Maramaros nuncupatis, Patribúsque Romana Catholicæ Riligionis abſolutè deſtitutis, & non exiſtentibus excurrere, ac continuò pro incremento S. Matris Eccleſiæ, ac conſolatione Spirituali Fidelium zelosè in Vinea Domini, pro ſuorum, & aliorum ſalute indefeſsè laborare. In cujus majus robur, & fidem haſce Litteras Teſtimoniales extradandas eſſe cenſui, Sigillô, & ſubſcriptione propria munitas. Datum Fanczika die 6. Juuii, Annô 1712.

Sigiſmundus Budai I. Comitatuum Beregh, & Ugocſa Tabulæ Judiciariæ Primarius Aſſeſſor m. p (L.S.)

N. 348. Sæpe laudata Magnifica Familia Baronum de Perény, ut Retigioſos hujus Provinciæ Fratres ſemel inductos ulteriori etiam favore proſequeretur, qui ob indiſcretam Hæreticorum (inter quos degebant) avaritiam ſubſiſtere commodè nequiverant, piis veſtigiis ſuorum Anteceſſorum inhærere volens Fundationem ſequentem fecit annô, ut infra:

Litteræ fundationales I. Familiæ Perenianæ.

NOs Gabriel de Perény Comitatuum de Ugocſa Supremus, & Aba-Ujvarienſis itidem Supremus, ac Perpetuus Comes. Item Catharina Forgács de Ghymes Spectabilis, ac Magnifici quondam Domini Emerici ſimiliter de Perény relicta Vidua, nec non Stephanus, Franciſcus, Adamus, Georgius, Joannes, & Paulus itidem de Perény. Memoriæ commendamus tenore præſentium, quibus expedit Univerſis. Quòd Inclyta Familia noſtra Peréniana, in rationem, & pro parte Venerabilium Ordinis S. Franciſci inſtituerat Fundationem, pro eorundem Religioſorum Patrum Reſidentia ſolemne etiam Monaſterium Kankó, communiter appellatum, unà cum Templo nobiliſſimo extruxerat. Quod quia Monaſterium ob diverſas temporum viciſſitudines, ac Hæreticorum Tyrannidem, quæ nec memoriam quidem Religionis Catholicæ partibus in his reliquerat à pluribus jam annorum revolutionibus, ab iisdem Patribus Franciſcanis deſertum, ita deſolatum, & dirutum, vetuſtatéque attritum ſit, ut vix de ejusdem reædificatione hic, & nunc ſpes aliqua ſuperſit. Ideò, quia ab hæreſi peſſumdata, & penitus ſuffocata Religio Catholica, jam in his quoque partibus reviviſcere, & pululare cœpit: Nos etiam amoris Divini ardore inflamãti, pietatísque zelô, & Catholicæ Religionis amore moti, & excitati, nolentes etiam de veſtigiis præfatæ Familiæ noſtræ exorbitare, quinimò Majorum noſtrorum laudabilia in hoc ſecuti veſtigia pollicemur nos futuros Fundatores prælibatorum Patrum Ordinis S. Franciſci. Et ut pululare cæpta Religio Catholica, eò magis augmentari, & Eccleſia Divina propagari queat Domum, & Curiam noſtram à Generoſo Domino Gabriele Bánffi Fratre noſtro poſſeſſam, & per nos redemptam, ac ad ſex partes diviſam in Oppido Nagy-Szôlôs è regione Templi Parochialis, Comitatu de Ugocſa, inque vicinitatibus ab Oriente Aquilonis Franciſci Borbély, ab Occidentali verò Joannis Balogh domorum, & Seſſionum exiſtentium ſitam, unà cum cellariis, domibus tribus, ſtabulo, ac quibuslibet ibidem exiſtentibus ædificiis, ac horto (exceptis tamen Vineis, pratis, & terris arabilibus ad eandem domum Bánffianam pertinentibus, quæ pro nobis reſervabimus) iisdem Patribus Franciſcanis pro Reſidentia dedimus, donavimus, & contulimus, ac per manus aſſignavimus, omni eo jure, quô ad nos pertinere dignoſcebatur, jure perpetuo, & irrevocabiliter, ut eandem tenendam, poſſidendam pariter, & habendam præſentium per vigorem. Ita tamen ut eandem ſepibus, aut palánk circumdare, & ſi futuris temporibus Catholici multiplicati fuerint cum conſenſu omnium Catholicorum Reſidentiam ſeu cellas ligneas pro duodecim Perſonis extruere, & ædificare nos compromittimus. Pro Capellæ lapideæ latitudinis 4. longitudinis verò 8. orgiarum moderna ædificatione quivis noſtrum obtulit flor. 50, in ſumma autem flor. ungar 300, iis verò minùs ſufficientibus plus etiam proportionaliter præſtare parati. Præterea calcem quoque adminiſtrare, & laboratoribus, ſeu murariis victum præſtare tenebimur. Quod ſi verò favente Numine Divino Eccleſiam in Oppido Nagy-Szôlôs aquirere valeremus, oblati 50. in ſumã verò 300. floreni, in reædificationem Reſidentiæ convertantur.

Casu verò quô si imminentibus disturbiis, & belli calamitatibus præfati Patres in his terris perseverare non possent, nos, & Posteritas nostra, omnia mobilia Patrum (in quantum à nobis fieri poterit) apprehendemus, & tanquam Tutores usque ad reditum præ manibus tenebimus. Cessantibus verò disturbiorum, & belli calamitatibus, iisdem Patribus reducibus restituemus. Successu verò temporis Catholicis multiplicatis, desolatum, & dirutum Monasterium Kankó nominatum iisdem Patribus reædificare volentibus, damus, & concedimus plenariam, omnimodam reædificandi, & possidendi facultatem, & potestatis Authoritatem. Hôc tamen per expressum declaratô, quòd quia fundus, seu Sessio antea per nos iisdem Patribus in Oppido Nagy-Szôlôs pro Residentia datus, & collatus minùs placuerit, moderna nostra collatione, & præspecificata Domo Banffiana plus censeri, ob hoc eundem prius collatum fundum, seu sessionem pro nobis rehabuimus, & recuperavimus. Demum prædictis Patribus præspecificatam Residentiam inhabitantibus subsequentia victualia annuatim quilibet nostrum sine ulla dilatione, & expectatione seorsive præstare tenebitur, & posteri nostri tenebuntur, nempe: Tritici cubulos 4. Vini cubulos 10. porcum unum, Agnos 3. Anseres 3. Galinas 6. Lentium met. 1. Pisorum met. 1. pro Habitibus imperiales duos. Pultium millii met. 1. Pultium hordei met. 1. Butiri medias 6. Mellis medias 2. Currus lignorum 7. Caulium capita 50. olei lini medias 2. pro aromatibus flor. 2. Avenæ cubulos 2. de Burenda vannam unam, duos currus fœni, salis lapides 2. De futuri etiam Magistri solutione cum consensu omnium Catholicorum tempestivè providebimus. Contradictionem verò, aut revocationem omnium, aut cujuslibet nostrum, vel Posterorum, hac in parte cassantes, invalidantes, annihilantes, & mortificantes, viribúsque carituras relinquentes, & pronunciantes, promittimus nos, & Posteros nostros præscripta omnia, & singula sanctè, & inviolabiliter sub gravissima Omnipotentis Dei, parti non observanti, aut præmissa violanti infligenda, & Excommunicationis Ecclesiæ pœnâ observaturos. Hôc tamen additô, ut omnibus, & singulis Dominicis præmemorati Patres nobis Fundatoribus teneantur inservire, maximè verò in casu necessitatis ubi nobis placuerit. Deinde singulis septimanis pro vivis, & defunctis Fundatoribus teneantur Sacra celebrare, Feriâ nimirùm secundâ pro Vivis, sextis autem Feriis pro mortuis Fundatoribus. In cujus rei majorem fidem, & firmius testimonium præsentes hasce Sigillis nostris usualibus, & propriarum manuum nostrarum subscriptionibus roboratas iisdem Patribus Franciscanis damus, & concedimus. Datum sub Arce Nyaláb die 10. Mensis Julii Annô Dom. 1671.

§. IV.

Fratres exturbantur, & Residentia supprimitur.

N. 349. IN Oppido Nagy-Szölös vix per decursum sex annorum morati, unde annô 1674. ob sævam bellorum tempestatem, & Hæreticorum crudelitatem pedem retrahere coacti sunt, sicque locus Residentiæ sine suis incolis mansit solitarius usque ad annum 1690, quô iteratò ad rehabendum locum pristinum eò ordinatus est P. Conradus Maskóczi cum duobus Religiosis sociis, à quo dein tempore usque in præsens suos inhabitatores Fratres semper habuit. Verùm cum Fratres in suis humilibus gazulis à se potissima ex parte extructis diutius habitarent, nulláque esset spes, quod aliquis ipsorum insufficientiam sublevaret, novúmque ædificium pro futuro formali Conventu inchoaret; Hinc Alma Provincia non inconsultò cogitatum suum eò direxerit, ut tam Parochiam, quàm Domicilium Fratrum Reverendissimo Ordinario humiliter resignet, quam resignationem annô 1719. & sequentibus sæpius insinuavit, ac annô 1727. toto V. Diffinitorio in id consentiente, A. R. P. Vicarius Provincialis Simon Zasmussyl per litteras superinde confectas Excellentissimo D. Diœcesano felicis recordationis Gabrieli Antonio Erdödi Episcopo Agriensi Residentiam, & Parochiam consignavit,

Fra-

Fratres Nagy-Szölöſinô evocaturus, & aliis noſtris Religioſis Domibus incorporaturus.

At prælaudatus Excellentiſſimus Præſul repetitis vicibus Superiores hujus Almæ Provinciæ partim coram, partim per litteras diſponebat, quatenus mutatô conſiliô locum Nagy-Szölöſienſem ultroneè etiam conſervarent, ac Parochiam adminiſtrare non intermitterent; Magnifica Familia Perényiorum itidem literis ſæpius iteratis Excellentiſſimum antelatum Antiſtitem requiſivit, quatenus pro poſſe ſuo noſtrûm Patrum avocationem Nagy-Szölöſinô impediret, ſuper eo non ſemel requirendo Patres Superiores hujus Provinciæ, tenorem proinde Litterarum ad Excellentiſſimum Præſulem Agrienſem à præmemorata I. Familia expeditarum hic apponere licuit, qui eſt talis:

Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Comes Epiſcope, Domine, & Patrone nobis Gratioſiſſime.

SAlutem, & ſervitiorum noſtrorum humillimam recommendationem. Illuſtriſſimus D. Vicarius quidnam ſcripſerit nobis ex mandato Illuſtriſſimæ Dominationis veſtræ, in recenti memoria eſſe poteſt apud Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, videlicet, quod Patres Franciſcani ob certas rationes intenderent Reſidentiam Szölöſienſem deſerere: Verùm Illuſtriſſime Domine, dignabitur ſapienter dijudicare, quòd nos intentioni R. Patrum conſentire non poſſimus; ſiquidem piæ memoriæ Prædeceſſores noſtri, ſupra hanc fundationem R. Patrum (quæ uſque in hodiernum diem currit) Succeſſores ſub gravi anathemate obligarunt, quam diſpoſitionem nos immutare non poſſumus, ſine gravi conſcientiæ noſtræ læſione. Idcirco coram Illuſtriſſima, ac Reverendiſſima Dominatione Veſtra, Fautore noſtro humillimè inſtamus, dignetur Patri Provinciali intimare R. Patrum ulteriorem etiam in hac Reſidentia permanſionem. Gratiam Illuſtriſſimæ, ac Reverendiſſimæ Dominationis reſervire conabimur. His ulteriori Gratiæ, & Patrocinio Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis veſtræ nos humillimè recommendantes perſeveramus. Literæ Perényianorũ ad D. Præſulem Agrienſem.

Ejuſdem Illuſtriſſimæ, ac Reverendiſſimæ
Dominationis Veſtræ

Datum Szölös
22. Novemb. 1719.

Servi humillimi
Familia Baronum de Perény.

N. 350. Et ſic ad Gratioſam raqüiſitionem Illuſtriſſimi Diæceſani, ac petitionem ſæpe memoratæ I. Familiæ manſionem ſuam Fratres firmârunt, & uſque modò perſeverant munia Parochialia, ac ſuas Spirituales functiones peragentes in Eccleſia Oppidiana diſjuncta à Reſidentia, quæ Reſidentia, quia tota ex materia igni apta, annô 1747. Imperio Vulcani tam rigoroſè paruit, ut ob incendium ex Urbe eò delatum uſque ad terram ſe humiliaverit, non niſi cineres poſt ſe reliquendo, ubi libri ob antiquitatem pretioſi, ac ſcripta alia cum tota ſupellectili abſumpta. Reſidentia hæc in ſecunda intermedia Congregatione in Conventu Szecſenienſi annô 1701. die prima Maji celebrata, eſt condecorata Titulô S. Bernardini, in qua communiter ubi ſex, ubi quinque Religioſæ Perſonæ reſident, expectantes munificos Mecœnates, qui adjutrices manus exporigant ad jacienda fundamenta novi ædificii. Reſidentia exuritur. Titulus ejusdem.

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô
1531. P. Joannes de Kopács.
1533. P. Petrus de Varadino.
1535. Idem.
1537. P. Emericus de Tövis.
1542. P. Stephanus de Iváncs
1544. P. Andreas de Pálka.
1546. P. Joannes de Váralya.
1548. P. Franciſcus de Kezy.
1550. P. Georgius de Széplak
1552. P. Urbanus de Miskócz.
1554. Idem.
1669. P. Ignatius Gaál.
1671. P. Matthæus Baróti.
1672. P. Franciſcus Szegedi.
1690. P. Conradus Maskóczi.
1691. Idem.
1692. Idem.
1693. P. Alexius Fekete.
1694. P. Joachimus Molitoris.
1695. Idem.
1696. P. Innocentius Hajdú.
1697. P. Bernardinus Bárkányi.
1698. P. Joachimus Molitoris.
Idem uſque ad annum 1701.
1701. P. Joannes Pethö
1702. P. Aotonius Gulicz.
1703. P. Joannes Pethö.
Idem uſque ad annum 1708
1708. P. Adalbertus Hentei.
Idem uſque ad annum 1711.
1711. P. Paulus Darvas.
1712. P. Severinus Gaſparóczi.
1713. P. Athanaſius Sziſztó.
1714. Idem.
1715. P. Dominicus Vonnák.
1716. Idem.
1717. P. Athanaſius Sziſztó.
1718. P. Bernardinus Biró.
1719. P. Capiſtranus Terenyei.

Annô
1720. P. Joannes Bacſa.
1721. Idem.
1722. P. Narciſſus Sniava.
1723. Idem.
1724. P. Ladislaus Tarnóczi.
1725. P. Joannes Bacſa.
Idem uſque ad annum 1728.
1728. P. Paulus Ladislaides.
1729. Idem.
1730. P. Capiſtranus Terenyei.
1731. P. Joachimus Szombati.
1732. Idem.
1733. P. Capiſtranus Terenyi.
1734. P. Franciſcus Vrancſics.
1735. P. Jaonnes Bacſa.
1736. Idem.
1737. P. Ladislaus Sárpataki.
1738. P. Daniel Berkai.
Idem uſque ad annum 1741
1741. P. Emericus Szent-Királyi.
1742. P. Ambroſius Illyés.
1743. P. Remigius Olaſz.
1744. P. Sigiſmundus Bereczky.
1745. P. Laurentius Földeſi.
1746. Idem.
1747. P. Abrahamus Potyondi.
1748. P. Joachimus Szombati.
1749. P. Vincentius Büki.
1750. Idem.
1751. P. Paulus Dobronyai.
1752. P. Vincentius Büki.
1753. P. Sigiſmundus Horecſni.
1754. P. Bruno Turzó.
1755. P. Joannes Saárvári.
1756. P. Nicolaus Mandli.
1757. P. Emericus Bán.
1758. P. Martinus Olaſz.
1759. P. Philipphus Kriſton.

LOCUS XXXI.
RESIDENTIA DEBRECZINENSIS AD SANCTAM CRUCEM.

§ I.

Brevis descriptio Civitatis Debreczen.

N. 351. DEbreczinum est Civitas Libera, Regiáque, Inclyt. Comitatui Biharienſi adjacens, ſtat in Campo patentiſſimo, ſolô gaudet undequaque fertiliſſimo. Si multitudinem domorum, populíque frequentiam ſpectes, in Hungaria locum ei parem non facilè reperies. Cives habet re plurimùm pecuaria opulentos. Celebrat ſenas annuatim nundinas, in quibus tanta vendentium, ementiúmque multitudo, ut nemo aberret, qui hanc Civitatem in partibus trans Tibiſcum celeberrimum emporium dixerit. Situs Civitatis. Populus in ea amplus nundinæq; celebres.

Incolæ, ſi paucos Catholicos excipias, ſunt omnes Helveticæ Confeſſioni addicti, ut non vanè Debreczinum dici poſſit in Hungaria Calvini aſſeclarum fortiſſimum Præſidium. In ſuo Gymnaſio prælegit errores longo agmini Togatorum. Eccleſiæ populo Helvetio duæ, una abs ſe ædificata, altera violento jure poſſeſſa, quam olim verorum Chriſti fidelium pietas devotè erexerat. Undecommendationi ejus id unicè decedit, quòd puram veritatem unius Salvificæ Chriſti Eccleſiæ refugiat agnoſcere, ſed damnatis ſuis erroribus ultroneè pergat inhærere. Cives omnes ferè Calviniſtæ, duas frequentant Eccleſias.

A quo tamen tempore immunitas, & dignitas Civitatum Liberarum, ac Regiarum eidem ſub hac conditione indulta eſt, ut lege Regni Paræcum Catholicum, & Filios S. Franciſci admitteret, Cives jam animis miteſcunt, Urbsque in dies cultioribus, & ſanctioribus augetur ædificiis. Fratres enim Minores dietim, licet nimis lentè ſuum Domicilium promovent. Patres verò Piariſtæ ſuum nobile jam ædificium habent, quibus magnificam Eccleſiam poſuit purpuratus Antiſtes Emericus Csáky, Convictum autem Nobilium munifica manus Stephani Kohári. Hi poſt diſceſſum Curionis Catholici (qui annô 1715. primus fuit Stephanus Keczer, Præpoſitus dein Magno-Varadienſis) populo Catholico jure Parochiali præſunt. Acceſſit etiam in augmentum rei Catholicæ, quòd prælaudatus Cardinalis, Tribunal Regium, ſeu Diſtrictualem Tabulam Varadino Debreczinum transferri procuraverit. Parochus Catholicus PP. Franciſcani, & Piariſtæ recipiuntur. Tribunal Regium transfertur Varadinô Debreczinum.

Magiſtratus Debreczinenſis à tempore aſſumpti erroris Calviniani ſemper fuit Acatholicus, & ante duos annos ex benigna Reſolutione Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ, ex ſtatu Catholico in Senatum ſunt duo adlecti, D. Joannes Fai Poſtarum Magiſter duntaxat, & D. Adamus Ondrejkovics pauperum Advocatus, & Reſidentiæ noſtræ Syndicus Apoſtolicus. In Senatū Catholici aſſumuntur.

§. II.

De antiquo Conventu Fratrum Minorum.

N. 352. FRatres Minores Conventuales habuiſſe olim ſuum Monaſterium in Civitate Debreczen, memínit P. Bartholomæus Piſanus in libro Conformitatum, & Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantuanus in Opere quadripartito, de Origine Ordinis S. Franciſci. Ordo Seraphicus olī Debreczini habuit Conventum.

Verùm ex Decreto, *Romanus Pontifex, qui univerſi gregis Domini &c.* Joannis S. Angeli S. R. E. Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis in Germania, & partibus vicinis de Latere Legati, annô 1448. Budæ emanato, & dato ad Dionyſium de Széch Archi-Epiſcopum Strigonienſem, & S. R. E. Cardinalem, non obſcurè patet,

tet, Conventum illum fuiſſe translatum ad PP. Obſervantes, ſiquidem in præinſinuato Decreto expreſſa fiat mentio Conventûs Debreczinenſis PP. Conventualium, huncque in finem fuit directum ad antelatum Archi-Epiſcopum Strigonienſem. Quod decretum poſtea ad inſtantiam P. Stephani de Doroſzló Ordin. Min. de Obſervantia, Reverendiſſimus D. Thomas Amadæus de Ferraria, Vicarius Strigonienſis, & cauſarum Auditor Generalis, annô 1506. tranſumi, & tranſcribi fecit. De hoc etiam prima parte hujus operis fol 12, N. 20 dictum eſt.

Hoc Domicilium Debreczinenſe inhabitabatur à Filiis Seraphici Patris S. Franciſci annô etiam 1513. prout clarè demonſtrat inſtrumentum tranſumptum quod hîc in gratiam eorum appono, qui una occaſione non parùm dubitârunt, an unquam antea Franciſcanos Incolas Debreczinum habuerit, & eſt tenoris ſequentis.

Copia tranſumpti literarum Sereniſſ. Dominæ Eliſabeth Matris Mathiæ Regis Hung.

N. 355. *NOs Capitulum Eccleſiæ Poſonienſis. Damus pro memoria, tenore Præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quod Religioſus Pater Martinus Waczulik, Ordin: Minorum Reformatorum Provinciæ Hung. SS. Salvatoris Cuſtos habitualis, noſtram perſonaliter veniens in præſentiam exhibuerit, & præſentaverit nobis certas quaſdam, Joannis condam de Zapolya, Vayvodæ Tranſylvani, & ſiculorum Comitis Litteras Privilegiales, pro parte, & ad inſtantiam Religioſorum Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci in Clauſtro Beatæ Mariæ Virginis in eorum Oppido Debreczen fundato, degentium, ac Plebani Eccleſiæ Sancti Andreæ Apoſtoli de eorum Oppido, in modò dicto Oppido Debreczen, feriâ ſextâ proxima poſt feſtum B. Antonii Confeſſoris, annô D. 1513. ſub ſigillo ejuſdem Vayvodæ pendenti, in pargameno patenter confectas, & emanatas; Petens nos debita cum Inſtantia, quatenus nos eaſdem tranſumi, & tranſcribi facientes in Tranſumpto Litterarum noſtrarum extradare vellemus; quarum quidem tenor eſſet per omnia talis: Nos Joannes de Zapolya, Comes Perpetuus Terræ Scepuſienſis, Vayvoda Tranſylvanus, & ſiculorum Comes &c. Memoriæ commendamus, tenore Præſentium, ſignificantes, quibus expedit Univerſis. Quod Religioſi Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci in Clauſtro Beatæ Mariæ Virginis, in Oppido noſtro Debreczen fundato, degentes, una cum Plebano Eccleſiæ S. Andreæ Apoſtoli, de eodem Oppido, noſtram venientes in Præſentiam, exhibuerunt nobis & præſentaverunt quaſdam litteras Dominæ Eliſabeth, Genitricis quondam Sereniſſimi Principis Domini Mathiæ Regis Hungariæ &c. In papyro ſcriptas, ſigillô ejus conſuetô conſignatas, tenoris infra ſcripti, ſuper donationibus & conceſſionibus linguarum bovinarum, ſive vaccinarum ſupplicantes nobis iidem Fratres Minores Ordinis S. Franciſci, cum dicto Plebano humili cum Inſtantia, quatenus easdem Litteras, & ſingula in eis contenta, ratas, gratas, & acceptas habentes, eisdem de novo concedere, & Litteris noſtris Privilegialibus confirmare dignaremur; quarum Litterarum tenor talis eſt: Eliſabeth Genitrix Sereniſſimi Principis Domini Mathiæ, Dei Gratiâ Regis Hungariæ, Bohemiæ &c. Fidelibus noſtris, Univerſis, & ſingulis Carnificibus, in Oppido noſtro Debreczen commorantibus, ſalutem, & favorem. Quia nos illas linguas bovinas, ſive vaccinas, quas nos vigore aliarum Litterarum noſtrarum per vos Michaëli Magno, Judici ejusdem Oppidi noſtri Debreczen, dare deputaveramus, potioribus exinde agnitis de cauſis, Plebano Eccleſiæ S. Andreæ Apoſtoli in eodem Oppido noſtro fundatæ, nec non Religioſis Fratribus Minorum Ordinis S. Franciſci, in Clauſtro Beatæ MARIÆ Virginis, ſimiliter in eodem Oppido noſtro fundato, degentibus, non obſtantibus prioribus Litteris, dicto Michaëli Magno datis, per vos, & quemlibet veſtrum, duximus dandum, & aſſignandum. Ideò vobis, & cuilibet veſtrum, harum ſerie firmiter committimus, & mandamus, quatenus habitâ præſentium notitiâ, aliisque Litteris noſtris, ſuperinde non expectatis, præſcriptas linguas bovinas, ſeu vaccinas ſemper, & omni tempore, annotatis Plebano prædictæ Eccleſiæ S. Andreæ Apoſtoli, & Fratribus prædicti Ordinis S. Franciſci, in prædicto Clauſtro degentibus, omni difficultate ſemotâ, reddere, & reſtituere debeatis,*

& te-

& teneamini. Secus nullô modô facturi. Præsentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum Veteris Budæ feriâ secunda, proximâ post Festum Beati Mathiæ Apostoli. Annô Domini 1470. Nos itaque Supplicationibus eorundem Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci, & sæpedicti Plebani Ecclesiæ S. Andreæ Apostoli, nobis propterea porrectis, inclinati præscriptas Litteras præfatæ Dominæ Elisabeth, Genitricis, ut præfertur, Domini Regis Mathiæ, non abrasas, neque cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, seu vitiatas, quoad omnia, & singula in eis contenta, & præsentibus de verbo ad verbum insertas acceptamus, approbamus, ratificamus, & præsentium Litterarum nostrarum pendentis Sigilli nostri vigore munitarum Testimoniô in perpetuum valiturarum confirmamus. Datum in sæpefato Oppido nostro Debreczen. Feriâ sextâ proxima post Festum B. Antonii Confessoris. Annô Dom. 1513. (L. S.) pendentis. Commissio propria Domini Vayvodæ. Unde nos justâ, & legitimâ petitione antelati Religiosi P. Martini Waczulik, exauditâ, pariter & admissâ, præinsertas Litteras Privilegiales, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, aut vitiatas, sed omni prorsus vitiô, & suspitione carentes, de verbo ad verbum, sine diminutione, & augmento aliquali, tenoribus earundem transcriptis, dolóque, & fraude quibusvis semotis, in transumpto præsentium Litterarum nostrarum, sub Sigillo nostro Capitulari usitato, & authentico, Jurium ejusdem, & quorum interierit, futuram ad cautelam necessarias, extradandas esse duximus, & concedendas. Communi suadente Justitiâ. Originalibus exhibenti in specie restitutis. Michaële Tankovics Lectore, Francisco Kollenics Cantore, Matthæô Uzeroczy Custode, Joanne Bellosics, Francisco Wigneth, Joanne Christophoro Schreibers, alterô Joanne Schmidt, Mathiâ Mack, Martinô Vranovics, Abrahamô Wifflnigh, Adalbertô Bernardô Spiszka, & Barone Adamô Majthényi, Canonicis Deo in Ecclesia jugiter famulantibus. Datum Feriâ quintâ, proximâ post Dominicam duodecimam S. Pentecostes, in diem duodecimam Mensis Augusti incidente. Annô Domini 1728.

(L. S.)

Lecta per me Michaëlem Tankovics antelati Capituli Lectorem.

§. III.

Assignatur novus locus pro erigendo Fratrum Domicilio.

N. 356. QUoniam alternante rerum statu, diversa diversis temporibus in hoc Regnô bellorum disturbiâ, seditiones, cædes, deprædationes, plurimùm per Lutheri, & Calvini assectas, etiam cum Turcarum, & Tartarorum evocatione causatæ obtigissent, Debreczinum quoque à vera Orthodoxæ Fidei Confessione ad damnatos Calvini errores deflexisset, Fratres Minores eatenus sedem mutare, & ex Civitate hac pedem efferre coacti sunt, unde Domicilium eorum, & Ecclesia Reginæ Angelorum Sacra in manus profanas, devenerunt, quorum hodie rudera tantùm videre licet.

Debreczinum Liberis, ac Regiis Civitatibus adnumeratur.

At annô 1715. occasione Regni Diœtæ Posonii celebratæ, Civitas Debreczinensis in numerum reliquarum Liberarum ac Regiarum Civitatum assumpta est, ea lege, & conditione, ut Paræcum Catholicum, & filios S. Francisci reciperet, hæcque Conditio Diœtali Articulo 108. inserta est, cujus tenor est talis:

SIquidem Civitatis Debreczen merita exhibita diversis bellorum temporibus, atque occasionibus, servitia tam luculenta, imô, & Suæ Majestati Regiæ accepta essent, ut pro Clementia sua eandem Civitatem, velut jam priùs, & novissimè virtute benigni Diplomatis Leopoldini in reliquarum Liberarum, ac Regiarum Civitatum numerum recipere dignata fuisset. Ideò perbenignè annuente Sua Majestate, Status quoque, & Ordines Regni eandem Civitatem Debreczen, reliquis Civitatibus Regni Hungariæ, partiúmque ei annexarum (ita tamen, ut pro extruenda Parochiali Ecclesia Catholica, & Conventu Patrum Sancti Francisci locum assignet) de novo aggregandam, ac in omni-

bus libertatibus, & prærogativis, Statui Civico competentibus, & in præcitato Diplomate uberiùs expreſſis conſervandam ſtatuant, adeóque, ut in numero reliquorum Statuum, & Ordinum Regni Seſſionum Votum habere poſſit, annuimus.

Fratribus noſtris aſſignatur locus ineptus.

N. 357. Sic articulariter Debreczinum inter Liberas Civitates receptum, Fratres quidem hujus Provinciæ Salvatorianæ recepit, qui annô 1716. circa Feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis eó intrârunt, & pedem fixerunt, in eo tamen deluſi, quod ubi ſe Fratres ſecundùm legem Regni arbitrabantur Debreczinum ſubintrâſſe, in Poſſeſſione *Boldog falva*, ab antiquo, & modò etiam ſic nuncupata, ſe ſe adinvenerunt, quod Prædium *Boldog falva* licet modò iisdem aggeribus, quibus Civitas Debreczinenſis, concludatur, extra tamen veros, & indubitatos ejuſdem Civitatis limites ſtare clarè demonſtrant antiqui aggeres, quibus Debreczinum compeſcebatur, ne ultra excurreret. Et ſic Ampliſſimus Magiſtratus Fratribus noſtris aſſignavit locum extra foſſatum antiquum Civitatis in prædio *Boldog falva*, per recentiores aggeres cum prædicta Civitate continuato, non longè à porta meridiem reſpiciente, quæ Varadienſis nominatur.

Alter locus commodior petitur.

Conſiderans proinde A. R. P. Petrus Roll, pro tunc Miniſter Provincialis prædictum locum eſſe inidoneum Domicilio Religioſo erigendo, quia Cœlo humidiore nimiùm lutoſus, & acceſſu foret difficilis, nec eſſet intra veros limites Civitatis, eatenus Ampliſſ. Magiſtratum perſonaliter acceſſit & Religioſa cum modeſtia fundum antiqui Conventûs petiit, quandoquidem jure poſtliminii Filios S. Franciſci concerneret, petiit, nihil expetiit,. Hujus poſtulationis, ac factæ deſuper proteſtationis teſtimonium ſubnectò.

Litteræ teſtimoniales ſuper proteſtatione P. Roll facta coram Senatu Debreczienſi.

N. 358 *NOs Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Varadienſis. Memoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit Univerſis. Quòd nos ad amicabilem requiſitionem, & demiſſam Inſtantiam A. R P. Petri Roll Ordin. Minorum S. Franciſci Strict. Obſerv. Reformatæ Prov. Hung. SS. Salvatoris Concionatoris Theologi, nec non ejusdem Ordinis Miniſtri Provincialis, nobis propterea factam; duos è medio noſtri Reverendiſſimum, & Admodùm Reverendum, videlicet Dominos, Stephanum Görgey de Eadem, Præpoſitum S. Gabrielis Archangeli, & Cuſtodem, ac alterum Stephanum Keczer de Lipócs, Fratres Socios, & Con-Canonicos noſtros, pro peragendo infra ſcripto negotio, noſtro pro Teſtimonio fide dignos, duxeramus eſſe exmittendos. Iidem tandem ab inde ad nos inſimul reverſi, nobis in puritate Conſcientiæ ipſorum fideliter, uniformitérque retulerunt modô ſequenti: Qualiter nimirum ipſi, die 25. nunc defluentis Menſis Auguſti, anni currentis infra ſcripti, cum memorato A. R. P. Provinciali, in, & ad Liberam, Regiámque Civitatem Debreczinenſem, in hocce I Comitatu Biharienſi habitam, conſequentérque perſonalem Ordinarii Judicis, & totius Ampl. Senatûs ejusdem Civitatis, in Domo Civica, inſimul exiſtentem, in præſentiam acceſſiſſent, Ubi mentionatus P. Provincialis, iisdem debito cum honore, & ſubmiſſione propoſuit, ac inſtitit, quatenus iidem alium meliorem, & commodiorem, ſecundùm conditum eatenus Articulum, Locum (jam aſſignatô prius M. V. P. Maximiliano Friepeiſz Reſidentiæ Varadienſis antehac Præſidenti, qui pro Perſonis Religioſis, minùs aptus, & idoneus fore dignoſceretur) in ſpecie verò olim ſuum, & ab antiquo ad S. Ordinem ſpectantem, pertinentémque, & pro nunc per Egregium Stephanum Levai poſſeſſum, & inhabitatum, demonſtrare, & aſſignare velint; Cujus repetiti P. Provincialis hujusmodi petitioni, & Inſtantiæ minùs annuentes, quin potiùs de eadem nihil ſcire, & audire volentes, ac Locum expoſtulatum ſe ſe daturos denegantes. Sæpiusfatus P. Provincialis iteratò ipſis reverenter propoſuit: Cùm talem inſperatam reſolutionem, & non aliam obtinuerit, antequam Patrem eò ordinatum, & denominatum, jámque ibidem præſentem educere neceſſitaretur, pro aliquo duntaxat tempore, & ad interim præmentionatum ineptum locum acceptat, hâc nihilominùs reſervata cautelâ; & conditione, interpoſitáque proteſtatione. Quod S. Ordo ſemper habebit plenariam facultatem, dum, & quando voluerit, ſuum olim locum, & ab antiquo, ad eundem S. Ordinem pertinentem, omnibus viis modis, & mediis rehabendi,*

& ad

& ad se recipiendi. Super quibus præmissis, ad fidelem mentionatorum Dominorum Fartrum, & Con-Canonicorum nostrorum relationem, coram nobis modò præmissò factam, præsentes Litteras nostras Testimoniales, toties dicto A. R. P. Provinciali, Jurium ejusdem futuram ad cautelam necessarias sub Sigillo nostro Capitulari usitato, & authentico extradandas esse duximus, & concedendas, communi suadente Justitiâ. Datum Sabbatô proximô ante Dominicam duodecimam Sanctissimæ, & Individuæ, sempérque adorandæ Trinitatis Annô Domini 1716.

(L. S.)

Lecta per me Michaëlem Kébell
Lectorem m. p.

N. 359. His ita habitis permanserunt Fratres in loco sibi assignato licet undequaque inoportuno, spe tamen retenta opportuniorem nanciscendi. Quia verò Personis Deo Sacratis Oratorium summè esset necessarium, annô 1724. sub Præsidente P. Emerico Andrascik est inchoata Capella in longitudine novem, in latitudine quatuor circiter orgyas habens, quæ dein piâ Fidelium munificentiâ elevata, ut ab injuriis temporum defensaretur, annô 1726. P. Martinus Sebestiny pro tunc Præsidens, tectô eandem donavit, locò tamen fornicis hodie etiam tabulata sustinet, quæ si esset amplior, & altior, à longè diceres rubram Basilicam, tegulæ enim ejus forinsecus nondum sunt calce obductæ. Capella extruitur.

Porro Alma Provincia cernens locum à Civitate Debreczinensi assignatum esse nimiùm Fratrum habitationi incommodum, fecit annô 1728. recursum ad excelsum Locumtenentiale Posoniense Consilium, quatenus reflexivè ad Articulum Diœtale supra memoratum, de loco provideretur commodiori. Hinc altefatum Consilium Regium justam prædictæ Provinciæ petitionem respectans, ad pleniorem, & uberiorem informationem, negotium commisit Eminentissimo Cardinali è Comitibus Csáky, pro tunc Episcopatûs Varadiensis Administratori, adeoque partium illarum Diœcesano, quatenùs per se, aut mediô exmitendi eô fine hominis sui, adhibitis ad latus Egregiis Nicolaô Eötvös, Districtûs Debreczinensis Provinciali Commissariô, & alterô, Sigismundô Budai, Comitatûs Bihariensis Ordinario Vice-Comite, quatenus investigarent, utrum locus antiqui Conventûs, qui expetebatur, foret commodior quoad omnia eô, quem Fratres actu incolerent. Hujus dein investigationis Testimonium fuit tale: Fratres iterato instant pro aptiori loco.

N. 360. *QUod dum sub dato decimæ tertiæ diei Mensis Februarii Anni modò currentis Millesimi Segtingentesimi Vigesimi octavi, Excelsi Regii Consilii Locumtenentialis Posonii emanatum, mihíque infra scripto sonans mandatum, demississima cum obligatione ad Istantiam R. P. Franciscanorum Almæ Provinciæ SS. Salvatoris in Hung percepissem; cujus tenori satisfacere obligatus, die 27. Mensis Aprilis anni modò currentis, in Liberam, Regiámque Civitatem Debreczen intrando, locum eundem, ubi actu resident Reverendi Patres Franciscani, ineptum, prope fossatum Civitatis, à fóróque nundinali longè dissitum, lutosóque tempore accessu difficilem, neque pro servitio animarum aptum, & actu sub controversia, ut præfertur prætensivum esse.* Testimonium circa locum modernum Residentiæ & antiqui Conventûs.

Locum verò eorundem RR. PP. Franciscanorum antiquum in platea vulgó Csapó Ucza Barát köz *vocata perlustrando, unà cum Illustrissimo, ac Reverendissimo D. Stephano Luzisski Episcopo Scopiensi, Præposito S. Gabrielis, qua per Eminentissimum Cardinalem D. D. Emericum è Comitibus Csáki (Tit.) Episcopum Magno Varadiensem Diœcesanum in finem hunc exmisso, deputato, præsente Generoso Circumspecto D. Michaële Szöke attunc substituto Judice, & actuali Senatore primario Liberæ Regiæque Civitatis Debreczen, qui & metas undequaque ejusdem antiqui RR. PP. Franciscanorum Claustri; ubi nunc stabula Civitatis, domus ejusdem annonaria, duæque domus Levaianæ, cum horto extractæ essent fundamentáq;* Platea in qua stabat antiquus Conventus modò etiã appellatur *Barát köz.*

apparerent, nobis demonſtravit in colliculo, & elevatiori loco commodiſſimum pro ſervitio, & emolumento animarum, prope forum nundinale, circa medium Civitatis, ubi & rudera antiqua Cryptæ in cellariis extant, Refectorium actu ſupereſt, nunc Civitas eadem pro domo Annonaria utitur, & porta antiqua in eodem Refectorio apparet.

Locus pro noſtris aſſignatus, ſpectat ad *Boldog-Falva.*

Hinc locus ille antiquus eorundem RR. PP. Franciſcanorum omni ex parte aptior, commodior, utilior, & ſecurior, ſi quo enim caſu Civitas præmentionata quoquô modô aut etiam prætextu aliquali minueretur, aut conſtringeretur propter prætenſionem, & litigioſum locum Balog falva, *vel aliis etiam, quibuscunque exquiſitis rationibus, verendum, ne ubi modò exiſtunt iidem Patres Franciſcani, excludantur, eſſentquè extra circumvallationem ejusdem Civitatis cùm & alias nunc quoque appareret extra antiqua valla, & cincturam eſſe locus ille ubi actu ſunt. In cujus majus robur, & fidem haſce litteras Teſtimoniales uſuali ſigillô, ſubſcriptas extradedi. Magno-Varadini die quarta Menſis Maji Annô 1728.*

Inclyti Comitatûs Biharienſis Ordinarius
Vice-Comes Sigiſmundus Budai m. p. (L. S.)

Id ipſum teſtantur Inclyta Tabula Regia Dicaſterialis, & Spectabilis Dominus Nicolaus Eötvös, Sacræ Cæſareæ, Regiæquè Majeſtatis Conſiliarius, diſtrictûs Debreczienſis Provincialis Comiſſarius. Extradatis deſuper utrinque Litteris

§. IV.

Ponuntur fundamenta novæ Reſidentiæ.

Ponuntur fundamenta novi ædificii.

N. 361. PRo loco opportuniori Seraphica Familia quantùm valuit inſtitit, aſt impetravit inane nihil. Ædificium verò, quod Fratres incolebant, erat nimis anguſtum, antiquatum, & pluviæ multis in locis pervium; Hinc annô 1744. P. Franciſcus Szombatheli pro tunc Præſidens, quatuor cellas ex ſolida materia à fundamentis curavit erigi, hôcque modô ampliatum eſt Fratrum Domicilium. annô dein 1756. die 27. Martii, ſub Præſidentatu P. Abrahami Potyondi, jacta ſunt fundamenta primi tractûs, qui in futurum foret primum latus Conventûs, hujus primum lapidem ritu conſveto benedixit, & impoſuit A. R. P. Sigiſmundus Oroſz à S. Angelo Cuſtode è Scholis Piis, pro tunc Rector Collegii Debreczinenſis.

Benigna reſolutio Suæ Sacrat. Majeſt. ſubſidium Epiſc. Varadien. & Canonicorum.

Tandem fundamentis è terra eductis, ædificium ſtudiô, & curâ antementionati P. Præſidentis tantum incrementum ſortitum eſt, ut annô 1758. ſub tectum venerit, & ambitus inferior, cum ſuis Cellis fornicem acceperit, cujus promotionem multùm adjuvit Auguſtiſſima Domina Noſtra MARIA THERESIA, Regni Mariano-Apoſtolici Gubernium tenens, clementiſſimè reſolvendo trecentas trabes pineas, & ſcandularum millia quinquaginta. In calce ſubminiſtrata ſingulares Patronos ſe fecerunt Excellentiſſimus, ac Illuſtriſſius Dominus Paulus Forgács, eò tum Epiſcopus Varadienſis, ac Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini ejusdem V. Capituli Canonici. Hic proinde præmemoratus primus tractus licet undequaque necdum ſit perfectus, in ſuam tamen perfectionem dietim aſſurgit.

Fundus emitur.

N. 362. Quod attinet fundi amplitudinem, non erat tanta, ut futuro Conventui eſſet ſufficiens, hinc ad ejus majorem extenſionem, vicina, & contigua terræ portiô annô 1740. die 24. Auguſti empta eſt à provido Cive Adalberto Iſtvány pretio octuaginta quinque flor. ungar. Modò verò Fratres, quos novum ædificium capere non poteſt, in antiquo, & vetuſtate attrito, ac prope diem ruinam minante ligneo ædificio manere coguntur. Perſonæ Religioſæ hic communiter novem reſidere ſolent.

Por-

Porrò ſtatim ad initium ingreſsûs Fratrum in modernum locum, aſſumptum eſt Patrocinium S. Crucis, unde in præſentiarum etiam Reſidentia in ſuo Sigillo tenet Crucifixum. In Capella tres viſuntur Aræ, una Seraphici S. Patris Franciſci, munificentiâ plurium Mœcenatum erecta, altera B. MARIÆ Virginis ſine Labe Conceptæ, quam curavit Spect. Domina Barbara Jáſzai, tertia tandem S. Antonii Paduani, curata piis impenſis Spect. Domini Nicolai Baranyi, súntque omnes ſuis coloribus adornatæ. Cathedra pariter ſtat ſuis coloribus inveſtita.

NOMINA SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô
1716. P. Innocentius Sárközi.
1717. Idem
1718. P. Ambroſius Paulovics.
1719. P. Paulus Puskás.
1720. P. Bonaventura Harangozó.
1721. P. Bernardinus Horvát.
1722. P. Nicolaus Tuchinſzki.
1723. P. Athanaſius Sziſztó.
1724. P Emericus Andrascſik.
1725. Idem *uſq; ad annum 1727.*
1727. P. Martinus Sebeſtini.
1728. Idem.
1729. P. Capiſtranus Terenyei.
1730. P. Paulus Ladislaides.
1731. P. Sigiſmundus Palicſovics.
1732. P. Conſtantinus Peverelly.
1733. Idem
1734. P. Franciſcus Györi.
1735. P. Ladislaus Tarnóczi.
1736. Idem.

Annô
1737. P. Emericus Kaſſai.
1738. P. Remigius Olaſz.
1739. P. Stephanus Fiſcher.
1740. Idem.
1741. P. Felicianus Doroſzlai.
1742. P. Athanaſius Hihalmi.
1743. P. Nicolaus Mándli.
1744. P. Franciſcus Szombatheli.
1745. Idem.
1746. P. Dionyſius Györi.
1747. P. Dionyſius Major.
1748. P. Sigiſmundus Palicſovics.
1749. P. Joannes Marcsek.
Idem uſque ad annum 1752.
1752. P. Emericus Szovai.
1753. P. Abrahamus Potyondi.
1754. P. Athanaſius Hihalmi.
1755. P. Abrahamus Potyondi.
Idem uſque ad annum 1759.

LOCUS XXXII.
RESIDENTIA ROSNAVIENSIS AD S. MICHAELEM ARCHANGELUM.

§. I.

Prænotantur quædam de Oppido Roſnavia.

Oppidum hoc eſt Archi-Epiſcopale.

N. 362. ROſnavia perantiquum Oppidum, aliás etiam *Roſno-Bánya* nuncupatum, jam annô 1291. Archi-Epiſcopo Strigonienſi Ladomerio, ac ejus Succeſſoribus, ab Andrea III. Rege Hungariæ donatum, eò quod ſingulari, quâ pollebat, prudentiâ, exortos in Hungaria tumultus ſopiverit. Et annô 1313 Carolus I. Rex Hungariæ, Thomæ I. Metropolitano, & Archi-Præſuli itidem Strigonienſi (qui eundem annô 1310. Albæ Regali Regem coronaverat) in ma oris firmitatis robur iteratò contulit, aut potius confirmavit, ejúsque Succeſſoribus perennaliter addixit. Hinc Roſnavia agnoſcit, & reveretur uſque in præſentiarum ſuum terreſtrem Dominum eundem, qui Archi-Diœceſim Strigonienſem jure Archi-Epiſcopali gubernat, hodie tamen poſt pium obitum Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Nicolai è Comitibus Csáky Sedes Archi-Epiſcopalis vacat.

Situs ejuſdem.

Oppidum hoc ſitum ſuum habet in planitie montibus undique circumdata. Erat olim foſſatis vallatum, adjacetque Comitatui Gömöriensi, ſex portis potitur, quarum præcipuæ ſunt: Varalyenſis ad Orientem, Klepuſienſis ad Occidentem, Berzetienſis versùs Meridiem, & Nedobulenſis versùs Aquilonem, penes hanc extant duæ Eccleſiæ pariete communi disjunctæ, prima & principalis eſt B. V. MARIÆ in Cœlos Aſſumptæ dicata, altera S. Cruci, ambæ ab antiquitate venuſtæ, in illa munia Parochialia per PP. Societatis JESU peraguntur, in hac ſtatis temporibus fiunt Devotiones; In hac utraque hæretici præcones ſuos declamabant errores, donec pacato Hungariæ Cœlô, & refrænatâ eorum licentiâ, ſuis legitimis poſſeſſoribus dimittere ſunt coacti. Forum Oppidi eſt in quadro poſitum, quadrantibus id præaltarum, & elegantium domorum ordinibus, medium ejus occupat Templum cum procera Turri RR. PP. Societatis.

Quot in eo Eccleſiæ.

N. 363 Si ſtatum Religionis ſpectes, hic Catholicis Lutherani, & Calviniſtæ permixti vivunt, hi tamen in dies abjuratis ſuis erroribus ad gremium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſenſim redeunt, & numerum Catholicorum augent. In Civitate tamen nullum publicum ſuæ Sectæ exercitium habent, verum Sacramentum Baptiſmi, à PP. Societatis percipiunt, Matrimonium coram illis contrahunt; Prædicantes verò ſuos in pago *Berzete* alunt, quò diebus Feſtis longo agmine ex Oppido decurrunt. Magiſtratus olim hic totus Acatholicus, modò Prætorium, ut Senator, hæreticus intrat nullus. Oppidum hoc ante non multos annos non minimam ſenſit ignis injuriam, ubi integri ordines ædificiorum conflagrarunt. Heterodoxi licet ſint multi, ſcholis tamen ſuis carent, at Juventutem Catholicam humanioribus literis, ii qui Parochi ſunt excolunt.

Catholici cum Acatholicis permixtim vivunt, hi tamen hic publicô exercitiô ſuæ Sectæ carent.

§. II.

De Ingreſſu Fratrum Minorum Roſnaviam.

Fratribus noſtris Roſnaviam ingredientibus fundus donatur.

N. 364. INductis jam annô 1659. per Georgium Lippai Archi-Epiſcopum Strigonienſem Roſnaviam PP. S. J. mirè cœpit hæreſis labefactari, & res Catholica promoveri, pro hujus ulteriori incremento, Fratres Minores hujus Almæ etiam Provinciæ annô 1732. die 20. Octobr. Oppidum hoc ingreſſi ſunt, quibus Generoſus D. Joannes Pecz, & Conthoralis ejusdem Domina Dorothea Ettheſin ſuam

ſuam Domum, & totum domui adjacentem fundum, pro Religioſo Domicilio piâ teſtamentaria diſpoſitione deſuper facta contulerunt, quò dein pro Superiore ordinatus eſt P. Georgius Megveſſy, adjunctô ei Religiosô Sociô F. Thoma Szentkereſzti. Prædictum Teſtamentum poſteà Celſiſſimus Princeps Emericus Eſzterházy Archi-Epiſcopus Strigonienſis ſuo Diplomate ratum habuit, & confirmavit, adjuncto benigno aſſenſu ſuper ingreſſu Fratrum noſtrorum, cujus Diplomatis continentia ſatis patet, ex Diplomate Regio, quô felicis recordationis CAROLUS, hoc Nomine VI. Rex Hungariæ, locum noſtrum Roſnavienſem gratiosè confirmat, cujus tenor eſt, ut ſequitur:

N. 365 *NOs Carolus Sextus DEI Gratiâ Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, Hungariæ &c. &c. Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit Univerſis. Quòd pro parte, nominibúsque & in perſonis Religioſi Patris Martini Vaczulik, Ordin. Minorum Reformatorum S. Patris Franciſci Seraphici, Provinciæ Hungariæ SS. Salvatoris Miniſtri Provincialis, ac totius modò fatæ Provinciæ Religioſorum, exhibitæ ſint Nobis, & præſentatæ certæ quæpiam Literæ, Cognati Noſtri, Nobis ſincerè dilecti Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Illuſtris Principis Emerici è Comitibus Eſzterházy de Galantha, Archi-Epiſcopi Strigonienſis, Primatis Regni Noſtri Hungariæ, Legati Nati, Summi, & Secretarii Cancellarii, Comitatûs Strigonienſis Supremi, ac Perpetui Comitis, Noſtri actualis, Intimi, & Conſilii Noſtri Regii Locumtenentialis Conſiliarii, Confirmatoriales, & Conſenſuales, in ſimplici papyro confectæ, ac ſub Dato Poſonii in Curia Archi-Epiſcopali, die 16. Menſis Aprilis, Annô modò labenti infraſcriptô 1733. emanatæ, manúsque ejus ſubſcriptione, & uſualis Sigilli Archi-Epiſcopalis appreſſione munitæ, quibus mediantibus, Idem Princeps Archi-Epiſcopus Strigonienſis, quà Oppidi Archi-Epiſcopalis Roſnobányenſis, Comitatui Gömörienſi adjacentis Terreſtris Dominus, ſimúlque Diœceſanus, Teſtamentum illud, quod Joannes quondam Pecz, Senator, & Civis memorati Oppidi Roſnobányenſis die decima octává Novembris, annô 1732. condidit, quodque Conthoralis quoque ejusdem Maria Dorothea Etteſin conſenſu ſuo, & ſubſcriptione ratihabuit, & per peculiare Traditionis, & Reſignationis Inſtrumentum die 23. Menſis Februarii annô labenti infraſcriptô 1733. emanatum ſtabilivit, cujuſve Teſtamentariæ Diſpoſitionis vigore memoratus Joannes Pecz certum Fundum ſuum, in præfato Oppido poſſeſſum, cum omnibus ad modò factum fundum ſpectantibus Appertinentiis, Religioſis Patribus Ordin. Minorum S. P. Franciſci Reformatoram in prætacta Provincia SS. Salvatoris ritè poſſeſſis, pro Gloria Dei, promovendóque Cultu Divino, & Reſidentia ibidem erigenda legavit, in omnibus punctis, & clauſulis confirmâſſe, approbâſſe, & ratibabuiſſe, imò ex Archi-Epiſcopali, & Metropolitana authoritate, & Jurisdictione ſæpefatis Religioſis benignum Conſenſum Regium à Majeſtate Noſtra ſuper præfati Ordinis Seraphici in antelatum Oppidum Archi-Epiſcopale Roſnobánya reali introductione, legatóque fundô, & Eccleſiâ, ac Reſidentiâ, ſeu Conventu in prædicto Fundo, ac Domo, per memoratum Teſtamentum ſibi legato, extruenda, impetrandi facultatem conceſſiſſe, & attribuiſſe dignoſcebatur, tenoris infráſcripti. Supplicatum itáque extitit Majeſtati Noſtræ, Nominibus, & in Perſonis præfatorum Patris Martini Waczulik Miniſtri Provincialis, ac reliquorum Ordin. Minorum Reformatorum antelatæ Provinciæ Hungariæ Sanctiſſimi Salvatoris Religioſorum, debita cum Inſtantia humillimè, quatenus Nos prætactas antelati Principis Archi-Epiſcopi Literas Confirmatorias, & Conſenſuales, Teſtamentariámque Diſpoſitionem iisdem inſertam, omniáque, & ſingula in iisdem contenta, rata, grata, & accepta habentes, Literísque Noſtris Privilegialibus inſeri, & inſcribi facientes, præmiſſis Confirmationi, Ratihabitioni, Approbationi, Conceſſioni, & Annuentiæ, ac reali ejusdem Ordinis in præattactum Oppidum Introductioni, antelatique Fundi cum ſuis appertinentiis Teſtamentaliter legati Dationi, traditioni, & reſignationi, nec non Eccleſiæ, & Reſidentiæ,*

Confirmatio Regia Loci noſtri Roſnavienſis.

ſive Conventûs formalis ibidem fiendæ erectioni, & extructioni, aliisque omnibus, & ſingulis in prætactis Literis Archi-Epiſcopalibus, diſpoſitionéque Teſtamentaria uberiùs denotatis, & expreſſis, Noſtrum Regium Conſenſum, benevolum pariter, & aſſenſum præbere dignaremur. Quarum quidem Principis Archi-Epiſcopi Strigonienſis Literarum Confirmatoriarum, & Conſenſualium tenor ſequitur in hunc modum: Nos Emericus *Dei Gratiâ S. R. I. Princeps, è Comitibus Eſzterházy de Galantha, Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis Archi-Epiſcopus, Sacræ Sedis Apoſtolicæ Legatus Natus, Primas Regni Hungariæ, Ejusdémque Summus, & Secretarius Cancellarius, Comitatûs Strigonienſis Supremus, ac Perpetuus Comes, Sacræ, Cæſareæ, Regiæq; Majeſtatis actualis Intimus, Statûs, & Conſilii Regii Locumtenentialis Hungarici Conſiliarius, nec non unus è Judicibus Tabulæ Septemviralis &c. &c. Damus pro memoria, quòd ad demiſſam Inſtantiam Reverendi Patris Georgii Megyeſſi, Ord. Min. Reformatorum S. P. Franciſci, Prov. Hung. SS. Salvatoris, Conventûs Szendrôvienſis pro nunc Guardiani, Nomine totius prædictæ Almæ Provinciæ apud Nos interpoſitam, Teſtamentum illud, quod Prudens, ac Circumſpectus Joannes condam Pecz Senátor, ac Civis Archi-Epiſcopalis Oppidi Noſtri Roſnobányenſis, zelô pietatis, inſtinctûque Divino commotus, pro Gloria Dei, & ejusdem Cultu augendo condidit, quódque Conthoralis quoque ejusdem adhuc dum ſuperſtes licet, Honeſta Maria Dorothea Etteſin conſenſu ſuo, & ſubſcriptione, pari zelô non ſolùm ratibabuit, ſed & per peculiare in forma actualis Traditionis, & Reſignationis confectum Inſtrumentum ſtabilivit, & confirmavit, realíque Traditione, & Reſignatione, adhucdum in Vivis agens conſummare ſtatuit, ac determinavit: Prout eorundem tenor hic ſequitur:* Hîc inſeritur copia Teſtamenti Domini Fundatoris Joannis Pecz idiomate Germanico exaratum, cum propria ſubſcriptione, & Teſtium, ordine ſequenti: *Johannes Pecz,* (L.S.) *Maria Dorothea Etteſin,* (L.S.) *Coram me Martino Fenſery* (L.S.) *Coram me Tribunoplebis Martino Eötvôs* (L. S.) *Coram me Joanne Deresky Senatore* (L.S.) *Coram me Friderico Egerer Senatore* (L.S.) *Coram me Michaële Cruſs Senatore* (L.S.) *Coram me Martino Rozman Senatore* (L.S.) Diſpoſitionis verò Conthoralis ejusdem tenor idiomate Hungarico exaratus hîc pariter ſubnectitur, cum tali ſubſcriptionum ſerie: *Maria Dorothea Etteſin* (L. S.) *Coram me Barone Joſepho Andráſſy, de Cſik Szent-Király,* (L.S.) *Coram me L. B. Andráſſy de eadem Szent-Király,* (L. S.) *Coram me Georgio Nébeſt,* (L. S.) *Attentâ cumprimis Gloriâ DEI, Diviníque Cultûs promotione, ac ſignanter Orthodoxæ Romano-Catholicæ Religionis Incremento, quod exinde ſubſecuturum firmiter ſperamus, & confidimus, ubi dicti Ordinis S. P. Franciſci Religioſi, velut erga quos Patriæ Populus, & ipſi etiam Acatholici quadam propenſione, & confidentiâ, præ cæteris Religioſis ferri videntur, ad prædictum Oppidum noſtrum, quà alioquin à potiori Lutheranæ Sectæ Aſſeclis refertum, introducti, illocatíque fuerint, harum virtute, cumprimis Dominali Authoritate, tanquam Oppidi Terreſtris Dominus, in quantum ſubſtratum, & Fundus ejuſdem Teſtamenti, ac Dationis inter Vivos, & pia intentione prætactorum Fidelium præcedentis Territorio noſtro includitur, in omnibus punctis, & clauſulis confirmamus, approbamus, & ratibabemus, imò ex Archi-Epiſcopali, ac Metropolitana Authoritate, & Jurisdictione, ſæpefatis, Ord. S. P. Franciſci SS. Salvatoris Religioſis facultatem concedimus, impertimur, & attribuimus, ut ad mentem piæ prætactorum Fidelium intentionis, & fundationis impetrato ab Auguſtiſſimo Imperatore, ac Domino Domino, & Rege noſtro Clementiſſimo, ad mentem Articuli centeſimi ſecundi, anni 1715. benignô Regio Conſenſu, quem de pientiſſimo in augmentum, & propagationem Orthodoxæ Fidei zelô, & Clementiſſimô animô Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ ſecuturum, firmiter confidimus, in Fundo, ac Domo per memoratum Teſtamentum ſibi legato Eccleſiam, & Reſidentiam, ſeu Conventum tum ex reſiduis inibi denotatis hunc in finem legatis, tum de alioquin procuranda Fidelium pia Munificentia adjuti, ſibi extruere, talitérque jugiter DEO famulari, ejusdémque miſericordiam pro ulteriori S. Matris Eccleſiæ, & Orthodoxæ Religionis Incremento aſſiduis precibus exorare valeant. Parochia tamen prædicti Oppidi, prout ab olim per piæ memoriæ Prædeceſſores noſtros Archi-*

Conſenſus Epiſcopalis.

chi-Epiſcopales Patribus Societatis JEſu Reſidentiam ibi habentibus concredita, & collata eſt, ita in ejusdem Jurisdictionem quoquô modô ſemet immittere nullatenus attentabunt, verùm ſalvis per omnia Juribus Parochialibus cæteroquin in Religioſa charitate, modeſtia, & unione conviventes, dum & quando neceſſitas ſeu per concurſum frequentiorem in celebri Devotione, ſeu infirmitatis repentinæ caſibus curam animarum expoſceret, aut ſecus requiſiti fuerint, prompta aſſiſtentiâ, & adjutoriô in Vinea Domini cooperentur. Cujusmodi ſpei innixi, Archi-Epiſcopalem ſimul benedictionem noſtram iisdem impertimur. Datum Poſonii in Curia noſtra Archi-Epiſc. die 16. Aprilis annô Domini 1733. Fr. Emericus m. p, (L. S.) *Ad mandatum Altefatæ Suæ Celſitudinis, Antonius Siskovich Secretarius m. p. Nos itaque pro ſolita Noſtra in Deum pietate, & ſolerti in univerſis iis, quæ ad majorem Cultûs Divini promotionem, & Orthodoxæ Romano-Catholicæ Fidei propagationem, Religioſorúmque Ordinum (quorum devotis ad DEUM fuſis, & fundendis precibus, ac ſuffragiis fauſta, & felicia ſuſcepti Regiminis Gubernacula Nos habituros piè confidimus) incrementum conferre, aut quidpiam momenti addere poſſent, magis, magisque ampliandis, dilatandis, & ſtabiliendis cura, & ſolicitudine, peculiarique etiam noſtro Cæſareo-Regio, quô erga prælibatum devotum, Nobisque gratum, & acceptum Ordinem Minorum Reformatorum S. Franciſci Seraphici de Eccleſia Die, & Republica Chriſtiana benemeritum, ducimur affectu, humillima etiam pro parte repetiti Patris Miniſtri Provincialis, & reliquorum dicti Ordinis Minorum Reformatorum Provinciæ Hung. SS. Salvatoris Religioſorum ſupplicatione, noſtræ modô, quô ſupraſactâ Majeſtati, Regia benignitate exauditâ, clementer, & admiſsâ, prærecenſitas Principis Archi Epiſcopi Strigonienſis literas confirmatoriales, & conſenſuales non abraſas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitiô, & ſuſpitione carentes, præſentibúsque Literis noſtris Privilegialibus, de verbo ad verbum ſine diminutione, & augmento aliquali inſertas, quoad omnes earundem continentias, clauſulas, & articulos, eatenùs, quatenus eædem ritè, & legitimè exiſtunt emanatæ, viribúsque earundem veritas ſuffragatur, ratas, gratas, & accepta habentes, præmiſſis Confirmationi, Ratihabitioni, Approbationi, Conceſſioni, & annuentiæ, & reali antelati Seraphici Ordinis in prælibatum Oppidum Introductioni, prænotatique fundi cum ſuis appertinentiis Teſtamentaliter legati Dationi, Traditioni, & Reſignationi, nec non Eccleſiæ, & Reſidentiæ, ſive Conventûs formalis ibidem fiendæ Extructioni, aliísque omnibus, & ſingulis in prætactis Literis Principis Archi-Epiſcopi Strigonienſis, prænotatáque Diſpoſitione Teſtamentaria, clariùs, & uberiùs contentis, & expreſſis, Noſtrum Regium Conſenſum præbuimus, imò præbemus benevolum, pariter, & aſſenſum. Salvô jure alieno. Harum Noſtrarum ſecretô ſigillô Noſtrô, quô ut Rex Hungariæ utimur, impendenti communitarum vigore; & Teſtimoniô Litterarum. Datum per manus fidelis noſtri nobis ſincèri dilecti Spectabilis, ac Magnifici Comitis Ludovici de Batthyán, Perpetui in Németh-Ujvár Comitatûs Caſtriferrei Supremi, ac Perpetui Comitis: Pincernarum noſtrorum Regalium per Hungariam Magiſtri Camerarii item, & Conſiliarii noſtri Actualis Intimi, nec non per antelatum Regnum Noſtrum Hungariæ Aulæ Noſtræ Cancellarii, in Archiduoali Civitate noſtra Neoſtadienſi, die decimanona Menſis Auguſti, Annô Domini Milleſimô Septingenteſimô Trigeſimô Tertiô. Regnorum Noſtrorum Romani Vigeſimô ſecundô Hiſpaniarum Trigeſimô. Hungariæ verò, Bohemiæ, & Reliquorum annô vigeſimô tertiô.*

CAROLUS m. p. (L. S.)

Comes Ludovicus de Batthyán m. p.
Petrus Vegh m. p.

§. III.

De Domicilio Religioſo Fratrum, & aliis ipſum concernentibus.

Fratres domum ſibi collatam in Reſidentiâ adaptant.

N. 366. INgreſſis Fratribus Roſnaviam, ac à D. D. Senatoribus, reliquíſque Civibus cum grati animi ſignificatione receptis prælaudati D. D Fundatores, domum ſuam in Religioſum Domicilium eisdem plenè tradiderunt, Provinciam hanc Almam tunc gubernante P. Martino Waczulik: In quo dein ædificio Oratorium, cellas, & Officinas ſibi apparârunt, aſſumptô in Syndicum Apoſtolicum P. D Paulo Paukovics. Verùm hic fundus à prædictis Fundatoribus Fratribus collatus erat contractior, quàm ut futuris temporibus ædificium formalis Conventûs complecti quiret, hinc proximè vicina, & fundo à noſtris jam præhabito contigua domus, pro ampliatione ejuſdem ſpatii à Nobili Domina Juditha Kaár, Michaëlis Miticzky relicta Vidua coëmpta eſt, quam emptionem Celſiſſimus Princeps Emericus Eſzterházi Archi-Epiſcopus Strigonienſis ſuis Literis confirmatorialibus, & conſenſualibus ratam, & firmam habuit annô 1736. die 15. Menſis Auguſti emanatis.

Pro ampliatione ſpatii vicina domus emitur.

N. 367. Habitis prænotatis his duobus fundis, annô mox dictô ſub Provincialatu A. R. P. Joſephi Bede, Fratres in fundo Miticzkiano ſeptem cellas pro commodiori manſione præparârunt, parte Domûs in Capellam erectâ, ubi dein Altiſſimo famulabantur, & populo inſerviebant.

Reſidentia, & magna pars Oppidi incendiô abſumitur.

At annô 1748. die 4. Maji, qui S. Floriano ſacer eſt, ortum incendium in Oppido, ad noſtrámque Reſidentiam delatum, novos Religioſos Hoſpites turbavit, ea enim omnia, quæ poterant eſſe pabulum ignis, in cineres converſa ſunt, libris combuſtis, duabus campanis reſolutis, non niſi Refectorium cum Familiæ cubiculo, & ſtabulo ab igne eſt relictum, Fratribus poſtea ſpatiô octodecim Menſium hic incommodam manſionem habentibus, donec piô Fidelium ſubſidiô adjuti, quæ ignis ſalva non permiſerat, iterum reparârunt. Hôc incendiô majori ex parte Oppidum conflagratum multis Civibus lachrimas elicuit.

Numerus Cellarum, & Fratrum.

In fundis his præmemoratis duobus jam adunatis, ædificium novæ Reſidentiæ à tempore ingreſsûs Fratrum ſub pluribus Præſidentibus continuatum, modò in tali ſtatu cernitur, quòd in ſuperiori tractu, ſeu ambitu jam undecim cellas numeret, in tractu inferiori Refectorium, culina, & aliæ officinæ viſuntur. Religioſas verò Perſonas nunc octo habet.

Capella, & Altaria.

N. 368. Capella trecentas Perſonas facilè complectitur, Aræ in ea tres viſuntur, una, quæ eſt major, ſtat erecta honori S. Judæ Thadæi, altera eſt S. Crucis, tertia B. Mariæ Virginis, & hæc eſt privilegiata. Licet verò Capella in Ara principali Effigiem Divi Judæ Apoſtoli exhibeat, Reſidentia tamen cum Capella eſt ſub Patrocinio S. Michaëlis. Archangeli.

Confraternitas, & Tertius Ordo, ac Via Crucis.

N. 369. Confraternitas S. Patris noſtri Seraphici Chordigerorum erecta eſt annô 1744. de authoritate, & conſenſu Archi-Epiſcopi Strigonienſis. Tertius verò Ordo pœnitentium, & exercitium Sacræ Viæ Crucis ſuum acceperunt initium annô 1750.

Area, & Hortus.

Reſidentiæ area, & hortus ſunt ſufficientis amplitudinis, hortus ad Septemtrionem reſpicit montem Calvariæ, figuris, & ſtatuis amariſſimam Paſſionem Salvatoris noſtri repræſentantibus ſtudiô P. P. Societatis JESU adornatum.

Modus vivendi Fratrum non adeò facilis, cùm profeſſioni ſuæ competentem, & congruam inter hæreticos, ut plurimùm conquirant eleemoſynam, qui ſicut Eccleſiæ ſalvificæ rebelles exiſtunt, ita erga veros ejus Fideles, & ſinceros filios parva charitate ducuntur.

N. 370. Præcipuum tamen, & ſingularem hæc Reſidentia agnoſcit Benefactorem Excellentiſſimum Dominum è Comitibus Balaſſa, qui annuatim eidem de victualibus non parùm providet.

ELEN-

ELENCHUS SUPERIORUM LOCALIUM.

Annô
1733. P. Georgius Megyeſſi.
1734. Idem.
1735. P. Emericus Kaſſai.
1736. P. Gabriel Hero.
1727. P. Stephanus Fiſſer.
1738. P. Gregorius Gulyás.
1739. P. Joannes Marcſek.

Annô
1740. Idem.
1741. P. Gabriel Hero.
Idem uſque ad annum 1750.
1750. P. Matthæus Budiács.
1751. P. Gabriel Hero.
Idem uſque ad annum 1759.

DE LOCO MAYDENPEK.

N. 369. MAydenpek eſt locus Regni Serviæ, Belgradinô famoſiſſimô Fortalitiô Orientem versùs octodecim ferè milliaribus avulſus, & à danubio fluviorum Hungariæ principe ad Meridiem quatuor circiter milliaribus relictus, Temeſvarinúmque ad plagam Aquilonarem 19. milliaribus habens diſſitum. Huc Patres hujus Almæ Provinciæ annô 1732. expetiti, & illocati, Reſidentiam ſub titulo Miſſionis erexerunt, ubi dein tanquam zeloſi in vinea Domini operarii, animabus indefeſsè Spiritualia ſervitia exhibuêre, neque contenti illis ſolis ſervire, qui intra limites ſerviæ, pro tunc Regi Hungariæ ſubjectæ continebantur, verùm ſæpe ſæpius ad partes ſubjectas Turcico jugo, cum magno vitæ periculo ad ſex, ſeptem milliaria excurrebant, Sacramentis Fideles proviſuri, & in fide roboraturi, ſiquidem Maydenpekinum à corſiniis Paſſarovicenſibus occaſione pacis annô 1718. initæ, determinatis diſtet non niſi quinque milliaribus, poſt quæ confinia ſub Tyrannide Turcica multi Fideles Catholici remansêre, qui a noſtris Patribus in Spiritualibus adjuvabantur.

At annô 1737. Turcâ, jurato Chriſtiani ſanguinis hoſte Serviam invadente, Fratres noſtri Maydenpekinô pedem extrahere coacti ſe a[illegible]utiora loca hujus Almæ Provinciæ recepêre. Unde pluribus locis in Servia à Porta Ottomanica occupatis, tandem annô 1739. poſt quinque ſeptimanarum obſidionem, & ipſum Belgradum Nobiliſſimum Chriſtianitatis Antemurale cum tota Servia in manus hoſtium devenit, ſub quorum barbarie, & modò luget.

N. 370. In hoc loco Miſſionis communiter ſolebant reſidere tres Patres cum uno Fratre Religioſo Profeſſo. Qui verò annis ſuis titulô Superioris domui præerant, ſunt ſequentes: Annô 1732. P. Ludovicus Kratophil, uſque ad annum 1735. annô 1735. P. Paſchalis Spindler. Annô 1736. P. Rajmundus Süle. annô 1737. Idem. Antequam coronidem imponam, hic te Lector Seraphice paucis admonitum velim: ne te mirari contingat, cur in ſerie Superiorum Localium cuilibet Conventui ſubjecta, nomina quorumdam, qui hôc decurrenti annô 1759. in numerum Guardianorum ſunt adlecti omiſſa ſint? hoc inde evenit, quòd ante Capitulum Provinciale annô modò antelatô celebratum, pars ſecunda Hiſtoriæ ad Conventum uſque Levenſem ſub prælo abſoluta ſit, primò dein reſidui Conventus, & Reſidentiæ, ac pagina 73. Partis primæ, cum ſubſequentibus foliis ſub prælum venêre, hinc Superiores pariter poſteriorum octo noſtrorum Domiciliorum appoſiti ſunt. Et hæc pro notitia Religioſarum Domorum hujus Almæ Provinciæ Salvatorianæ ſufficiant.

Cedantque

A. M. D. G. B. V. M. S. P. N. F.
ac OO. SS. Honorem.

PROTESTATIO AUTHORIS.

SIquidem felicis recordationis URBANUS Papa VIII. die 13. Martii, Annô 1625 Decretum ediderit, illúdque die 5. Julii Annô 1634. confirmaverit, quô prohibuit vulgari libros de Perſonis, Martyrii, aut alia Sanctitatis laude inſignibus; Item de SS. Reliquiis, & Miraculis, ſine áuthentica recognitione, & approbatione. Hinc ut huic Decreto, eâ, quâ par eſt obſervantiâ morem geram, profiteor me non alio ſenſu, quæcunque in Parte prima, & ſecunda hujus Operis continentur, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quô eâ ſolent, quæ humana duntaxat authoritate, & fide nituntur, illis ſolùm exceptis, quæ authoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ definita, & approbata ſunt.